00036708

NOT TO BE ISSUED
OUT OF THE LIBRARY.

THE
ASIATIC SOCIETY OF BOMBAY
Town Hall, Bombay.

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 17 May, 2019

O
948.901
Tor/Ser
36708

00036708

SERIES
DYNASTARUM
ET
REGUM DANIÆ,

à primo eorum Skioldo Odini filio, ad Gormum Grandævum, Haraldi Cærulidentis patrem:
Antea anno Chriſti MDCLXIV.
juſſu
Glorioſiſſimæ memoriæ Regis
FRIDERICI TERTII,
ſecundum monumentorum Islandicorum harmoniam deducta & concinnata:
Nunc recognita, multum aucta, et
Auguſtiſſimi illius Nepotis
FRIDERICI QVARTI
auſpiciis
in publicam lucem emiſſa
per
THORMODUM TORFÆUM
Hiſtoriographum Regium.

HAFNIÆ, Ex Reg. Majeſt. & Univerſit. Typographéo,
Sumtibus Joh. Melchioris Lieben/ *Reg. Acad. Bibliop.*
Annô M DCCII.

Approbatio.

Antiqvitates Boréæ gentis à primis arceſſitas incunabulis, à fabulis commentisqve extricatas, hinc graviſſimâ membranarum Islandicarum authoritate munitas, ſummâ fide & induſtriâ publico ſiſtit Clariſſimus & Celeberrimus Author, ut non *minori* poſthac cum fructu qvàm voluptate ab Eruditis legi revolviqve poſſint. Hafniæ d. 2. Auguſti 1697.

P. VINDINGIUS.

AUGUSTISSIMO
SEPTENTRIONIS MONARCHÆ,

FRIDERICO QVARTO,

DANORUM, NORVEGORUM, VANDALORUM AC GOTHORUM REGI,

SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ DUCI,

OLDENBURGI ET DELMENHORSTÆ COMITI,

Domino meo Clementiſſimo.

AUGUSTISSIME REX,
Clementiſſime Domine,

Qvod Sacræ Majeſtatis Tuæ Nomen præſenti libro præfixerim, non illius, nec mei, ſed magni mandatoris & argumenti fiduciâ factum eſt. Avus enim Tuus, omni laude major, Divus FRIDERICUS TERTIUS, Septentrionalium, qvæ jam Tua ſunt, Regnorum qvondam moderator, Dominus meus in terris primus, idemqve & ſemper clementisſimus, cognito, vetuſta Islandorum monumenta in antiqviſſimorum Daniæ Regum ordine à Saxone Grammatico aliisqve antiqvitatum Danicarum conſultis haud parum diſcrepare, Danumqve Principum illorum, ut vulgò creditur, anteſignanum non agnoſcere: mihi ut Principum Regumqve, qvi à primâ memoriâ Danici Regni ſceptra tenuerunt, ordinem ex iisdem monumentis colligerem, ac ſecundum eorundem aſſerta literis proderem, manda-

davit. Fuit enim, uti in omni genere eruditionis, ſupra qvam in Principe, niſi rariſſimè, compertum eſt, verſatus, ita etiam omnis ævi hiſtoriæ peritiſſimus: patriæ præſertim, atqve ideo illorum, qvæ ad eam illuſtrandam facere videbantur, cognoſcendorum valde cupidus. Ego, uti par erat, Regio mandato mox obtemperavi, lectisqve, qvæ tum ad manus erant, noſtratium monumentis, de prædicto argumento Librum confeci, qvi in eâ, qvæ ad Regiam Tuam Majeſtatem nunc pertinet, inſtructiſſimâ Bibliothecâ locum deinde invenit. Poſtea, accedentibus annis, cum plura ad hanc materiam idonea monumentà in manus venirent, multa libro iſti deeſſe animadverti. Itaqve *ut tanti Domini mandatis*, etiam poſt cineres *illius*, qvantum in me eſſet, ſatisfacerem, ſemper mihi curæ fuit, ut memoratum opus, illius juſſu inchoatum magis qvam perfectum, emendatius fieret, tandemqve aliqvando in publicam lucem prodiret: qvo Optimi Regis memoria, ceteroqvin non immortalis ſolùm, ſed in ſingula etiam ſecula creſcens, iteratâ illâ operâ renovaretur. Merebatur id ille, cujus non ſolum viventis tot evidentiſſima gratiæ pignora habeo, ſed etiam à nobis ad beatorum ſedes transvecti qvaſi imagi-

nem uſqve in hodiernum diem venerari licuit. Etenim qvæ ab incomparabilis clementiæ ſummæqve munificentiæ Rege, glorioſiſſimæ memoriæ Patre Tuo, beneficia poſtea conſecutus ſum, ab iſto fonte profluxere. Sunt autem illa multa, meæqve pro fortunæ captu magna: ac inter ea non minimum, Hiſtoriæ Norvegicæ conſcribendæ demandatum munus, adjectumqve Regiâ liberalitate dignum ſtipendium. Sed & ſupplices meas preces, nec illas infreqventes, Clementiſſimus Rex benignè ſemper & ſine repulſâ admiſit. Utriusqve, Parentis ac Avi, exemplum, Tu qvoqve, REGUM OPTIME, nuper imitatus, qvæcunqve paterna indulgentia conceſſerat, pari benignitate & munificentiâ *rata* eſſe voluiſti; ut heic etiam Divorum CHRISTIANI & FRIDERICI monumenta in Tuo favore agnoſcere liceat. Hæc toties ac tam cumulatè collata in me beneficia faciunt, ut niſi ſummâ cum mentis reverentiâ Regiorum horum Nominum nunqvam reminiſcar. Ceterùm ſubmiſſi erga glorioſiſſimæ memoriæ Patrem Tuum affectus teſtimonium exſtat Orcadenſium Rerum Hiſtoria. Divo FRIDERICO, Avo Tuo, præſens Regum Daniæ Series olim conſecrata eſt. Qvæ cum hacte-

nus typorum beneficio in publicum non prodierit, Tu vero, REGUM AUGUSTISSIME, in auſpicatiſſimum illius nomen dudum ſucceſſeris, futurus porrò (qvod nunc factum eſſe omnes læti vident) ampliſſimi illius imperii, virtutumqve univerſarum, omni ſeculo maximarum, ex aſſe hæres, dictum opus, denuo ad limam revocatum, ſub Auguſtiſſimi Tui Nominis auſpiciis in lucem emittere diu meditatus ſum. Illud nunc tandem, plus mediâ parte auctum, pluribusqve ac fortioribus argumentis roboratum, ad Majeſtatis Tuæ pedes humillimè depono, mentemqve ſubjectiſſimam per hunc interpretem denuncio. Adjungo etiam (qvod Majeſtatem Tuam ægrè non laturam confido) *Epiſtolium*, qvo glorioſiſſimæ memoriæ Avo Tuo obſeqvii mei rationem ſubjectiſſimè olim reddidi: ut ſicut in beneficiis in me erogandis utriusqve Veſtrûm munificentia & bonitas concurrerunt, ita qvoqve ſingulorum memoria ſimul hac ratione in poſteros derivetur. Ad ipſum libri argumentum qvod attinet, iſtud perqvam illuſtre eſt, Regiâqve Tuâ Majeſtate haud indignum. Hic enim Regnorum Tuorum initia demonſtrantur, non à fabuloſâ antiqvitate ementitisve originibus repe-

tita,

tita, ſed ab eo principio deducta, in qvo noſtrates cum optimæ notæ Romanorum hiſtoricis, ſine eorum inſpectione, velut fortuitò conveniunt. Hìc ſucceſſionum ordo à primâ ſtirpe explicatur, juſtâqve generationum ac temporum proportione firmatur. Hìc deniqve oſtenditur, non ex civium arbitrio regnorum conferendorum poteſtatem ſeu jus electionis dependiſſe, ſed hæreditario jure imperia in ſucceſſores à primâ memoriâ fuiſſe translata: id qvod pluribus qvoqve teſtimoniis, ſi *lubet*, facilè poterit adſtrui. Horum cognitio cum ſapientiſſimo Regi, Majeſtatis Tuæ Avo, ſe digna viſa fuerit, qvin etiam Tuæ Majeſtati grata ſit futura nullus dubito. Accipe igitur, REX AUGUSTISSIME, ſereno vultu, inaffectatæ meæ devotionis teſſeram hancce, qvâ ſolâ, qvantis qvam indiſſolubilibus nominibus Majeſtati Tuæ Regiæqve Domui obſtrictus tenear, in præſens teſtor, uberius aliqvando idem teſtaturus, ſi Deus vitam ac incolumitatem, Tuâ qvoqve Majeſtate cœptis annuente, eòtenus prorogaverit, donec Hiſtoriæ Norvegicæ, qvæ ſub manibus habeò, volumina lucem viderint publicam. Interea Rectorem univerſi Deum ſupplex veneror,

ut

ut in benefactorum mihi retributionem, laxato bonitatis ſuæ ſinu, Te, REX AUGUSTISSME, Tuosqve omnimodâ benedictione perfundat: faciatqve clementer, ut ſis ubiqve felix, ubiqve victor, hoſtibus terror, amicis ſolatium, ſubditis præſidium, afflictis aſylum, omnibus virtutum exemplum, gloriâ ſuper omnes prælustris; tandemqve Te, cum Auguſta Conjuge in perpetuo rerum flore ad Neſtoreos annos conſervet; ut natos ac natorum natos, thiaris redimitos, Majeſtatisqve throno deſtinatos affatim videas: et tum demum, mortalis vitæ gloriæqve ſatur, ad cœleſtem beatitudinem transveharis, perpetuâ prudenter beneqve geſti imperii famâ, nullis terminis coërcitâ, ac longo Tui deſiderio, in hoc orbe relictis. *Ita* ex animo precatur ac vovet Divorum Avi Patrisqve Tui qvondam, nunc vero

Sacræ Majeſtatis Tuæ

Veteranus & humillimâ ſubjectione addictiſſimus Servus

Thormodus Torfæus.

SERENISSIMO ET POTENTISSIMO PRINCIPI, FRIDERICO TERTIO, DANIÆ, NORVEGIÆ, VANDALORUM, GOTHORUMQVE REGI, SLESVICI, HOLSATIÆ, STORMARIÆ ET DITHMARSIÆ DUCI, COMITI IN OLDENBORG ET DELMENHORST: Domino & Regi meo Clementiſſimo, Optimo.

Prodit tandem, Regum Optime, qvam imperâſti, ut juxta Annalium Islandicorum tenorem & normam conficerem, Dynaſtarum & Regum, qvi ſummum in Daniâ à ſeculo imperium tenuerunt, qvâ potui diligentiâ, concinnata Series; qvæ multum ab aliorum ſcriptorum traditione & methodo deflectit. Neqve enim Sereniſſimæ Majeſtatis Tuæ mandatis ſimul obtemperare, & ab illorum relationis authoritate dependere aut potui

tui aut debui. Sed adeo me hujus qvaliscunqve Tractatus compoſitio torſit & exercuit, ut planè diffidere cœperim, an unqvam meâ operâ in juſtum ordinem reduci poſſet. Diſperſa enim, eaqve nimis & nimis qvidem pauca antiqvitatum noſtrarum monumenta ad manus habui. Qvædam ante qvindecim annos, ſemel tantum in totâ vitâ, ex aliorum perfunctoriâ recitatione audita, in ſubſidium advocavi; idqve in illis locis, qvi mihi maximum negotium faceſſebant. Et qvamvis ſcripta illa nobiliſſima, & digniſſima qvæ lucem videant publicam, in Sereniſſimæ Majeſtatis Tuæ Archivis reſerventur, tamen veritus ſum, ne Regias occupationes, eorum copiam expetendo, intempeſtivâ interpellatione læderem. Qvod ſi aliqvando ſcripta illa videre contigerit, accuratè obſervabo, an illic ſe aliqvid, qvod Tractatui huic contradicat, offerat; qvod tamen, ſi memoriæ fides, vix futurum credam. Islandorum Annales ſemper ſecutus ſum: nec ad aliorum ordinem me accommodavi. *Sic enim Tractatus, id qvod pollicetur*, non præſtitiſſet. Sed & annotavi, ſicubi Annales illi ſibi non conſentirent; id qvod ſemel aut bis tantum occurrit. Animus enim erat, ut ea qvæ vera ſunt exponerem: gnarus, exiguam fidem mereri, cui in tantillo negotio veritatem confiteri grave eſſet. Qvod vero profundæ illius Antiqvitatis laus & gloria Regno derogata videatur, diſplicere poſſe non credo. Nam & vicinorum regnorum epocha ab eodem temporis articulo nobis deducitur. Antiqvioribus etiam Glorioſiſſimæ memoriæ Regem CHRISTIANUM QVARTUM parum tribuiſſe animadverto, eò qvod Hiſtoriam Regni à Chriſti tempore ad ſua usqve confici mandaverit; qvam à traditionum certitudine celebrari,

qvam ob affectatam ab antiqvitate laudem ambitionis inſimulari maluit. Qvod ſi Annales noſtros à Majeſtate Tua approbari contigerit, fortunati cenſendi ſunt, & meritò, cum Poëtâ, *ſublimi ferient ſidera vertice.* Sin vero triſtiori fato obnoxii (qvod abominor) omninò improbantur, tamen ſolatio erit, abs Te id potiſſimum fieri. Nam Æneæ Magni dextrâ cadunt. Neqve enim rubori erit, ab illo corripi, cui ſoli & præter qvem nulli ſubjici poſſunt. Qvod ſi qvædam Majeſtati Tuæ probantur, qvædam non item, bellè qvidem rem ceſſiſſe exiſtimabo. Nam hoc modo duo extrema declinârunt: hominum videlicet invidiam & contemtum. Nec enim ſe naturæ legibus exemtos agnoſcunt; nam *nihil eſt ab omni parte beatum.* Accipe igitur, Invictiſſime Princeps, vultu, qvo ſoles, qvalemqve omnes exoptant, clementiſſimo, hoc qvalecumqve opuſculum; qvod non eo fine conſcripſi, ut celeberrimorum ſcriptorum fidem ſuſpectam redderem, ſed magis ut voluntatem meam cognoſceres: qvam etiam ad ea, Te imperante aut volente, propenſus eſſem, qvibus præſtandis minus ſufficerem. Tu interim, magnum Regii Nominis decus & ornamentum, eam qvam pro ſingulari Tuâ clementiâ gratiam mihi, qvantum vis indigno, benigniſſimè indulſiſti, porrò participare, inqve Tuæ Majeſtatis tutelâ manere clementer concede. Deus Optimus Maximus Sereniſſimam Majeſtatem Tuam ſalvam & florentem cum universâ Regiâ familiâ multùm diuqve conſervet.

Sereniſſimam Majeſtatem Tuam
Omni ſubjectione & veneratione devotè colens
Thormodus Torfæus Islandus.

Thormodus Torfæus Lectori Benevolo Salutem.

Vetuſtiſſimorum Daniæ Regum Seriem Tibi, Benevole Lector, heic offero. Qvid, Seriem, inqvies? Qvaſi verò poſt tot Saxonis Grammatici transſcriptiones epitomasqve talibus libris opus habeamus. Imò Seriem, ajo, ſed diverſam nonnihil ab illis, qvas Saxo ejusqve ſectatores hactenus nobis exhibuerunt. Miraberis forſitan, talia nunc primum publico ſiſti, tot huc uſqve ſeculis orbi ignota. Verum cave ne ignota putes. Ego Tibi rem ſtrictim narrabo. Qvadraginta ferè anni ſunt, ex qvo Glorioſiſſimæ memoriæ Rex FRIDERICUS TERTIUS, acceptis ex patria mea Islandiâ antiqvis qvibusdam libris manu exaratis, Septentrionisqve hiſtorias continentibus, iis ex Islandica in Danicam linguam convertendis me admovit. Iſtæ meæ translationes Optimo Regi haud diſplicuere: qvi & eas oculis luſtrare non ſemel dignatus eſt. Hac occaſione tam Ipſi qvam magnis in aulâ viris innoteſcere, gratiamqve eorum & favorem adipiſci cœpi. Accidit vero interea, ut cum Procerum uno, qvi me paulo familiarius admittere ſolebat, de vetuſtis hiſce rebus forte colloqvens, dicerem, ſatis validè ex Islandorum monumentis probari poſſe, primum Danorum Principem non Danum, ſed Skioldum fuiſſe. Is hæc mea verba ad Regem (qvi ſucciſivis horis, poſt abſoluta Regni negotia, de literariis rebus loqvi ſæpè gaudebat) retulit. Schiſmati aut verius nugis ſimillima res primò videbatur, aliam nunc Principum iſtorum germini baſin ſupponere, qvam qvæ à Saxone ante tot ſecula jacta, atqve ab omnibus pro genuina hactenus ha-

bita eſſet. Verum cum ego Svenonem Aggonis, natione Danum, Saxoniqve coævum ſcriptorem proferrem, monſtraremqve, Skioldum ibi, non ſecus ac apud noſtrates, primum in Daniæ Regum ſerie collocari, de Dani jure dubitari cœptum eſt. Mihi itaqve Clementiſſimus Rex in mandatis dedit, ut controverſorum Daniæ Principum Regumqve ordinem, ex prædictis monumentis collectum, Latino ſermone deſcriberem. Ego, ut præcepto illi ſatisfacerem, omnes, qvi tunc ad manus erant, vetuſtos noſtratium libros diligenter mox perlegi, dictorum Regum ſeriem inde digeſſi, ſingulaqve ad hanc materiam pertinentia, qvantum in tanta documentorum penuriâ juvenilis ingenii vires ſuppetebant, in librum contuli; qvem per me humillimè oblatum Clementiſſimus Rex perbenignè accepit, ſibiqve non diſplicuiſſe variis gratiæ Regalis notis poſtea oſtendit. Argumenti novitate factum eſt, ut nonnulli viri docti memoratum meum opus deſcribi (manu enim exaratum, non vero typis impreſſum erat) mox curarent: qvibus ex apographis alia iterum derivata ſunt; ut dictus liber hac ratione in plura exemplaria, qvæ & hodiè ſuperant, brevi ſit diffuſus. Qvin & nonnulla illius in Danicam lingvam translata eſſe, ex amici cujusdam literis didici. Inſeqventibus annis, plura, qvam in memorato opere laboranti ad manus fuerant, noſtratium vetuſta monumenta adeptus, judicio qvoqve maturiore facto, errores nonnullos à me hic commiſſos deprehendi, eosqve in meo exemplari emendavi. Maximam vero ſæpedicti operis revidendi occaſionem nactus ſum, poſtqvam Glorioſiſſimæ memoriæ Rex, Divus CHRISTIANUS QVINTUS, ante hos qvindecim annos, Hiſtoriæ Norvegicæ conſcribendæ munus mihi clementiſſimè demandavit. Ab illo enim tempore noſtratium codices antiqvi, qvotqvot haberi poterant, ſtudioſiſſimè conqvirendi ſedulòqve perlegendi erant. Ex dictis itaqve codicibus ea excerpenti, qvæ ad memoratum Norvegicæ Hiſtoriæ opus pertinuere,

va-

varia ſimul occurrebant, qvæ prædictæ Regum Daniæ Seriei ulterius emendandæ, plura adhuc qvæ eidem locupletandæ inſervire videbantur. Hæc omnia poſtqvam ſuis locis annotâſſem, tandem de accuratiore Seriei hujus reviſione editioneqve ſeriò cogitare cœpi; præſertim cum apographa illa, qvæ, uti nuper dictum eſt, ex exemplari, Regi per me primitus oblato, dimanârant, tam ob inauditorum antea nominum, rerumqve inibi contentarum, qvam ob idiomatis Islandici (qvo varia ſcriptorum loca ibi adducta fuere) ignorantiam, vitioſè ut plurimùm exarata eſſe ſcirem: id qvod mihi poſtea ab ignaris facilè imputari poſſe prævidi. Succiſivis igitur horis ſæpedictum opus diligenter pervolvi: perperam vel minus commodè inibi dicta emendavi: ſupplementa innumeris locis inſerui: duosqve anteriores libros & binas in calce Appendices de novo addidi. Qvemadmodum autem memoratam Seriem tot tantisqve acceſſionibus auxi, ut ultra dimidiam partem ſeipsâ major nunc prodeat, ita viciſſim nonnullis locis ea inde reſecui ac expunxi, qvæ ſuperflua aliòve pertinentia videbantur. Hinc factum eſt, ut qvæ in Magno Bono ejusqve in Daniæ Regno ſucceſſore Sveno, qvem vulgò Eſtridium cognominant, antea finiebatur, nunc in Gormo Grandævo deſinat: Neqve enim niſi controverſorum Daniæ Regum ordo hic excutiendus erat. Ea igitur, qvæ in ſæpius memorato opere olim dicta, heic vero omiſſa ſunt & eliminata, pro meis poſthac haberi omninò nolo: multo minus illa, qvæ, mutatâ ſententiâ; aliter hic qvam in priori Serie proponuntur. Qvod ſi qvem, manuſcripti iſtius libri poſſeſſorem, eorum nonnulla ſub meo nomine in poſterum allegare contingat, illa in juvenilibus retractatisqve à legentibus haberi peto. Ceterùm erunt fortè nonnulli, qvi pro præſenti operâ exiguam mihi gratiam reddent, rebusqve minus perpenſis dicent, me Saxoni Grammatico haud leve vulnus illâ intentaſſe, & conſeqventer vetuſtiſſimas Danorum

res

res, contra boni civis officium, dubias reddidiſſe. Iis reſpondeo: nullam mihi ſuccenſendi cauſam Saxonis patronos habere, nec unqvam (abſit jactantia) librum prodiiſſe, qvi ſcriptoris iſtius relationes tam validè qvam hicce meus ſuffulſerit. Qvippe qvi noſtratium & Saxonis, illis penitus ignoti, harmoniam tot locis exhibet, ſimulqve contra Andream Foſſium aliosqve Saxo-Maſtiges evidenter oſtendit, dictum ſcriptorem illa, qvæ de antiqviſſimis Daniæ rebus habet, è proprio cerebro neutiqvam protuliſſe, aut à ſe primitus efficta in lucem emiſiſſe. Reſtat it[illegible] ſolum, qvod diſplicere poterit, me præſenti opere non ſemel aſſeruiſſe, Saxonem haud rarò erraſſe, ac itaqve in multis emendari debere. Id vero eſt, qvod nec mihi nec ulli, puto, alteri d[illegible] religio erit. Qvod reliqvum eſt, Benevole Lector, obnixè à te contendo ſperoqve, ut laboris hujusce mei æqvum te cenſorem geras, leviora, qvæ forſitan commiſi, menda mihi condones, de gravioribus autem, ſicubi occurrerint, erroribus me amice monere qvam acerbè traducere malis. Vale & ſtudiis meis fave. Scripſi

Hafniæ, menſe Julio, Anno Chriſti

M DC XCVII.

[illegible]

Viro Nobiliſſimo & Celeberrimo, THORMODO TORFÆO, Hiſtoriographo Regio, amico integerrimo, Eruditisſimam SERIEM REGUM DANIÆ in lucem proferenti,

ita gratulatur
Arngrimus Widalinus
A. L. M. & Rector Scholæ Naſchovienſis.

Anno Chriſti 1700.

Jam ter benignum mitibus pomis caput
Oſtendit autumnus tibi,
Et ter minacis annus hybernus Jovis
Decuſſit arbuſtis comas;
Ex qvo beati fætus ingenî tuus,
Amice, lucem viderat,
Qvô Stromſa ſaxis, qvô Ranalſa ſqvalidis,
Et qvicqvid amplexu fovet
Britannis unda, luce ſplendeſcit novâ,
Fulgente & hiſtoriâ face
Obducta qvondam noctis invidæ ſinu,
Erroris & caligine.

Liber bonô nunc alter exit alite,
Regum dicatus laudibus,
Qvos Dana tellus aluit, & qvorum potens
Europa faſces ſuſpicit.
O macte tantis, grate Muſarum choro
THORMODE noſter, auſibus,
Qveîs vectus ultra Solis orbitam & Poli
Flammantis igneas faces,
Seris tuum nomen verendum ſeculis
Transmittis: ulla nec dies
Obliterabit ſcripta, qvæ perfectius
Tuæ laborarunt manus.
Non, ſi trecentis excitata ſibilis
Invidia, ſupplicium ſui,
Attollat ora, dente ſordido tuis
Morſum laboribus feret:
Sed exſoluta corporis mens vinculo,
Domos Tonantis ut tenet,
Ibis per orbem, donec igneam facem
Diana terris imputat.

THORMODI TORFÆI

SERIES DYNASTARUM ET REGUM DANIÆ.

LIBER. I.

De Antiqvitatum Documentorumqve, qvæ Conditores Hiſtoriarum Septentrionalium ſecuti ſunt, auctoritate & fide.

CAPUT I.

De Antiqvitatibus Islandorum.

Seriem Dynaſtarum Regumqve, qvi ab ultimâ memoriâ Clariſſimæ Danorum genti ſummâ cum poteſtate præfuêrunt, ſecundùm Islandorum placita, mandataſqve ſcriptis eorum traditiones conſcribere inſtitui. Hæc cum ab eo ordine numeroqve, qvem Scriptores hiſtoriæ Danicæ Svedicæqve hactenus ſecuti ſunt, multùm abitura ſit, neceſſariò in anteceſſum diſpiciendum erit de documentorum, qvæ ſingulæ partes ſecutæ

ſunt, auctoritate & fide. Islandica primò diſcutienda. De iis rectè monuit magnæ vir doctrinæ *Thomas Bartholinus*, amicus noſter, dum vixit, inſignis, nunc magno rei antiqvariæ detrimento mortalibus ereptus, eruditiſſimi operis, qvod Antiqvitates Danicas inſcripſit, Libro I. Cap. XI. pag. 199. ita inqviens: *Plurimâ cautelâ in libris veteribus Islandicis utendum eſt, & veræ hiſtoriæ à falſis magnâ circumſpectione ſecernendæ.* Et verè Islandorum monumentis applicari poſſunt verba *Roderici O-Flaherty* Proloqvii in Ogygiam pag. 34. *Sed de Codicum Hibernicorum* (Islandicorum) *delectu nunc maxima eſt habenda cura & acre judicium; nam aliqvi planè apocryphi ſunt aut fabuloſi, ad oblectamentum conficti, alii exemplarium varietate, & ignorantia amanuenſium vitiati, alii adulatione & ambitione hyperbolicis commentis aucti; in qvibus ſparſim indubitata veritas elucet unanimi traditione & antiqvariorum conſenſu elicienda.* Cum igitur mihi ex officio incumbat, omnia ſincerè & bona fide explicare, inprimis curandum eſt, ne ipſe adulterinarum mercium ſpecioſo qvantumvis colore mihi imponi patiar; Deinde ne alios decipiam. Id verò me potiſſimum aſſecuturum ſpero, ſi à ſtudiis partium alienus, ſoli veritati indagandæ operam impendam, nec intempeſtivo amore abreptus patria documenta nimis extollam, aut eorum vitia reticendo auctoritatem iis debito majorem in extraneorum mentibus, qvibus de iis parum conſtat, præſtruere ſatagam; Sed nec ut ea, qvæ pondus habent, elevem. Dicam igitur qvod ſentio, nimirum: *qvod ſi qvis iis omnibus par pretium ſtatuat, eum admodùm falli.* Sed anteqvam ulterius progrediar, Catalogum Islandico-Latinum heic dabo monumentorum Islandicorum, qvæ vel ipſe vidi, vel aliàs extare ex fideli amicorum relatione didici.

A.		
Adonius Saga.	- - *i. e.*	*Adonii vita.*
Alaflecks ſaga.		*Alaflecki vita.*
Alexandri Mikla ſaga.		*Alexandri Magni vita.*
Amloda ſaga.		*Amlodi (vel Amlethi) vita.*
Andra rimur.		*de Andrio Carmina.*
Ans ſaga.		*Ani vita.*
Asmundar oc Tryggva rimur.		*de Aſmundo & Tryggvio carmina.*
Arna Biſkups ſaga.		*Arnii Epiſcopi vita.*
Arons ſaga Hiorleifs Sonar.		*Aronis Hiorleſi filii vita.*
Amicus oc Amilius rimur.		*de Amico & Amilio Carmina.*
B.		
Bandamanna Saga.		*Banda mannorum (ɔ: Confœderatorum) vita.*
Bardar ſaga Snæfellz aſs.		*Bardi Nivei Montis Deaſtri vita.*
Barlaams ſaga.		*Barlaami vita.*
Befus ſaga.		*Beſi vita.*
Biorns ſaga Hitdæla kappa.		*Biorni Hitdalenſium pugilis vita.*
Blomſtrvalla ſaga.		*de Floridis (in Africa) Campis Relatio.*
Boſa oc Herrauds ſaga.		*Boſii & Herraudi vita.*
Bua ſaga.		*Buii vita.*
Bærings ſaga fagra.		*Bæringi Venuſti vita.*
Broddhelga ſaga.		*Helgii cum Cuſpide vita.*
Brandkroſſa þattr.		*de Brandkroſſo (bove) Narratio.*
Bodvars Biarka ſaga.		*Bodvaris Biarkii vita.*
Breta Sogur.		*Britannorum Hiſtoria.*

D.	
Damuſta ſaga. - - - - *i. e.*	*Damuſtii vita.*
Droplaugar Sona ſaga.	*Droplaugis filiorum vitæ.*
Dinus ſaga Dramblata.	*Dionyſii Superbi vita.*
Drauma Jons ſaga.	*Jonis Somniatoris vita.*
E.	
Egils ſaga Einhendta.	*Egillis Unimani vita.*
Egils ſaga Skallagrims Sonar.	*Egillis Scallagrimi filii vita.*
Elis ſaga.	*Elis vita.*
Erreks ſaga.	*Errici vita.*
Eyrbyggia ſaga.	*Eyrbyggiorum (ɔ: Eyrenſium) Hiſtoria.*
Eiriks ſaga Vidforla.	*Eirici Peregrinatoris vita.*
Edda.	*Edda (liber Poëticus.)*
Eiriks Rauda ſaga.	*Eirici Ruffi vita.*
Edvardar ſaga hins helga.	*S. Edvardi (Angliæ R.) vita.*
F.	
Fertrams ſaga oc Plato.	*Fertrami & Platonis vitæ.*
Finnboga Ramma ſaga.	*Finnbogii Robuſti vita.*
Flateyiar Annall.	*Flateyenſes Annales.*
Floamanna ſaga.	*Floanorum Hiſtoria.*
Flores oc Leo ſaga.	*Floris & Leonis vitæ.*
Flovents ſaga Fracka Konungs.	*Floventis Francorum Regis vita.*
Fridþiofs ſaga frækna.	*Fridthiofi Vegeti vita.*
Flores Konungs ſaga oc Sona hans.	*Floris Regis & filiorum illius vitæ.*
G.	
Gibbons ſaga.	*Gibbonis vita.*
Gaungu Hrolfs ſaga.	*Rolfi Pedeſtris vita.*

Ge

Geiralldz þattr. - - *i. e.*	*Geiraldi vita.*
Giſla ſaga Surs Sonar.	*Giſlii Suris filii vita.*
Grettis ſaga Sterka.	*Gretteris Robuſti vita.*
Gvimars ſaga.	*Gvimaris vita.*
Gudmundar Biſkups ſaga.	*S. Gudmundi Epiſcopi vita.*
Grænlendinga þattr.	*Gronlandenſium Rerum hiſtoria.*
Gunnars ſaga Kelldugnups fifls.	*Gunnaris Keldugnupenſis fatui vita.*
Gunnars ſaga þidrandabana.	*Gunnaris Thidrandicidæ vita.*
Gunnlaugs ſaga Ormstungu.	*Gunnlaugi Ormstungæ (ɔ: linguæ Serpentinæ) vita.*
Gullþoris ſaga.	*Thoreris Aurei vita.*
Grims oc Hialmars rimur.	*de Grimo & Hialmare Carmina.*
H.	
Halfsrecka ſaga.	*Halfi Regis militum hiſtoria.*
Halfdanar ſaga Bronufoſtra.	*Halfdani Branæ Alumni vita.*
Halfdanar ſaga Eyſteins Sonar.	*Halfdani Eyſteini filii vita.*
Haralldz ſaga Hringsbana.	*Haraldi Ringicidæ vita.*
Hektors ſaga.	*Hectoris vita.*
Hrolfs Kraka ſaga.	*Hrolfi Krakii vita.*
Hemings ſaga.	*Hemingi vita.*
Hervarar ſaga.	*Hervaræ vitæ.*
Hialmþers oc Olvers ſaga.	*Hialmtheris & Olveris vita.*
Hogna oc Hedins þattr.	*Hognii & Hedini vitæ.*
Holmveria ſaga.	*Holmenſium hiſtoria.*
Hrafnkels Goda ſaga.	*Hrafnkelis Curionis vita.*
Hrings oc Tryggva rimur.	*de Hringo & Tryggvio Carmina.*
Hrolfs ſaga Gautreks Sonar.	*Hrolfi Gautreci filii vita.*

Hrolfs ſaga Skugga fifls.	*Hrolfi Skuggenſis fatui vita.*
Hromundar ſaga Grips ſonar.	*Hromundi Gripi filii vita.*
Hungrvaka.	*Hungrvaca (Chronicon Epiſcoporum Islandiæ.)*
Hænſa þoris ſaga.	*Thoreris Gallinacei vita.*
Hrafns ſaga Sveinbiarnar ſonar.	*Hrafni Sveinbiorni filii vita.*
Hallfredar ſaga Vandræda ſkalldz.	*Halfredi periculoſi Poëtæ vita.*
Hakonar Konungs ſaga Hakonar ſonar.	*Haconis Regis Haconis filii vita.*
Huga Skaplers ſaga.	*Hugonis Scapularii vita.*
Hakonar ſaga Hareks ſonar.	*Haconis Hareci filii vita.*
Haralldz rimur Kvenngiarna.	*de Haraldo veneridedito Carmina.*
Hermodar rimur.	*de Hermodo Carmina.*
I.	
Islendinga bok Ara froda.	*Islandorum liber, auctore Ario Polyhiſtore.*
Isfirdinga ſaga.	*Isfiordenſium hiſtoria.*
Jarlmanns ſaga.	*Jarlmanni vita.*
Illuga ſaga Gridarfoſtra.	*Illugii Gridis alumni vita.*
Jokuls ſaga Bua ſonar.	*Jocullis Buii filii vita.*
Jomsvikinga ſaga.	*Jomvikingorum (Julinenſium) hiſtoria.*
Jons Biſkups ſaga.	*S. Jonis Epiſcopi vita.*
Jvents ſaga.	*Jventis vita.*
Jons ſaga Leikſveins.	*Jonis Luſoris vita.*
Jonatas rimur.	*de Jonatâ Carmina.*
Jons ſaga Baptiſtæ.	*S. Johannis Baptiſtæ vita.*

Jons

Jons ſaga Gudſpialla mannz.	*S. Johannis Evangeliſtæ vita.*
K.	
Karlamagnuſs ſaga.	*Caroli Magni vita.*
Ketils ſaga Hængs.	*Ketillis Hængi (ꝫ Eſocis) vita.*
Knytlinga ſaga.	*Knytlingorum (Canutiorum) hiſtoria.*
Konrads ſaga Keyſara ſonar.	*Conradi Cæſaris filii vita.*
Kormaks ſaga.	*Cormaki vita.*
Kroka refs ſaga.	*Refi Aſtuti vita.*
Klarus ſaga Keyſara ſonar.	*Clari Cæſaris filii vita.*
Kotludraumr.	*Catlæ Somnium.*
Kriſtindoms ſaga.	*Chriſtianismi (in Islandia) hiſtoria.*
Kirialax ſaga.	*Kirialacis (ɔ: Alexi) vita.*
Kallinius rimur.	*de Callinio Carmina.*
Kruks Spa.	*Krucki (Jonis) vaticinium.*
L.	
Landnama.	*Landnama (ɔ: liber originum Islandiæ.)*
Langfedgatal.	*Langfedgatal. (ɔ: Series Principum Septentrionis.)*
Laxdæla ſaga.	*Laxdalenſium hiſtoria.*
Liosvetninga ſaga.	*Liosvatnenſium hiſtoria.*
Laurentius Biſkups ſaga.	*Laurentii Epiſcopi vita.*
M.	
Mabels ſterku rimur.	*de Mabele forti carmina.*
Mariu ſaga.	*Mariæ (virginis) vita.*
Margretar ſaga.	*S. Margaretæ vita.*
Magus Jarls ſaga.	*Magi Comitis vita.*
Mirmants ſaga.	*Mirmantis vita.*

Mag-

Magnuſs ſaga Orkneyia-Jarls.	*S. Magni Comitis Orcadenſis vita.*
Mottuls ſaga.	*de Pallio (magico) hiſtoria.*
N.	
Nials ſaga.	*Nialis vita.*
Nikolaſs ſaga leikara.	*Nicolai luſoris vita.*
Nitida frægu ſaga.	*Nitidæ Famoſæ vita.*
Nornageſtz þattr.	*Nornageſti, vel Geſti à Parcis denominati, vita.*
Nikulaſs ſaga Erkibiſkups.	*S. Nicolai Archiepiſcopi (Lyciæ) vita.*
O.	
Orvarodds ſaga.	*Oddi Jaculatoris vita.*
Olkofra ſaga.	*Olkofrii vita.*
Olvers rimur.	*de Olvere Carmina.*
Odda Annalar.	*Oddenſes Annales.*
Olafs ſaga Tryggva ſonar.	*Olafi Tryggvini vita.*
Olafs ſaga Helga.	*S. Olafi Regis vita.*
Orkneyinga ſaga.	*Orcadenſium Rerum hiſtoria.*
Orms ſaga Storolfs ſonar.	*Ormi Storolfi filii vita.*
Ormars rimur.	*de Ormare Carmina.*
P.	
Pontus rimur.	*de Ponto Carmina.*
Petrs ſaga poſtula.	*Petri Apoſtoli vita.*
Partalopa ſaga.	*Partalopi vita.*
Poliſtutors rimur.	*de Poliſtutore Carmina.*
Philippi fagra rimur.	*de Philippo Venuſto Carmina.*
Pals Biſkups ſaga.	*Pauli Epiſcopi vita.*
Parcevals ſaga.	*Parcevalis vita.*
R.	
Ragnars ſaga Lodbrokar.	*Ragnaris Lodbrochis vita.*

Remundar ſaga.	*Remundi vita.*
Reinalldz oc Roſu rimur.	*de Reinaldo & Roſa Carmina.*
S.	
Sigurdar ſaga þogla.	*Sigurdi Taciturni vita.*
Sturlunga ſaga.	*Sturlungorum (familiæ Islandicæ) hiſtoria.*
Saulus ſaga oc Nicanors.	*Sauli & Nicanoris vitæ.*
Sorla ſterka ſaga.	*Sorlii Robuſti vita.*
Sigurdar fotz ſaga.	*Sigurdi Pedis vita.*
Sigurdar ſaga Turnara.	*Sigurdi Torneatoris vita.*
Sveins rimur Muks ſonar.	*de Sveino Monachi filio Carmina.*
Sigrgardz ſaga frækna.	*Sigurgardi Vegeti vita.*
Skida rima.	*de Skidio Carmen.*
Sturlaugs ſaga ſtarfſama.	*Sturlaugi Laborioſi vita.*
Sverris ſaga.	*Sverreris Norveg. Regis vita.*
Stufs þattr Kattar ſonar.	*Stufi, Catti filii, vita.*
Skalldhelga rimur.	*de Helgio Poetâ Carmina.*
Svarfdæla ſaga.	*Svarfdalenſium hiſtoria.*
Samſonar ſaga fagra.	*Samſonis Venuſti vita.*
Stiornu odda draumr.	*Oddii Aſtronomi Somnium.*
T.	
Troiomanna ſaga.	*Troianorum hiſtoria.*
Thomas ſaga Erkibiſkups.	*S. Thomæ Archi-Epiſcopi (Cantuariens.) vita.*
Tyodels ſaga Riddara.	*Tiodelis Eqvitis vita.*
V.	
Ulfars ſaga ſterka oc Onundar fagra.	*Ulfaris Robuſti & Onundi Venuſti vitæ.*
Vatzdæla ſaga.	*Vatzdalenſium hiſtoria.*
Valldemars ſaga.	*Valdemari vita.*
Vallna Liots ſaga.	*Lioti Vallenſis vita.*

Victors ſaga oc Blaus.	*Victoris & Blai vita.*
Vigaglums ſaga.	*Glumi Occiſoris vita.*
Viglundar ſaga.	*Viglundi vita.*
Vilhialms ſaga ſiods.	*Vilhialmi Siodi (ɔ: theſauri) vita.*
Vilmundar ſaga.	*Vilmundi vita.*
Ulfs ſaga Ugga ſonar.	*Ulfi Uggii filii vita.*
Vemundar ſaga oc Vigaſkutu.	*Vemundi & Scutæ Occiſoris vita.*
Ulfhams rimur.	*de Ulfhamo Carmina.*
Valvers þattr.	*Valveris vita.*
Y.	
Yngvars ſaga Vidforla.	*Yngvaris Multivagi vita.*
Þ.	
Þialar Jons ſaga.	*Jonis Limatoris vita.*
Þidreks ſaga af Bern.	*Theoderici de Berna vita.*
Þordar hredu ſaga.	*Thordi Metuendi vita.*
Þoris Haleggs rimur.	*de Thorere Altipede Carmina.*
Þorſteins ſaga ſiduhallz ſonar.	*Thorſteini, Halli de Sidu filii, vita.*
Þorſteins ſaga Vikings ſonar.	*Thorſteini Vikingi filii vita.*
Þormodar ſaga Kolbrunar Skalldz.	*Thormodi Colbrunæ Poëtæ vita.*
Þorſteins ſaga Uxafots.	*Thorſteini Tauripedis vita.*
Þorlaks Biſkups ſaga.	*S. Thorlaci Epiſcopi vita.*
Þorleifs ſaga Jarlaſkalldz.	*Thorleifi Comitum Poëtæ vita.*
Þorſteins ſaga Bæiarmagns.	*Thorſteini Urbis Roboris vita.*

His

His adde *Fragmentum hiſtoricum* de Ivare Vidfadmio, Hræreco Slaungvanbaugio, Helgio Acuto, & Bello Bravallenſi; *Origines Norvegiæ*, qvæ Codice Regio, à celebri ſatis Islandiæ inſulâ Flateyenſi dicto, continentur; *Breviarium Hiſtoriæ Norvegicæ* ab Halfdano Nigro ad Sverrerem, qvod *Fagrskinnam* & *Compendium Chronicorum* vocare ſoleo; ut & *Geſta* qvædam *Poëtarum Haraldi Pulchricomi*. Extant etiam, præter ſupra recenſitos Oddenſes & Flateyenſes, alii vetuſti *Annales*, qvos, cum anepigraphi ſint, diſtinctius nominare neqvimus. De *Snorrii Sturlæi* Hiſtoriâ Norvegicâ, & *Oddi Monachi* vitâ Olafi Tryggvini, hujus libri Caput V. vide, ubi plura iſtiusmodi huc pertinentia habentur.

Nunc obiter adjungemus indicem hiſtoriarum, qvæ à fide dignis auctoribus citantur, ſed nobis planè perierunt: *Einaris Gislis filii*, ejus qvi Giafaldum, Regis Magni Nudipe-dis aulicum, in Thrandiâ interfecit, *hiſtoria* in fine vitæ Sancti Jonis Holenſis Epiſcopi memoratur. *Sigurdi Cervi hiſtoria* citatur à Snorrio Sturlæo in vita Halfdani Nigri. *Alfgeiris vita* in Holmenſium hiſtoria allegatur. *Hiſtoriæ Grimi de Kroppio*, qvi filium Eydi, filii Skeggii Midfiordenſis, interfecit, meminit Gretteris Robuſti vitâ. *Thorgilſis Hallæ filii* vitam, ut & *Niardvikenſium hiſtoriam* adducit Laxdalenſium hiſtoria. *Bodmodi, Gerpis & Grimolfi hiſtoriæ* Landuama meminit, ut & *vitæ Thordi Gelleris*. In eadem qvoqve mentio fit *Thorskfiordenſium hiſtoriæ*, ut & *Vitæ Vebiorni*, unius eorum qvi Islandiam adhuc incultam occuparunt. *Hraungvidi Berſerki & Vikingii Hiſtoriam, Olafi* etiam *Lidsmannorum* (ɔ: exercituum) *Regis, Hroki Nigri* ac *Ormi Poëtæ Bareyenſis* vitas olim extitiſſe; fidem facit Sturlungorum hiſtoria. *Skioldungorum* (id eſt Daniæ Regum) *hiſtoriam* Snorrium legiſſe, ex illius prolegomenis ad Hiſtoriam Norvegicam in vita

Adilſis Sveciæ Regis diſcimus. *Thoreris Canipedis vitam* Hrolfi Krakii vita adducit, ut & *Agnaris* Hroaris Daniæ Regis filii *vitam*. *Hiadningorum hiſtoriam* nominat Hrolfi Pedeſtris vita. *Skioldi*, Dagi filii, & *Hermanni hiſtoria* in Illugi Gridis alumni vita citatur. *Sigurdi Hringi vitæ* Boſii vita meminit Cap. VIII. edit. Svecicæ. *Ulfi Sebbii filii & Comitis Kvikii hiſtoriæ* mentio injicitur in Hiſtorica Relatione de geſtis qvibusdam poetarum Haraldi Pulchricomi. *Eſpholenſium hiſtoria* citatur in Hiſtoria Lioſvatnenſium. De *Sæmundi* & *Arii* Polyhiſtorum ſcriptis deperditis hujus libri Capite V. plenius dicetur.

Nunc ad ea qvæ ſuperant Islandorum monumenta regrediar. Hæc ſi inter ſe conferantur, qvadruplex diſcrimen, ut mihi obſervatur, reſultat.

Primum genus eorum aliud verbis profitetur, aliud ſenſu recondit, unde tamen, ſi nulla hiſtoriæ ſeries, at priſci ritus & religio magnam partem cognoſcuntur, qvædam etiam vera deprehenduntur. Tales ſunt fabulæ Eddicæ ac Vilhialmi Siodi vita; forte & plures, qvarum principia, cauſas aut etiam occaſiones neſcimus.

Secundum genus confictas tantum narrationes continet, ſine ullo recondito ſenſu. Eſtqve artificioſum, vel rude & inſulſum. Ad prius vitæ Bardi Snæfellzaſs & Krokarefi referuntur: item Buii, qvæ aliàs Kialarneſenſium hiſtoria appellatur. Ad poſterius Ionis Limatoris vita, Sveni Monachi filii, Magi Comitis, Sigrgardi Vegeti, Nicolai Luſoris, Ponti, Halfdani Branæ alumni, Halfdani Ringicidæ, & infinitæ aliæ ejusdem furfuris.

Tertium hiſtorias ex veris principiis deductas fabulis interſperſis obſcurat. Eſtqve iterum duplex. Unum qvando per univerſum contextum fabulæ ita ſparguntur,

ut

ut verum à falſo ægrè diſcerni qveat. Talis eſt vita Thorſteini Vikingii, & plures aliæ. Alterum, ubi figmenta à vero ſeparari facile poſſunt, veluti in hiſtoriis Regum Norvegiæ Olaforum, Tryggvini & Sancti illius, qvibus aniles paſſim fabulæ intermiſcentur. Huc etiam referri poſſunt illa monumenta, qvæ geſta diverſorum hominum in unum congerendo hiſtoriam confundunt; qvalis eſt Orvaroddi ſeu Oddi Jaculatoris vita. Similia ſunt qvæ de Starcado & Ragnaris Lodbrochis filiis noſtri indiſtinctè narrant; nec confuſionis vitio penitus carent illa, qvæ de Odino iidem referunt.

Qvartum genus hiſtorias authenticas exhibet, ſed duplici diſcrimine. Qvædam enim res diu ante geſtas commemorant, ut Snorrii Hiſtoria Norvegica & Arii Polyhiſtoris libellus ſuperſtes. Id qvod de Sæmundi & Arii Polyhiſtorum ſcriptis deperditis etiam dicere poſſumus, ut & Skioldungorum hiſtoriâ, qvæ à Skioldo, primo Daniæ Rege, narrationem, ſine dubio, *ordiebatur.* Qvo etiam petinet *Tractatus antedictus*, *qvi Origines* Norvegiæ, à Fornioto qvodam, vetuſtiſſimo rege, deductas, faſtuoſo titulo profitetur. Aliæ res auctori ſuo æqvales complectuntur; uti Sturlungorum hiſtoria, vitæ Sverreris & Haconis Senioris Norvegiæ Regum, & ſimiles. Ceterum noſtram hancce diviſionem qvaſi ſecundum ſubtilitates Logicas concinnatam nemo accipiat, cum multa hic pluribus communia ſint; Qvod in ſingulis præponderat, ſaltem obſervare animus fuit.

CAPUT II.

De mythologicis Islandorum Relationibus.

Vetuſtiſſimas Septentrionis mythologias Islandi binis libris conſervârunt; uterqve vulgò *Edda* dicitur. Alter illorum, qvi variis odis conſtat, *Sæmundo Polyhiſtori* communiter adſcribitur: alterius auctor fuiſſe exiſtimatur *Snorrius Sturlæus*, ſupremus Islandiæ Judex. De fabulis iſtis Eddicis tale eſt judicium *Petri Huetii*, qvod ex libro illius de Origine Fabularum Romanenſium *Bartholinus* Antiqvitatum Danicarum libro I. Cap. XI. pag. 193. in medium producit: *Norvegorum*, ait, *coloni, qvi tranfretarunt in Islandiam, illuc & ingenium ſuum & fabulas intulerunt. Qvi in hac inſula magis ingenio valebant, ii novis comminiſcendis animum applicabant. Recentiores eas collectas in volumen redegerunt, atqve has figmentorum congeries Eddæ & Voluſpæ nominibus affecerunt, qvæ ab annis circiter ſexcentis, ad hanc diem ſervatæ ſunt.* Sufficienter ad iſta laudatiſſimus Bartholinus dicto loco reſpondit, eoqve ulteriori horum refellendorum labore alios levavit; non nihil tamen adjiciam. Qvod ad fabulas Eddicas attinet, veriſſime dicitur, colonos Norvegiæ & ingenium & illas in Islandiam ſecum importaſſe. Sexcentis itaqve annis antiqviores ſunt. Iis autem comminiſcendis & augendis Islandos poſtea animum applicuiſſe, ideo minus puto, qvod ſingulæ odæ, eundem poeſeos genium, eandem ſenſus occultandi artem, eandem methodum, eundem verborum delectum præ ſe ferant. De illis odis loqvor, qvæ ex profeſſo illum orationis intricandæ ſcopum ſibi proponunt, ut cum verborum corticem, ferrea duritie obvolutum, deſperando pene labore fregeris, nucleumqve guſtaveris, qvid ſapiat, ne tum qvidem aſſeqvaris. Dabo unum exemplum à qvo cetera capias: Brynhildis Budlina, procum Sigurdum Fafneticidam edoctura, præmiſſo pleno majeſtatis prologo,

ubi ad ultimam ſpeciem pervenit, Runas cardiales inciſas retulit Arvakri auri, & Alſvidi ungulæ. Qvid iis ſignificet, Eddæ mythologia nona abunde docet; his nimirum nominibus eqvos, qvi currui Solis præfiguntur denotari. Adhuc tamen obſcurum eſt, qvid ſibi inciſæ auri & ungulæ Runæ velint. Conſului aliqvando de hac re poetam in patria lingva incomparabilem, Dn. Hallgrimum Petræum Eccleſiæ primum Hvalsneſenſis in Islandia me puero presbyterum, exinde paræciæ Saurbæenſis, ad ſinum Hvalfiord, paſtorem digniſſimum, ſenem nunc pie mortuum, qvi pietate, doctrinâ, ſententiisqve refertisſimos in univerſam Chriſti paſſionem hymnos admirabili vena compoſuit, typis in patria vulgatos. *Arvakur*, reſpondit, *& Alſvidur, matutinus & optime moratus (id nomina ſignificant) Solis eqvi ſunt. Per aurem, qvæ in eqvo ſummum, & ungulam, qvæ imum, auroram & crepuſculum, temporum momenta, Sole oriente vel occidente, Runis cum effectu incidendis accomodatiſſima, denotat, hac metalepſi occultata.* Qvod ſi his talibus recentiores, qvæ ipſi excogitaſſent adſuiſſent, valde vereor, ne illum tenorem aſſeqvi potuiſſent. Qvin longe facilius rem difficillimam aggreſſi, Homeri verſum in aliam materiam ſine ulla decoris jactura tranſtuliſſent, id qvod Virgilius æqve difficile pronunciabat, ac ſi qvis conaretur Jovi fulmen extorqvere. Temere itaqve de ignotæ gentis exercitiis, ut & myſteriis fabulis hiſce reconditis, primisq; in ſeptentrionem translatis coloniis antiqvioribus, qvorum ne corticem unqvam delibabat, ſententiam præcipitabat Huetius. Qvod vero recentiores iſta in juſtum volumen congeſſerint, iis vitio vertendum non erit, qvum reprehenſionis notam, & qvidem ſeveriorem, aliàs non effugiſſent. *Sincerius*

Hue-

Huetio, ait *Bartholinus* citati operis pag. 194. *de nobiliſſimis antiqvitatis Ethnicæ monumentis, Edda utraqve, qvi eas accurata enucleavit lima, judicat* Robertus Sheringhamus, *de Anglorum gentis origine Cap. 12. vocans Eddam monumentum antiqviſſimum, qvod theologiam, religionem, plurimasqve antiqvitates Gothorum & Anglorum exhibeat. Tunc acrius in lau-*
"*des ejus inſurgit:* In ipſis vero fabulis, nihil aut parum
"ineſt qvod vitiatum aut mutatum videatur, multa etiam
"ut in fabulis Homeri, Heſiodi & Græcorum vera eſſe
"creduntur. Et meretur omnino integrum hic adſcribi exactum Doctiſſimi illius *Sheringhami* judicium ex Notis ejus ad prædictum Caput XII. citati libri pag. 265. qvod ſcriptum iſtud aureum, paucis apud nos cognitum, pauciorum adhuc manibus teratur: Primam
"illam Eddam, ait, cujus ea, qvæ nunc extat, exigua
"qvædam pars eſt, Aſarum aliqvis, ut creditur, ſtatim
"poſt prædictas migrationes compegerit, dum recens
"adhuc calensqve rerum geſtarum memoria fuit. Un-
"de authoritas ejus magni pendenda eſt, cum author
"omnium conſcius erat, qvæ a Wodeno cæterisqve
"Aſis agebantur. Sæmundus certe aut Sturlæſonius fa-
"bulas Eddicas de ſuo ingenio nunqvam finxerint. Sed
"ab antiqvioribus acceptas, poſteritati transmiſerint, ut
"patrias antiqvitates ab interitu conſervarent. Certe ſi
"Edda non fuiſſet, majorum noſtrorum facta obſcurita-
"te & caligine obruta oblivioni traderentur. Nam ad hi-
"ſtoriæ ſeriem inutilis ut ſit, in eadem tamen eorũ Theolo-
"gia, religio, mores & conſvetudines veriſſime deſcribun-
"tur. Antiqvitatem inſuper Eddæ multa teſtantur, illud
"imprimis, qvod circa tempora iſta, qvibus Wodenus
"boreales plagas adiit, omnis hiſtoria fabulis involuta e-

rat

rat. Haud procul hâc ætate Homerus vixerit, qvi bel-“
lum Trojanum, & Ulyſſis errores fabulis & allegoriis “
expreſſit. De fabulis & allegoriis Homeri librum ſcri-“
pſit Heraclides Ponticus, qvi hodie extat, qvibus eum “
a detractoribus qvibusdam liberare conatur, qvi illum “
fabulas iſtas pro veris hiſtoriis edidiſſe clamabant. Ex “
antiqvis Heſiodus qvoqve, & poſt illum Olympiodorus “
genealogias Deorum, & alii multi alias hiſtorias fabu-“
lis velârunt, qvas veteres olim omnes ad Theologiam “
& Deorum naturam explicandam, ad Philoſophiam pa-“
riter, & clarorum virorum res geſtas illuſtrandas ma-“
xime utiles habilesqve putarunt. Saluſtius Philoſophus “
de Diis & mundo Cap. III. *Qvamnam igitur ob cauſam hiſ-*“
ce ſermonibus neglectis, veteres fabulis uſi ſint, non indignum “
fuerit inveſtigatione: & prima ex fabulis utilitas progignetur, “
inveſtigare nempe, nec ſegnem, ſed exercitatum intellectum “
habere. Divinas itaqve fabulas eſſe ex illis, qvi eas uſurpa-“
runt, explicatu non admodum difficile eſt. Ex poëtis enim, “
numine afflati, & ex Philoſophis optimi qviqve, & qvi ſacra & “
cæremonias divulgarunt; Dii etiam ipſi in fundendis oraculis, “
fabulis uſi ſunt. Ne gentilium ritibus diutius inſiſtam, ipſi “
Hebræi magnam Theologiæ ſuæ partem fabulis obdu-“
xerunt, qvibus ſcripta Talmudica ubiqve ſcatent. Para-“
bolis etiam & allegoriis ipſa ſacra ſcriptura abundat, qva-“
rum partem aliqvam ex parabolis & allegoriis Talmudi-“
cis decerptam eſſe, nos in præfatione noſtra ad Iomam “
monſtravimus, an omnes, curioſius rimari nolo. Id ſa-“
ne non eſt inveriſimile, nec magis id Chriſto indecorum, “
qvam ex ſacrá ſcriptura aut ratione conciones & dicta “
ſua confirmaſſe, cum in illis prudentia inſignis, & in-“

"temerata veritas exiſtat, qvibus ſub fictis perſonis, re-
"busqve non geſtis, reconditus ſenſus, latet. Atqve id
"forte inſtituto Chriſti convenientius, ut ſcribas & Pha-
"riſæos antiqvis, notisqve, potius qvam novis, & à ſe
"ipſo excogitatis parabolis reos perageret, ut qvos ſuâ
"non poterat, rerum ſaltem ipſarum authoritate vince-
"ret. Qvi tametſi Deus eſſet, & inexhauſtos ſapientiæ
"theſauros poſſideret, id tamen a Iudæis non eſt vulgò
"creditum. Cum igitur condendarum fabularum con-
"ſvetudo illa tam vetus fuerit, & nuperis, niſi in qvan-
"tum veteribus utantur, prorſus inſolens, magnam eſſe
"Eddæ authoritatem, negare non poſſumus. Scripſe-
"runt nuperi apologos qvosdam, id eſt fabulas, qvibus
"bruta animalia introducuntur, & fabulas etiam, qvi-
"bus hominum actiones moresqve, tectis fictisqve no-
"minibus exprimuntur; ſed qvales in Edda ſunt, qvales
"apud Homerum, Heſiodum & veteres, qvibus religio
"gentis, Heroum genealogiæ & res geſtæ, propriis ip-
"ſorum nominibus recenſentur, nemo forte niſi ante bis
"mille ab hinc retro annos ſcripſerit; recentius licet non-
"nulli, ut Apollonius Rhodius, Cointus Smyrnæus, Va-
"lerius Flaccus & alii fabulas antiqvas interpolârunt,
"& novis qvaſi veſtibus ornarunt. De antiqvitate por-
"ro fabularum apud Gothos, lubet Iornandem atteſta-
"ri, imperatoris Iuſtiniani ætate celebrem Gothorum E-
"piſcopum. Refert is Gothos antiqvis fabulis uſos (Ed-
"dicas ni fallor intelligit) iisdemqve genealogias ſuas
"conſervâſſe. Sic enim ille de Amalorum profapia Rer.
"Getic. cap. 14. *Horum ergo (ut ipſi ſuis fabulis ferunt) pri-*
"*mus fuit Gapt, qvi genuit Halmal, Halmal vero genuit Augis,*
"*Augis genuit eum qvi dictus eſt Amala, a qvo & origo Ama-*
lorum

lorum decurrit. Iornandes in hoc loco veram Amalo- "
rum proſapiam, licet ex fabulis deſumptam attexuit, ut "
ſuperiore capite ſatis clarâ aſſeveratione ipſemet affir- "
mat, plurima enim ſunt fabularum genera, qvæ men- "
dacia dici non poſſunt; Rumores vulgi, qvamvis veri, "
qvandoqve fabulæ vocantur, itemqve comœdiæ, Tra- "
gœdiæ, Parabolæ, *Allegoriæ* & ænigmata fabulæ ſunt, "
qvæ non corticibus verborum hærentem, ſed intus la- "
tentem, clauſamqve veritatem exhibent.

Nunc de Vilhialmi Siodi vita nonnulla monebo. Is Richardi cujusdam, Angliæ Regis, filius fuiſſe perhibetur, qvi peregre profectus, a Trollis ſev monſtroſis gigantibus antrum qvoddam incolentibus, interceptus, captivusqve detentus fuerit, ac cum aliis Regibus pariter captis, ad arbitrium Trollorum, ſpectaculi gratia, ludum, *Skinnleik* dictum (qvo ludentes alternatis ictibus, ſe invicem flagellis inceſſere tenebantur) qvotidie nudus exercere compulſus. Proceſſu temporis, qvidam ex *Trollis iſtis in Angliam transfretaſſe* dicitur, ac cum captivi Regis filio Vilhialmo, ad ludum latrunculorum, ſeu Schackidis provocato ea lege luſiſſe, ut victus colluſoris juſſa exſeqvi teneretur. Regis itaqve filio tandem ſuperato, gigas iniunxiſſe fertur, ut intra definiti temporis ſpatium, omnium Trollorum nomina, iis audientibus coram velut ex nomenclatore recitaret, (recenſum autem illum Trollis fatalem fuiſſe.) Hinc Vilhialmum poſt longos *itinerum* viarumqve anfractus, laborumqve tædia tandem ad memoratum antrum perveniſſe, ac ſingulorum nominum indicem, ſacro ad id usqve tempus ſilentio conditum, & velut Angeronæ Deæ conſecratum, percepiſſe, abſtruſæ virtutis aurum ori pueri gigantei

ingerendo, qvo ad immenſos ploratus profuſioresqve lacrymas provocatus puer, nullum niſi gigantum nomenclaturam ſolamen admittere voluerit. Matrem itaqve medicinam laboranti filio adhibituram, ſingulorum nomina retexiſſe, qvæ Vilhialmus, ipſe crypta qvadam non procul abditus, exceperit, atqve protinus clara voce recenſuerit. Qvibus Trolli auditis mox furore perciti in mutua vulnera mortemqve ruentes, ſe invicem confecerint, Rege Richardo cum ſociis calamitatis a filio libertati ſortiqvè priſtinæ reſtituto.

Planum eſt captivitatem Richardi, id nominis primi, Angliæ Regis, his involucris contineri, qvi profectus in Syriam, obſeſſa captâqve Ptolemaide, Cyprum inſulam, titulo Regis Hieroſolymitani permutavit, urbemqve ipſam longa obſidione preſſit. Verum cum expugnata Ptolemaide, Leopoldum Auſtriæ Ducem; cujus ſigna muris dejecit, offendiſſet, in reditu, dum tranſitum per ditionem ejus molitur, captus, ad imperatorem Henricum deductus, atqve in carcerem conjectus eſt, ubi menſes qvindecim exegit, donec ingenti æris ſummâ à populo Anglicano redimeretur. Carcerem auctor noſter antro aſſimilavit, haud illepidè; calamitatem ludo, qvem deſcripſi; Cæſaris aulam Trollis ſeu gigantibus, qvod menſuram modumqve aliorum excedat. Per nomina gigantum occultata, maloqve eorum nudata, avaritiam intelligit, qvod avari haberi nollent; ſed ubi ſatiati pecunia, qvam unice eſuriebant, Regem dimiſerunt, appareretqve reverâ tales fuiſſe, concidit tota eorum vis & potentia in eum, eoqve ſibi invicem manus intuliſſe dicuntur. Per filium Regis cives ejus, populusqve Anglicanus adumbratur, id qvod nomen denotat. *Vilhialmus* enim

enim, licet primariam ſignificationem ex Odini nomine *Vili* traxerit, tamen per *faventem galeam* explicari poteſt. Sic cognomen *Siodus*, *theſaurum* ſignificat, qvi in redemtionem impenſus eſt. Colluſor filii Regis, Legatus, ad imperandam pecuniam a Rege Richardo miſſus, intelligitur.

Conſimilis fabulæ de Henrico Leone, Bavariæ Saxoniæqve Duce, peregrinationis ejus & cognominis occaſione effictæ, meminit *Crantzius* Saxoniæ Lib. VI. Cap. XXXIIII. & Lib. VII. Cap. VIII. ut ſcilicet errabunda navigatione diu jactatus, ſocios inedia vel alia occaſione amiſerit, corio inſutus per gryphum deportatus fuerit, & leonem cum dracone pugnantem liberaverit, qvi exinde Principem in Germaniam ſecutus, demortui ſepulcrum cuſtodierit. Qvæ hoc loco commemorare eapropter convenit. qvod de leone à Vilhialmo liberato, illiusqve in ſoſpitatorem ſuum fide, dicta Vilhialmi vita ſimilia ferè referat.

Talia in Islandorum monumentis ſæpius fortè occurrunt.

CAPUT III.

De fabulis Islandorum.

Secundum confictarum narrationum genus, a fabulis Eddicis diverſum, animi qvidem gratia, ad levanda laborum temporisqve tædia moleſtiasqve excogitatum eſt. *De talibus* aſſertio eſt *Verelii*, Not. ad hiſtoriam Gothrici & Rolfi pag. 4. qvod ſoleant *fictarum narrationum auctores, ingenue fateri, fabulam compoſitam eſſe: til skemtunar oc gamans* (ɔ: ad exhilarandos auditores, tempusqve fallendum) *ut auctor Hugons Sagæ.* Qvod tamen

ubiqve non obtinet. Nec omninò conſtat, an *Herraudz Siga*, qvam his talibus exemplum opponit, id qvod in limine promittit, etiam in proceſſu præſtet. Auctor illius ab hoc procemio narrationem orditur: Sa-
“ga þeſſi hefz ecki af lokleiſu þeirri ſemkatir menn ſcrau-
“kva ſer til ſcemtunar oc gamans, helldr ſannar hon ſic
“ſialf med rettu ættar tali oc fornum ordzkvidum, er
“meñ hafa iþuliga af þeſſum hlutum ſem i þeſſu æfin-
“tyri ero ſcrifadir. h. e. *Hiſtoria hæc haudqvaqvam ex illa vanitate concinnata eſt, qvam jocoſi homines fingunt, temporis terendi ſeqve oblectandi gratia, qvin vera deductione genealogica & rerum hac hiſtoria perſcriptarum, proverbiis priſcis, qvæ ſemper hic citari ſolent, ſe ipſam ſatis probat.* Qvaſi vero arduum ſit vel genealogias confingere, vel priſca proverbia fictæ narrationi inſerere. Id qvoqve hic ſuſpectum videri poterit, qvod ipſe auctor fidem ſibi ſuo ſtylo præſtruat. Interea totam hanc narrationem confictam eſſe temere non ſtatuam, nec ad hanc claſſem referam.

Eſt autem fabularum hocce genus, de qvo nobis ſermo, vel artificioſum, vel plane rude & inſulſum. Artis opus præcipuum cernitur in contextu vitæ Bardi cujusdã Snæfellzaſs, qvæ tanta ueriſimilitudine vel ficta vel texta, ut etiam in ea eviſceranda oculatiſſimi *Arngrimi* oculi caligaſſe videantur, ubi Crymogeæ Libro II. Bardum huncce inter ceteros reipublicæ Islandicæ conditores aborigines, familiâ ejus ceteris genealogiis præmiſſâ, retulit. Eam tamen ſuſpectam poſtea habuiſſe ex eo colligitur, qvod in Specimine Islandiæ, ubi de origine gentis, prædiorumq; fundatione ex profeſſo tractat, nullam Bardi ſociorumve ejus mentionem faciat. Qvin & *Ario Polyhiſtori*, qvi hæc de induſtria exſeqvitur, ceteriſqve Polyhiſtoribus, *Kolskeggo* ni-

mirum, *Sturlæ* legifero, *Styrmero* multæ lectionis, & qvi horum omnia collegit, *Hauko* Legifero nihil de hoc Bardo conſtitiſſe videtur. Coloniarum enim ſeriem, primosqve tractus iſtius incolas, prædiorumqve nomina, & unde evenerint, ex fide recenſent, omnia iis repugnantia, qvæ Biographus ille tradidit; qvos ſummæ auctoritatis ſcriptores cum in dicto Specimine Islandiæ ſecutus ſit Arngrimus, non potuit non animadvertere ſcripti hujus impoſturam, etiamſi aliis iſta indicare, ſuaqve priora retractare neglexerit.

Non eſt mihi propoſitum, ſive hoc, ſive alia idgenus ſcripta ad ungvem examinare, ſingulaqve malè cohærentia elicere & publicare; id enim eſſet opus non unius voluminis, nec in publicum utile, cum plurima eorum nec in alias lingvas translata ſint, nec in patria qvidem impreſſa. Pauca de memorata vitâ addam, tametſi ex dictis auctoritatem illi ſatis derogatam arbitror.

Bardus natus perhibetur annos decem, cum ad Dofrium *gigantem educandus miſſus eſſet ubi octennium remanſit*. Paulo poſt ejus diſceſſum dicitur Haraldus Pulchricomus, Norvegiæ primus Monarcha, puer qvinqvennis, in nutricatum ejusdem Dofrii receptus. Natus autem, ſive anno gratiæ DCCCLIII, vel anno poſterius; octodecim ergo annis ætatem ejus Bardus antevertit, natus anno DCCCXXXV, aut eo, qvi proximè ſeqvitur. Superaſſe autem fertur fere usqve ad Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis tempora, ut CLX circiter annos vixerit; Qvod etiamſi aliorum exemplis fulciri posſit, indubitatam tamen fidem non meretur. Adhuc minus conſiſtit, filiam eius Helgam, liberorum natu maximam, ex priore conjugio, & qvidem in monte Dofrino, ante

ante annum DCCCLIX, uti haud obſcure indicatur, anno DCCCCLXXXIII, cum pueriles ludos ad ripam maris exerceret, in glaciem, qvæ ſæpius littora Islandiæ obſidere ſolet, detruſam, ferente vento in Gronlandiam intra ſeptem dies provectam, Erici Rufi, qvi unicum tunc annum Gronlandiam incoluerat, hoſpitio receptam fuiſſe, & tunc qvidem formâ adeo ſpecioſâ, ut illam famigeratiſſimus athleta Skeggius de Midfiordo deperiret, ætate ad minimum in annum CXXXVIII. producta. Qvid memorem Trollorum, ex omnibus inſulæ Islandicæ antris anguliſqve in cryptam giganteæ fæminæ Hitis ad convivium evocatorum, monſtroſum conſeſſum? qvid potulenta, ibidem affatim exhibita? cum idgenus monſtra, nullos agros, qvos ſererent, nullas, qvas meterent fruges, nulla horrea haberent, antris qvippe, uti fabulantur, mancipata. Sed nec ſpecus iſta, (qvam ipſe ingreſſus luſtravi) vel unius gigantis capax eſt, nedum tot Æthnæorum fratrum ſororumqve, aut tanti apparatus. Taceo Solrunem virginem ex Gronlandiæ prædio Solarfioll appellato, trans vaſtiſſimum mare, non navigiis, ut credo, ſed magicis artibus in Islandiam travectam, a gigante Kolbiorno raptam, qvo mendacio nihil crudius excogitari poteſt; ut de itinere Geſti Bardi filii, in ſuppolarem regionem ab Olafo Tryggvino Norvegiæ Rege miſſi, nihil dicam. Id certe optimo Regi turpiter affictum eſt, duos ab eo comites Geſto datos veneficos homines, Vejovis ſacrificulos, qvod genus hominum ille, qvantum potuit, delevit & exſtirpavit, Chriſtianæ religioni plantandæ, unicè deditus. Occurrunt hic, fateor, nonnulla, cum *Libro Originum Iſlandiæ* convenientia, ſed qvæ huic ſcripto, ad fidem fuco conciliandam, inſerta eſſe adparet. Nec loca, qvæ à viris mulieri-

bus:

busq́; inibi deſcriptis, eadem nomina ſortita eſſe memorantur qvæ hodieq́; tenent, rem magis confirmant. His enim, me judice, tota narratio ſuperſtructa eſt; ut cum extent: Canticorum antrum, Bardi lavacrum, Kneiſæ promontorium, & plura ejusmodi; Bardum hunc, ejusqve comites, à qvibus hæc loca denominationem acceperint, auctor finxit. Adde qvod Biographus hicce à veterum ſcriptorum nullo allegetur, id qvod ejus fidem non mediocriter elevat. Jam vero parentes, qvi illi tribuuntur, facile fucum produnt. Dumbi enim filius fuiſſe dicitur, à qvo mare Dumbicum, *Dumbs-haf* nomen traxerit. Id vero, ſi illo primum tempore ab eo ſit denominatum, mirum tantillo tempore tam celebre factum eſſe, ut ſub initia cultæ Islandiæ, eodem fere tempore, omnibus nomen illius innotuerit. Helgius enim Macer, Aboriginum unus, Hæbudis in Islandiam navigans, cum oraculo Thoris moneretur, ne à præſcripto curſu declinaret, à filio interrogatus eſt, *num & in mare Dumbicum navigaturus eſſet, ſi Thor juberet.* Mater qvoqve Bardi Mioll appellatur, filia Snæris Antiqvi, Qveniæ Regis; qvi, uti in aliis venerandæ antiqvitatis documentis dicitur, Noris, qvi Norvegiæ de ſuo nomen impoſuit, (&, ut ego hinc colligo, Visburis, Sexti Sveciæ Dynaſtæ,) avus fuit; cum tamen Bardus, poſt annum demum ſalutis DCCCL. natus tradatur. Sed de hoc commento ſatis actum eſt.

Cum Bardi vita pari paſſu Kroka Refi hiſtoria mihi videtur ambulare. Tantam qvidem auctoritatem ac fidem ei tribuit vir in antiqvitatibus patriis non malè verſatus, Poëtaq́; in utraq́; lingva feliciſſimus, *Magnus Olafi*, qvondam Laufaſenſis in Islandia Paſtor, ut dignatus fuerit logogryphos illos confictos, qvi ibi leguntur, commentario

illuſtrare in Lexico ſuo Runico, qvod Celeberrimus *Olaus Wormius* poſtea edidit. Sed non animadvertebat ea, qvæ conjector ænigmatum, Rex Norvegiæ Haraldus Strenuus, ex conſvetudine Islandorũ explicaſſe dicitur, non Islandis magis qvam Norvegis in uſu fuiſſe. Conſule, ſi placet, vocẽ *viglyſing*, & inibi voculas *ſaupſattir*, *ſtorkeralldat*, *fagrragnadi* & *vodvirkt*, in qvibus enodandis minime opus erat ad Islandorum ſive uſum ſive idioma provocare, cum hæc ipſis cum Norvegis cõmunia fuerint. Rerum Norvegicarum ignorantia hunc virum ſane egregium, imò ipſum commenti architectum, decepiſſe videtur. Sed propius ad ipſum opus oculos admoveamus. Extra Islandiam ſcriptam eſſe hanc hiſtoriam, initium illius ſuggerere videtur, ,, qvod tale eſt: A dogum Haconar Konungs Adalſteins ,, Foſtra bio ſa maþr ut a Islandi a Kvennabrecku er ;, Steinn het. h. e. *Tempore Haconis Adalſteini alumni, in exteris* (ſive *peregrè*) *in Islandiâ prædium Kvennabreckam inhabitavit pater qvidam familias nomine Steinn.* His operis auctor perſvadere conatus eſt, illud in Dania aut alibi contextum eſſe & conſcriptum, idqve ipſo Refo vivo, ex conſilio avunculi ejus, Geſti Oddleifi filii, Sapientis dicti, qvi diſcedenti à ſe Refo injunxiſſe dicitur, ut geſta ſua, qvæ memorabilia fore jam animo præſagiebat, ſcripto prodi curaret. Novit forte Arium Polyhiſtorem omnium primum, qvi in Islandia hiſtorias conſcripſerit, vulgo haberi; Cujus ætatem cum hanc hiſtoriam, qvam Refo vivo conſcriptam eſſe omnino perſvadere voluit, ea ratione longè ſuperare animadverteret, qvaſi extra Islandiam ſcriptam proponere conſultum duxit. Sed facile fucum produnt dictio & ſtylus, diverſa ab iis monumentis, qvæ ſive in Dania, ſive Norvegia concinnata ſunt. Ex adverſo idioma Islandi-

cum,

cum, omnino incorruptum, intra Islandiam conſcriptam eſſe arguit; non tamen ante Arii tempora; vetuſtiorem enim genium ejus dictio præfert.. Cum itaqve nec extra Islandiam, nec ante Arii tempora in Islandia ſcripta ſit, pro genuina haberi non poteſt, qvippe qvæ auctoritatem ſuam ipſa ſubvertit.. Res qvæ traditur, à nullo alio ſcriptore, qvorum mihi magna copia, memoratur, ſed nec, qvod ſcio, ipſius Kroka Refi nomen.. Addo & tam aliena à ratione hic proponi, ut figmenta vel palpari poſſint.. Etenim, ut illi, qvi Homerum cæcum natum perhibent, cæcitatem ſuam prius produnt, qvam ſe vera tradere perſvadent, (nec enim tanta rerum peritia, regionum locorumqve cognitio, ab homine, æternis tenebris damnato, expectanda eſt, qvam Homeri ſcripta oſtendunt) ſic, qvi ab educatione Refi, culinam nunqvam egreſſi, nec rebus addiſcendis ſatis apti, tantas virtutes artificiaqꝫ ſtatim educunt, qvalia hìc deſcribuntur, res ſuas haud ſatis conficiunt. *A prima juventute ad focum proſtratus, in cineribus juxta lebetes ollasqꝫ ſe volutans*, nulla ſanæ indolis ſigna dabat, fatuus ab omnibus judicatus, tanqvam indocilis ſpretus, ne occaſionem qvidem ullius rei addiſcendæ acceperat, qvam nec parentes deſperato ingenio adhibendam cenſuerunt.. Nihilominus derepente artifex, navem, cujus ne ſpeciem unqvam viderat, ad parvæ mercenariæ navis, in puerilem uſum factæ, exemplar ſeu ſimulachrum formavit & extruxit; mox ædificia, caſtella, & aqvæ ductus, ad qvos ipſe Dædalus obſtupeſceret. Qvod ſi ætatem ejus exactius computaverimus, innuit auctor eum tempore Haconis Adalſteini alumni natum, qvi anno DCCCC LXI. vita exceſſit. Haraldo tamen Strenuo Rege, qvi anno MXLVI, ad ſceptra Norvegiæ provectus eſt, poſt annos

nos LXXXI. & amplius, barbam ſibi caprinam affixiſſe, atqve ſub hac larva, ſenectutem ſimulando latuiſſe dicitur. Nihil dicam de domicilio, in extrema Gronlandiæ in boream protenſæ ſolitudine tot annis electo, qvaſi nulla amœnior habitatio ſuppeteret, nullus locus, ſive ad conqvirenda qvibus indigebat, ſive ad ſocietatis commoda commerciaqve, tum publica, tum privata, aptior, qvam perpetua nive damnatus frigidæ zonæ angulus. Qvin & ridiculum eſt, qvod traditur de longo illo, per defoſſas ſub terra fiſtulas, aqvæ ductu, qvæ in caſtrum canaliculatim derivata admotos ignes jugi fluxu ſopiret. Nam ſi hyberno tempore ad habitaculum ejus per conſtrictos glacie ſinus, itinere commodiſſimo provecti hoſtes, oppugnationem tentaſſent, nihil ab aqvis *iſtis* præſidii ſperandum erat. His argumentis perſvaſus, ſcriptum illud omnino ex hiſtoriarum albo expungendum, adqve inutiles fabulas relegandum cenſeo.

Sunt eqvidem plura ejusdem generis, ſed non eſt mihi hoc loco propoſitum ea omnia evolvere. Ad ſecundum fabularum genus progrediar, fatuum nempe illud & plane ruſticum; in qvo nihil ſanum, nullus lepor aut artificium. Iſtas fabulas *Bartholinus* poſteriorum ſeculorum Islandis adſcribit, ſeculumq́ illud *infeliciſſimum* jure appellat, qvo pura puta figmenta, rudes homines, & hiſtoriarum & rituum cognitione vacui, pro veris obtruſerunt. Tot enim enormia monſtra, ſuo crebro concepta geſtaqve, tandem infelici partu, obſtetricante Moria, enixi, in ſtultiſſimi cujusvis nutricatum ſinumqve effuderunt, ac per univerſam ſuam patriam ſparſerunt, ut prope infinitus horum numerus, & omnino erubeſcendus ſurerſit. Nec tamen qvenqvam inter doctos tam obtuſi ingenii fuiſſe cre-

dide-

diderim, qvin adulterinos illos fætus facile agnoverit, falſaqve à veris monumentis nullo negotio diſcernere potuerit; præſertim qvæ ineptiſſima: uti ſunt ea, qvæ de Eirico illo peregrinatore, Paradiſi ſedulo inqviſitore repertoreqve circumferuntur: de Ione Limatore, qvi montes limâ terebrabat; de Sveno, monachi cujusdam filio, qvi uno jactu arborem tam longè protruſit, ut expedito rectà proficiſcenti triennium ad aſſeqvendum conficeretur; de Conrado Germaniæ Cæſaris filio, qvi terram, ſolis ſerpentibus *habitatam* ingreſſus, illorum generis Regem coronatum, nec niſi feſti Pentecoſtes prima die dormientem, offendit; de Bove Brandkroſſo, qvi ex Islandia, per vaſtiſſimum æqvor, in Norvegiam enatavit; & id genus alia vaniſſimorum hominum putidiſſima deliramenta, qvæ commemorare pudet. Hæc tamen ab ejusdem furfuris hominibus alacriter arrepta, aliis animum & audaciam, imò alacritatem, ad plura ejusmodi comminiſcenda addiderunt. Nec *defuere, qvi talibus in rhythmos* transferendis vanam operam *impenderent. Hinc* ingentia volumina qvisqviliis hiſce repleta, ſubactioris licet ingenii hominibus inviſa ſemper & contemta, in ſinceriorum documentorum dedecus & opprobrium adhuc ſuperſunt. Cujus & generis eſt Amlodi ſeu Amlethi vita, (qvam per longum tempus magno ſtudio qvæſitam, ante aliqvos annos primum conſecutus ſum) conficta, ut apparet, poſt Tamerlanis tempora. Nam qvæ de eo & Bajazethe aliàs traduntur, huc congeſta ſunt. Ita pruritus decipiendi, Islandos qvoq;, gentem ceteroqvin ſimplicem, ſed fecem tantum illius, inceſſit.

CAPUT IV.

De fabuloſis Islandorum monumentis.

Fabulis ſuccedant hiſtoriæ, ex veris principiis deſumtæ, ſed figmentis interpolatæ. Earum qvoq; genus duplex eſt. Nam aut ſparſæ per univerſum opus fabulæ, tum perſonas, tum etiam geſta usqve adeo confundunt, ut haud facilè diſcerni qveat, qvid factum, qvid fictum, qvid huic, qvid illi perſonæ, nominis licet communione conjunctiſſimæ, geſtorum tamen gloriæqve ſocietate disjunctiſſimæ, competat; aut certis tantum locis inſertæ, nullo negotio dignoſcuntur, qvippe qvæ à cetero contextu alienæ, argumentum qvod tractant neqvaqvam perſvadent. Inter ea monumenta, qvæ rebus verè geſtis fabulas ubiqve indiſcriminatim ingerunt, Thorſteini Vikingii, Gothrici & Rolfi, ac Herraudi & Boſii hiſtoriæ numerari merentur. *Diverſorum hominum geſta confundit, uniqve ſoli applicat Orvaroddi vita. Cui* & adjungi meretur Ragnaris Lodbrochis vita, ratione eorum, qvæ de Lodbrochis filiis confuſè inibi narrantur. Fabulis, ſed qvaſi ſeparatim poſitis, ac itaqve à vero facilè diſcernendis, Olafi Tryggvini & Olafi Sancti hiſtoriæ non carent, qvæ tamen nobis alias claſſicæ ſunt. Et certè ad hanc ultimam claſſem noſtrorum monumentorum permulta jure referri poſſunt, cum in eorum plurimis fabularum nonnihil occurrat, ſed qvod ſine labore à veris eorum aſſertis dignoſci poteſt.

Ad Thorſteini Vikingii vitam, à Reenhielmio in Svecia evulgatam, qvod attinet, nos paulo mitius de ea ſenti-

endum

endum putamus, qvam exiſtimavit *Bartholinus*, qvi Antiqvitatum Danicarum lib. II. Cap. I. omnes hiſtoriæ notas ei adimendas judicat. Fatemur qvidem multa illic planè abſurda tractari, & Indiæ mentionem, profectosqve illinc pugiles, lingvæ commercio Svecis familiares, inſaniam auctoris, ſi ita ſcripſerit, ſatis arguere. Sed veriſimile eſt, pro aliqva Norvegiæ, Gothiæ aut Sveciæ provinciâ, nominis ſimilitudine deceptos librarios, *Indiam* ſcripſiſſe, cui conjecturæ favet, qvod *Indiæ* (ut ibi habetur) Regis filia, *Jarnberia* (ita enim meum exemplar, ubi in Reenhielmii editione pag. 15. *Marſia* extat) Regulo nupſiſſe dicatur, qvam provinciam Svedicæ ditionis eſſe omnes norunt. Niſi qvis ſtatuere malit, Indiæ appellatione vicinas Aſiæ terras noſtris intellectas; id qvod *Plinio* forte lucem adferre poteſt, qvi *Cornelii Nepotis* auctoritate lib. II. Cap. 67. ſcribit Svevorum Regem Metello Celeri, tum Galliæ Proconſuli, Indos ex patria commercii cauſa navigantes, tempeſtatibus ad ſe abreptos, dono dediſſe. Qvicqvid illius ſit, de Thorſteini exiſtentiâ abundè teſtantur genealogiæ, graduumqve in paterno & materno illius genere æqvalitas, ut & eorundem à communi ſtirpe usqve ad illius æqvales par ratio. Thorſteini pater Vikingus natus eſt Eimyriâ, qvam peperit Gloda, filia Alfvoris, cujus frater Alfus Grandævus, ſecundum *Thorſteini vitam*, Bryngerdem Raumi Raumarikiæ Regis filiam in matrimonio habuit. Raumum Nore Norvegiæ Eponymo natum eſſe *Origines Norvegicæ* teſtantur, qvæ & Alfum illum Grandævum, Raumi non generum, ſed filium fuiſſe verius fortè perhibent. Thorſteini matrem vita illius Finnam vocat, filiam Refilis,

lis, neptemqve Mæfilis piratæ. Mæfilis pater *in Originib. Norveg.* Meitius nominatur, filius Goris, qvi Noris Norvegiæ Eponymi frater fuit. Thorſteini uxor Ingibiorgis Skatio Sogniæ Regi prognata eſt, Skatium Eckill genuerat, Eckilem Myndill, Meitilis filius. Meitill iſte abſqve omni dubio ille eſt, qvi in *Originibus Norvegiæ* Meitius dicitur, & prædicti Goris filius fuiſſe perhibetur. Thorſteinus itaqve ſex gradibus Nore inferior eſt; Idem cum uxore ſuâ qvinqve generationibus à Gore, Noris fratre, deſcendit; qvæ ſecum invicem optimè concordant, cum figmenta utplurimum nec ſecum invicem nec cum aliis documentis convenire ſoleant. Ceterum illa, qvæ de monſtroſo gigantum habitu, nanisqve & variis præſtigiis in dictâ hiſtoriâ memorantur, à vanis hominibus adjecta eſſe nemo negabit; ſi modo ea ſecundum verba intelligenda ſunt, & non, aliarum vetuſtatis fabularum inſtar, ad alium ſenſum trahenda. Qvicqvid ſit, longe melius ejusmodi ſcriptores feciſſent, ſi, remotis fabulis, res geſtas ſincerius literis mandaſſent, nec tantam earum partem ad damnatos genios, virtutesqve magicas retuliſſent. Etenim dum res monſtro ſimiles, (qvales in hâc Thorſteini Vikingii vitâ de Kolo qvodam Krappio, Diſa Lycantropa, Ingialdo Trana, Ogautano, Ingibiorge filia Regis Skatii, Otulfaxio, Sindrio Pygmæo, & Joculle Niorfi filio copioſe deſcribuntur) tam prolixè commemorant, ſuſpectos ſeſe faciunt, hoc præcipuè ſeculo, ubi talia exiguam fidem inveniunt, licet ea in commentariis ſuis *Reenhielmius* illuſtraverit, adductis non ſolum multis ex rerum Septentrionalium ſcriptoribus exemplis, ſed etiam extraneorum teſtimoniis, qvi ſimilia

ad-

adferunt. Et certè cui indubiè perſvaſum eſt, immortales illos genios, & tanta poteſtate præditos eſſe, qvanta in his monumentis deſcribitur, & mortalibus ad talia obſeqvia vel pronos vel mancipatos, ei proclive erit, omnia credere chartisqve committere, etiam enormia qvæqve figmenta, divinioris poteſtatis velo obtecta, qvalia Poëtæ principesqve eorum, inter Græcos Homerus, Latinos Virgilius, commenti ſunt. Interea omnium confeſſione planum eſt, abſtruſioris iſtius artis, neſcio an vaniſſimorum ingeniorum delirii, profeſſionem ubiqve terrarum in uſu fuiſſe. Et introductam in ſeptentrionem ante Odini Upſalenſis adventum, ſi non publicam, magnam tamen ejus notitiam, Gylfii Veciæ Regis, harum rerum haud imperiti, exemplo probari poteſt. Odino verò publicum infamis iſtius doctrinæ collegium inſtituente, haud mirum, eam per univerſum arctoi orbis circuitum temporum decurſu diſperſam fuiſſe; confluentibus ſcilicet ad ejus illecebras, vel ex devictarum gentium, vel ſociarum, ſed obſeqvio deſtinatarum, provinciis, nobiliſſimis qvibusqve ingeniis; qvæ tanto præſidio, per compendia qvæſito, qvicqvid votis expeterent, ſibi intrepidè pollicebantur. Spei an eventus reſponderit, vel non, qvisqve prout libitum fuerit per me credito vel negato; certe res magnas nefariis hiſce artibus patratas eſſe, cordatiſſimi qviqve omnium penè nationum hiſtorici tradiderunt, ac in illis optimæ notæ ſcriptor Snorrius Sturlæus, qvi luculentiſſimam rerum Norvegicarum hiſtoriam veraciter ſcripturus, iſtiusmodi multa de Odini incantamentis, præſtigiis & inauditis ſucceſſibus, ſimilesqve de aliis relationes operi

ſuo paſſim inſeruit; illa ſcilicet ſine inſigni veritatis jactura poſteritatisqve diſpendio omitti non poſſe autumans. Invaluit autem freqventioribus exercitiis excultum ſceleſtum hocce, deoqve extremè inviſum dogma, multisqve ſeculis usqve ad Chriſtianam inſtitutionem apud majores noſtros duravit. Nam & Gunnhildis, Regis Eirici Blodoxii poſtea uxor, tandemqve in Anglia Chriſtianam religionem amplexa, juvencula in Finnmarchiam ad hæc Vejovis myſteria percipienda miſſa eſt, nec ſinè magnis ſucceſſibus rediiſſe *dicitur.* Mea itaqve de fabuloſis hujusmodi ſcriptis ſententia eſt: magnum in iis dijudicandis temperamentum reqviri, eaqve ob ſolam præſtigiarum commemorationem, licet freqventiorem, ſi cetera proba, temerè rejicienda non eſſe.

Perſonarum confuſionis exemplum ingens præbet Orvaroddi, ſeu Oddi Jaculatoris vita,] opus multis figmentis iisqve abſurdiſſimis refertum. *Exhibetur ibi* Oddus ille, nunc Angantyri, qvi *ſeculo III. ineunte* vixit, ſynchronus; nunc in prælio Bravallenſi pugnans, qvod circa annum Chriſti DCCXXXV. ſtetiſſe inferius dicetur; nunc cum patre Grimo Hirſutigenâ, qvi poſt octavi ſeculi medium natus eſt, converſans; qvæ qvam malè uni homini competant, omnes vident. Interea relationem iſtam ex verà origine fluxiſſe, planisſimè evincit per manus à primo rei geſtæ tempore, ad eos qvi hodie vivunt, firmior memoria. Nam incolæ paræciæ Sokndalenſis in Norvègia, qvorum nemo unqvam ſcriptam in Islandiâ hiſtoriam illam audivit, eadem de illo perhibent, qvæ illìc habentur, ſepulcrumqve

ejus apud ſe monſtrant; deqve fatali ei eqvo (qvem, veluti noſtrates, Faxium nominant) & aliis circumſtantiis eadem referunt. Oſtenditur præterea in Samo Balthica ingens tumulus, qvem ab illo excitatum, eoqve undecim athletas (qvos ipſe eodem certamine ſolus occidit) illorumqve anteſignanum Angantyrem, à ſocio ejus proſtratum, conditos eſſe, iſta illius vita perhibet.

Ragnaris Lodbrochis vitam, ubi de filiis illius agit, confuſam eſſe, ac binos commiſcere Lodbroches, nuper innuimus, & inferius planum faciemus. Ceterum magnam hiſtoriæ iſti auctoritatem conciliat, qvod eadem illa traditio, qvæ literis Islandorum conſignata apud eos ſolos tot annorum centuriis delituit, in Norvegiæ iſthmo Spangareidenſi etiam hodie magnam partem incorrupta vigeat. Etenim tractus illius incolæ conſtanter referunt, ſeqve à majoribus ſuis accepiſſe perhibent, inventam apud ſe in exiguo qvodam ſinu angulove maris citharam auream, cujus cavitati incluſa fuerit parvula virgo, qvæ paulo adultior pecora ibidem poſtmodum paverit, tandemqve Daniæ cuidam Regi nupſerit. Otlougam (vel Aatlougam) dictam fuiſſe ajunt; cujus nominis fœmina in eodem tractu nuper vixit, qvæ nominis ſui originem ad eandem Reginam referebat, idqve ab illius tempore in ſuâ familiâ conſervatum eſſe dictitabat. Monſtratur adhuc in hoc eodem tractu colliculus, qvem accolæ *Otloug-* vel *Aatloug-höjen* i. e. *Otlougæ collem* appellant, atqve ex illo commiſſum ſibi gregem proſpectaſſe eam aſſerunt. Et ſinus ille, in qvo auream iſtam citharam inventam eſſe di-

cunt, *Gullviken* i. e. *aureus ſinus* etiamnum nuncupatur. Hæc partim ipſe olim didici, cum in Diœceſi Stafangrienſi redituum Regiorum curatoris, ſeu Camerarii officio fungerer: nonnulla eorum me docuit, ac qvæ ipſe obſervaveram confirmavit Spectatiſſimus vir Nicolaus Toldorphius, Regius apud Liſtenſes & Mandalenſes Qvæſtor, qvi de ſingulis mei cauſâ accuratè denuò inqviſivit. Hæc ſi cum ipſa Ragnaris hiſtoria conferantur, ad veritatem ſeu fundamentum illius ſtabiliendum abundè ſufficiunt. Aslaugis namqve nomine celebris fuit illa Sigurdi Fafnericidæ filia, qvæ à materteræ ſuæ marito, Rege & ipſo, nomine Heimero, ob internecinam familiæ cladem è Germaniâ profugo, in Spangareidam Norvegiæ, adſitam promontorio Lindesneſiæ parœciam, alvo citharæ incluſa transportata eſt; cujus nomen, paululum licet depravatum, in certa dicti tractus familia, uti dictum eſt, ab interitu vindicatum perpetuaqve ſucceſſione per plura ſecula in neptes transfuſum manſit. Nec omitti debet rivulus, aureo iſti ſinui propinqvus, *Kraakebecken* i. e. *Krakæ rivulus* etiamnum dictus, cujus etymon etiamſi accolæ nunc ignorent, Ragnaris tamen hiſtoria clarè ſatis aperit, ubi Reginam iſtam, dum in memorato ſæpius loco pecora cuſtodiret, Kracam ſeſe nuncupaſſe nos docet.

Pergo jam ad hiſtorias fabulis ita interſperſas, ut hæ ſine magno negotio diſcerni poſſint à vera narratione. Talium magna copia; & certè admodum paucæ iſto vitio vacant. Nec ipſum Snorrium Sturlæum, qvi in expurganda hiſtoria plurimum laboris inpendit, excipiam. Nam propè in limine hiſtoriæ ſuæ, fabulam Eddicam, de translatâ è lacu magno Sveciæ Logo (hodie Melero) in mare

Bal-

Balthicum, inter Fioniam & Scaniam, totâ inſula Sialandiâ, adfert; qvam Petrus Undalinus, hiſtoriæ iſtius per Wormium editæ interpres, tanqvam lectu indignam, ex ſua verſione excluſit, cum tamen ſubtilius aliqvid hic occultari appareat, de qvo ſuo loco aliqvid diſſerendum. Præterea Snorrius, de primis Sveciæ Principibus nonnulla retulit, præſenti ſeculo fidem haud inventura. Huc referenda eſt *Rolfi Krakii*, Daniæ Regis vita, à Magiſtro qvodam *Gualtero* concinnata, qvam ex certiorum documentorum numero nemo ſine injuria proſcripſerit, cum Saxoni in deſcribendis Rolfi rebus geſtis cum illâ ſæpius conveniat. Tales qvoqve ſunt Olafi Tryggvini, & Sancti Olafi Norvegiæ Regum, vitæ, qvas continet codex Flateyenſis; hujus enim conſarcinatori unicè propoſitũ fuiſſe videtur, qvicqvid antiqvarũ relationũ inveniret, ſine ullo delectu in vaſtum illud volumen congerere, atq; ab interitu vindicare, ſecuro qvid tandem pretii ſingulis ſtatuendũ eſſet. Omnia hujus generis noſtratium monumenta enumerare, nimis foret prolixum; plurima enim illorum, etiam ea, qvæ aliàs pro bonis habentur, ad hanc claſſem qvodammodo referri poſſe, nuper dictum eſt: qvibus eapropter in reliqvis fidem derogare non ſuſtinebit is, qvi legerit ea, qvæ pro Saxone adverſus Saxo-maſtigas congeſſit clariſſimus olim Hiſtoriographus *Stephanus Stephanius*, aut illa, qvæ pro defenſione Herodoti ingens *Henricus Stephanus* hiſtoriæ ejus à ſe editæ præmiſit; qvorum rationes hic exſcribere non vacat.

CAPUT V.

De avthenticis Islandorum hiſtoriis.

DUcentos & qvadraginta annos Islandica ſteterat Respublica, cum ſeptentrionalis orbis hiſtoria caput extollere cœpiſſet, adjutore Ario Polyhiſtore, qvi circa annum Chriſti MCXVII. primus eam literis commendare cœpit, teſte *Olafs Saga* in præfatione, qvam citat Bartholinus Antiqvit: Danicarum libro I. cap. XI. p. 191. ut & Originum Islandiæ libro, qvi *Landnama* inſcribitur, & de prima Islandiæ occupatione ex profeſſo agit; ubi de rebus in eo contentis primus ſcripſiſſe dicitur. Idem in procemio Chronici Norvegici *Snorrius Sturlæus* ſcripſit. Hic itaq; omnium primus geſta Regum Norvegiæ, mox etiam Daniæ & Angliæ, resqve majoris momenti, qvæ in patriâ ſua inciderunt, in literas retuliſſe traditur. Valde igitur hallucinatur Doctiſſimus aliàs *Olaus Verelius*, in notis ad hiſtoriæ Hervorianæ Cap. XIX. p. 178. dum eam ab homine, qvi longe ante receptum in ſeptentrione Chriſtianiſmum conſcriptam eſſe ſtatuit. Etenim genium Islandicæ lingvæ penitus ſpirat; nec refert, qvod illius auctor ſe ex *fornum Bokum* i.e. veteribus libris, decerpta tradere, initio operis ſui dicat; cum ea, qvæ Arii tempore ſcripta fuere, ipſi ſatis vetuſta videri potuerint. His tamen de Ario contraria ſunt, qvæ *Petrus Claudii* parœciæ Undalinæ qvondam Presbyter, Lyſtrenſiumqve Eccleſiarum Præpoſitus, in ſuâ Norvegiæ Deſcriptione pag. m. 167. perhibet: nempe Isleifum, primum Islandiæ Epiſcopum, (qvi ab Adalberto Archi-Epiſcopo Bremenſi conſecratus

eſt

eſt anno gratiæ MLVI. obiitqve MLXXX.) conſcripſiſſe vitam Haraldi Pulchricomi, primi Norvegiæ Monarchæ, ejusq; filiorum & ſucceſſorum, usqve ad Magnum Bonum Sancti Olafi filiũ,(qvi anno MXLVII.obiit,)de rebus autem domeſticis ſedulo annotaſſe, ſuoq; Chronico inſeruiſſe eorum nomina, qvi dicti Pulchricomi tempore è Norvegia in Islandiam migrarunt, eorumq; familias, locaqve ab iis occupata & inhabitata, qvaliterqve ſinus, amnes, freta, ſcopuli, promontoria, montes, colles, valles, planities, prata, villæ, & id genus alia, nomina ab iis ſortita ſint, qvi primi ea occuparunt, aut qvæ iis in iſtis locis acciderint. Qvin & *Biornus de Skardza* in præfatione annalium ſuorum, qvorum exemplar MStum poſſideo, tum Isleifum, tum filium ejus Giſſurem Epiſcopum, hiſtorias contexuiſſe, qvædam etiam per alios contexi, vel ex aliis lingvis in ſuam vernaculam converti curaſſe diſertis verbis teſtatur. Stabilit horum qvoqve aſſertionem *Arngrimi Ionæ* haud exigui momenti teſtimonium, in libro, qvem Specimen Islandiæ inſcripſit, pag. 79. ubi de Hrollaugo Raugnvaldi Mæralalleri filio agit, his verbis: *Hujus viri proſapia, magnatum Islandiæ familias majorem in modum auxit, qvarum ſeries Annalibus continetur. In his eſt Sæmundus hinn Frode, Arrias hinn Frode, uterq; officio Sacerdotis laudatus, uterq; Annalium N. hiſtoriæq; Norveg: cum Isleifo primo inſulæ Epiſcopo, nec non Snorrone Sturlæ filio, Islandiæ nomophylace, concinnator, cum compluribus aliis, alias nominatis, ex quibus Hauko, ſui temporis nomophylax, meo judicio palmam tenet. Hos nempe authores habent annales noſtri & Norvegici, majorum ſuorum monumentis, relatione, & diligenti obſervatione de rebus noſtrat: & Norveg: ſatis edoctos: qvi tamen annales hodie adeo parvi fiunt à quibusdam, ut exterorum conjecturis, incertisq; & variis imagina-*

gina-

ginationibus poſtponantur. His animadverſis nonnemo cum Celeberrimo *Olao Wormio* in præfat. ad Chron. Norveg. Snorrii, Danicè editum, judicabit, Ario primatum in hiſtoria condendâ falſò tribui, ſi Isleifus in eo ſcribendi genere eum anticipaverit; erat enim duodecim annorum cum Isleifus diem ſuum obiit, nec illa ætate tanti oneris capax. Nos iſta conciliari poſſe arbitramur, ſi Arium ex Isleifi conjectaneis, acceptis fortè à filio ejus Teito, in cujus nutricatu adoleſcentiam partemq; juventutis exegit, multa hauſiſſe ſtatuamus, qvæ poſterûm memoriæ conſecravit. Neqve enim credendum famam hanc de Isleifo vanam penitus fuiſſe.

Proximè occurrit Celeberrimus Vir Sæmundus, ſimiliter Frodius ſeu Polyhiſtor dictus, cujus vitam ex variis fide dignorum virorum ſcriptis qvantum licuit alibi collegimus, hic brevitatis ſtudio omittendam; tantum in præſens monſtraturi, qvod ſcripta etiam haud pauca reliqverit. Editus eſt in lucem anno gratiæ MLVI. ex inſtitutione ſcholaſtica, qvâ in patriâ excultus eſt, vigeſimo ætatis anno, qvi Chriſti MLXXVI. eſt, dimiſſus. Turbulentiſſimis deinde temporibus, in variis Germaniæ locis, ſtudiis operatus eſt; cum videlicet inter Imperatorem Henricum IV. & Romanum Pontificem Gregorium VII. inauditum in eum usqve diem de principatu certamen exortum, univerſum imperii ſtatum convelleret. In Gallias deinde ſtudiorum cauſa profectus, inde in patriam, teſte *Ario Polyhiſtore* in libello de Islandiâ, circa annū MLXXXIII. rediit, *Biornus de Skardza* annales eum conſcripſiſſe perhibet, à prædio ejus Odda, qvod ſibi ſedem paſtoralem, ipſe Presbyter, elegit, Oddenſes appellatos; qvos poſteri ejus, eorumqve diſcipuli poſtea continuaverint: teſtimoniaq; ex

ex iis tanqvam avthentica aliqvoties allegat. Vir inſignis doctrinæ *Bryniolfus Svenonius*, Diœceſeos Scalholt. in Islandia Epiſcopus, ſeqventia de Sæmundo ſcripſit, qvæ in Stephan. Notis ad Saxonem pag. 17. leguntur: *Ubi ingentes theſauri totius humanæ ſapientiæ conſcriptæ à Sæmundo ſapiente. Et inprimis nobiliſſima illa Edda, cujus vix milleſimam partem reliqvam nunc præter nomen habemus. Atq; idipſum quod habemus, omninò fuiſſet deperditum, niſi Snorronis Sturlonii Epitome umbram potius & veſtigia, qvam verum corpus Eddæ illius antiquæ reliqua feciſſet.* Liqvet hinc aliis de Sæmundi ſcriptis plura, aliis pauciora conſtitiſſe. Et *Oddus* qvidem *Monachus*, (cujus genealogiam liber Originum Islandiæ pag. 81. & 88. exhibet) in vita Regis Olafi Tryggvini, à ſe concinnatâ, diſſenſum aliorum cum Ario in annis vitæ ejusdem Regis notat, ac ad Sæmundi judicium provocat; alibi eum libri hiſtorici auctorem diſertis verbis prædicat, atqve de eodem Rege ſcripſiſſe teſtatur. Vixit autem Oddus ſeculo duodecimo; nam Ioni Lopti filio, Sæmundi nepoti, ſcripta ſua obtulit. Deceſſit autem Ion anno MCXCVII. Qvin & *Auctor Anonymus*, eidem æqvalis, qvi dicto Ioni carmen honorificum, in codice Flateyenſi ad calcem hiſtoriæ Orcadenſium conſervatũ inſcripſit, poſtqvam majores ejus qvi ſceptra Norvegica tenuerant, ab ipſo Pulchricomo repetiiſſet, ſe ſingulorum ſucceſſiones & imperii annos digeſſiſſe profitetur ad calculum Sæmundi. Præterea *Annales* noſtri vetuſti Sæmundi auctoritate teſtantur: mare anno MXLVIII. inter Daniam & Norvegiam adeo congelatum fuiſſe, ut lupi hinc inde intermearent. Atqve hæc abunde ſtabiliunt hiſtorias Regum Norvegorum & Annales ſcripſiſſe Sæmundum; cujus tamen labores hiſtoricos ego juvenis aliorum relationibus haud ſatis provide auſcultans, nimis qvon-

dam celebravi. Itaqve locum illum, qvem ex priori mea Regum Daniæ Serie allegat *Bartholinus* Antiqvit. Danic. libro I. Cap. XI. pag. 139. ex hoc opere jam expungo. Ceterum cum Anonymi hujus computatio in Regum Norvegicorum annis à calculo Arii non ſemel diſſideat, ſuſpicor ſcripta Sæmundi non ſatis accuratè eum excuſſiſſe. Nam ipſe Arius teſtatur ſe ea, qvæ de Islandia ſcripſerat, ei recognoſcenda commiſſiſſe, adjeciſſeqve ea, qvæ tum ipſi, tum etiam duobus Epiſcopis, Thorlaco & Ketilli, qvorum etiam cenſuram reqviſiverat, addenda videbantur. Cujus de ſeipſo ſuisqve ſcriptis teſtimonium, omni exceptione majus, facilè perſvadet, Sæmundum cum Ario amicè conſenſiſſe, & proinde Arii ſcripta tantorum virorum auctoritate confirmata, nobis inprimis ſuſpicienda eſſe, & cynoſuræ loco habenda. At inqvies: calculus Anonymi iſtius, nepoti Sæmundi, Ioni Loptio oblatus, arguit de Regibus Norvegicis nihil ſcripſiſſe Sæmundum. Si enim ſcripſiſſet, certè in Archivis nepotis ejus, tanti viri, cujus mater Regis Magni Nudipedis filia erat, extitiſſent diligenter conſervata; ita ut ſuperfluum fuiſſet, illi ſuggerere, qvod avus ejus reliqverat; præſertim cum ſucceſſores ejus, filius Loptus, itidem Presbyter, & ipſe Ion, paternis veſtigiis in conſervandis ab interitu veterum rebus geſtis gnaviter inſiſterent, qvippe qvi ea, qvæ pater in Hiſtoriis & Annalibus colligendis & conſignandis orſus erat, diu continuârunt, teſte laudato *Biorno de Skardza* in citatâ Annalium ſuorum præfatione. Ad hæc facilis eſt reſponſio: Non enim eo fine Regum Norvegicorum Seriem notavit Ioniqve obtulit poetaſter ille, ut ipſum doceret, qvæ avus ejus hac de re ſenſiſſet. Nam ſi vel maximè nihil ſcripſiſſet, tamen qvæ ſuper his ſtatuiſſet, nepos ejus ignorare

rare non potuiſſet; ſed ideo poëma iſtud ei inſcripſit, ut laudes illius à proſapiæ nataliumqve ſplendore qvàm maximè celebraret. Omnes enim populares ſuos, opibus, potentiâ & auctòritate ſuo tempore longè anteibat, nec humanitate & munificentiâ, opibus minor. Deceſſit Sæmundus anno MCXXXIII; cum ætatem in annum ſeptuageſimum ſeptimum produxiſſet. Atqve hæc de eo pro inſtituto hoc loco dicta ſunto; ad Arium redeo.

Is, *ut ipſe* profitetur, natus eſt anno MLXVIII.(cum *enim* anno MLXXX, qvo in fata conceſſit Epiſcopus Is*leifus*, duodecennis eſſet, errat Snorrius in prologo in Chronicon Norvegicum, dum eum anno poſt cædem Haraldi Strenui natum colligit.) Librum de Islandia, qvi etiamnum ſupereſt, proximo poſt obitum Sæmundi anno, id eſt MCXXXIV. ſcripſiſſe videtur. Nam legiferorum ultimum Gudmundum memorat, duodecim annos iſto officio functum, qvi calculo ipſius in hunc annum deſinunt, qvamvis *Annales* eum in proximum producant. Scripſit tamen alium librum prius de eadem materiâ, qvem Epiſcopis Islandiæ Thorlaco Schalholtenſi & Ketilli Holenſi *inſcripſit*, & cenſuræ eorum, ut & Sæmundi Polyhiſtoris, ſubjecit, qvem deinde ex ſententia eorum, prout ſeſe nunc habet, emendavit & auxit. Ante vero annum MCXXII. iſtum primum non concinnaſſe, vel inde patet, qvod tunc primum Ketill in Epiſcopum ſit conſecratus. De Regibus autem Norvegorum, Danorum & Anglorum prius ſcripſiſſe colligitur ex ipſius præfatiuncula in hunc eundem librum, ubi præteritas ſibi genealogias, & Regum vitas memorat, cum tamen conſtet ex citata præfatione *Snorrii*, utraſqꝫ conſcripſiſſe. *Biornus de Skardza* annalium Flateyenſium fundatorem eum fuiſſe, ut Sæmundum Od-

denſium, citato loco tradit. Anno MCXLVIII. diem ſuum obiit octogenarius.

Ario Synchronus vixit Kolskeggus, Polyhiſtor ſeu Multiſcius qvoqve dictus. Etenim frater erat aviæ paternæ Finni legiferi, qvi MCXXXIX. iſti officio admotus eſt, ſeptimusqꝫ ab illo, qvi inter primos Islandiæ Aborigines recenſetur *Landnamæ* pag. 131. Hic etiam poſt Arium librum Originum Islandiæ compoſuiſſe perhibetur, occupationesqꝫ per qvadrantes orientalem & auſtralem conſignaſſe. Ario autem tribuitur recenſus earum per occidentalem & ſeptentrionalem inſulæ qvartas, teſte *Biorno de Skardza*, præfatione in ſæpedictos ſuos Annales, qvos ab anno Chriſti MCD. usqve ad ſua tempora continuavit.

Huic proximus eſt Brandus, qvartus Holanæ diœceſeos Antiſtes, ordinatus anno MCLXIII, denatus anno MCCI. qvi teſte eodem *Biorno*, multa qvæ in Islandia evenerunt, collegit, ſcriptisqꝫ conſecrari curavit. Hic Saxoni Grammatico ſynchronus fuit.

Nec prætereundus Eiricus Oddi filius, (Chronicon Norvegicum Danicis typis exſcriptum pag. 448. perperam Olafi filium nominat) qvi filiorum Haraldi Gillii geſta, usqꝫ ad ſingulorum exceſſum, literis tradidit, ut & Magni Cæci & Sigurdi Slembidiaconi vitas, eorumqꝫ geſta, ex relatione Halli (filii Thorgeiris, filii Steini medici) Islandi, qvi Regis Ingii ſatelles purpuratus ſupplicio dicti Slembidiaconi anno MCXXXIX. adſtitit. Cumqꝫ Rex Ingius, eorum ultimus, bello cæſus fuerit anno MCLXI. Eiricum poſt illum annum hiſtoriam ſuam, qvam *Ryggiarſtycki*, ſeu *Dorſi particulam*, inſcripſit, contexuiſſe planum eſt.

His æqvalis erat Karl (ſeu Carolus) Abbas monaſterii Thingeyrenſis, in ſeptentrionali Islandia, ordinatus anno

MCLXIX. denatus anno MCCXIII. Hic Regis Sverreris vitam enucleatiſſimè ſcripſit, qvam nos utcunqve Romanâ toga induimus.

Proximus his vel etiam æqvalis extitit Oddus Monachus & Presbyter, etiam Polyhiſtor appellatus, de qvo ſupra; hic vitam Olafi Tryggvini literis prodidit, haud qvaqvam ineptè; docet enim ea, qvæ alibi non extant. Extat & aliud monumentum, cujus auctor habetur, de Ingvare qvodam Multivago, filio Aunundi Sveciæ Regis, Olafi Sveciæ Regis nepote, Ingvariqꝫ filio Sveno, cujus fragmentũ Ms. ex Regia bibliotheca penes me eſt. Geſta qvæ narrantur, nullam fidem merentur; abunde tamen productis narrationis auctoribus probatur Oddum ipſum nihil ex his commentum eſſe. Etenim teſtes, qvibus fabuloſa iſta relatio nititur, tales ſunt: Oddo retulit Paſtor qvidam, nomine Isleifus; alter Glumus Thorgilſis filius; tertius Thorer dictus; Isleifo auctor fuit mercator qvidam, qvi in aula Regis Sveciæ hæc ſe percepiſſe profeſſus eſt. Glumo pater ejus retulit. Thórerem Klakius Sami filius inſtruxit; Klakium antiqviores propinqvi. Adjecta eſt Chronologia, annus ſcilicet poſt natum Chriſtum MXL. Citatur qvoqꝫ vetus liber, latino ſermone ſcriptus, ſub titulo: *Geſta Saxonum*; licet locus adductus nihil, ut mihi videtur, ad rem faciat. Interea ob intempeſtivam illam Oddi credulitatem nemo de aliis melioris notæ ſcriptoribus malè judicabit; nam fabula iſta, Oddi tempore ab exteris in remotiſſimam Islandiam invecta, nihil habet commune cum traditionibus illis, qvas vetuſtis Poëtarum carminibus, carminumqꝫ concinnæ explicationi innixas, primi Islandiæ cultores ſecum in eam inſulam devexerunt, nec cum iis rebus, qvibus populares illorum ſive in Norvegia,

ſive alibi interfuerunt, vel geſtorum ſocii, vel ſpectatores, vel gerentium auditores.

Retuli ſcriptores, qvi inter Arium & Snorrium interceſſerunt. Neqꝫ enim mihi ſatis conſtat, præceſſeritne an ſecutus fuerit Snorrium, an ejus tempore vixerit Brandus Prior, qvem Breidvikenſium genealogias contexuiſſe *Landnama* pag. 51. perhibet. Interea cum à primis coloniarum Islandicarum conditoribus ſextus tramite recto deſcendat, Oddi tempora, Snorrio paulum antiqviora, vendicare ſibi videtur.

Snorrii Sturlæi vitam prolixè alibi deſcripſimus. Is ab initio ſeculi XIII. usqꝫ ad Annum MCCXLI. qvo occiſus eſt, prudentiâ & doctrinâ inſigni celebris valdè fuit, tam in patria ſua Islandiâ, qvàm Islandorum veteri patriâ Norvegia. Illius opus hiſtoricum, qvo Regum Norvegicorum genealogias ab Odino, vitasqꝫ à primo Rege usqꝫ ad Sverrerem tradidit, notiſſimum eſt, qvippe in Danicam translatum lingvam, typorumqꝫ beneficio publici juris factum. Bina operis iſtius exemplaria avthentica in membranâ ad manus nunc habeo, qvorum unum *Kringlam*, alterum *Jofraskinnam* appellare conſvevi. Ad Snorrium qvoqve, tanqvam auctorem, pertinent *Morkinskinna* & *Horckinskinna*, (bini ſunt codices pergameni, qvibus ab involucro hæc nomina indidi) nec enim aliud ſunt, qvàm pars operis Snorrini, ab initio Magni Boni usqꝫ in finem, variis acceſſionibus hiſtoricis à recentiore qvodam aucta vel interpolata.

Æqvalis Snorrio fuit Styrmer, officio Prior, Polyhiſtor qvoqꝫ dictus, qvi librum Originum Islandiæ conſcripſit, teſte *Landnama* pag. 174. Anno MCCX. legifer declaratus,

tus, ſupremam jurisdictionem geſſit, qvæ ei iterum injuncta eſt anno MCCXXXII. deceſſit MCCXLV.

Hic locum dabo Sturlæ, Snorrii ex fratre Sighvato nepoti, qvod magna induſtria hiſtorias, à Snorrio conſcriptas, deſcribi curaverit. Is Aurlygſtadis, in ſeptentrionali Islandia, anno MCCXXXVIII. totam ſibi patriam ſubjecturus, acerrimo prælio, una cum patre Sighvato occiſus eſt.

Eum in negotio hiſtorico longe ſuperavit alterius Snorrii fratris, Thordi videlicet, filius, Sturla legifer, vir inſignis. Hic auctor eſt Sturlungorum Hiſtoriæ, qvâ res, ſuis & ſuperioribus paulo temporibus in Islandia geſtas, verè & luculenter deſcripſit. Idem Haconis ſenioris, Norvegiæ Regis, vitam enunclatiſſimè in literas retulit, ut & Regis Magni, filii ejus vitam, qvam tamen hodie deſideramus: Delectus autem erat ab ipſo Rege, ut res ab eo geſtas literis mandaret. Præterea librum Originum Islandiæ ſcripſit. Vir ſuo ſeculo felix, utpote qvi abdicato ſponte officio propè ſeptuagenarius, pia placidaq; morte in patria domi ſuæ deceſſit anno MCCLXXXIV.

Hos æmulatus Haukus Erlendi filius, anno MCCXCIV. legifer Islandiæ factus, qvi ex binis Styrmeris & Sturlæ originum patriarum libris tertium confecit locupletiſſimum, teſte *Landnama* pag. 174. utilis patriæ civis, nam hoſpitalem domum pro egenis ex ordine eccleſiaſtico, una cum Epiſcopo Arnio in patria inſtituit anno MCCCVIII. Deceſſit anno MCCCXXXIV.

Locum hic poſtulat Epiſcopus Scalholtenſis Jon Halthoris filius, ordinatus anno MCCCXXII. mortuus anno MCCCXXXIX. cui magnum induſtriæ teſtimonium in promovendis patriæ antiqvitatibus *Biornus de Skardza* citato loco perhibet.

Ber-

Bergum Abbatem Thveraenſem, (qvi anno MCCCXXV. electus, anno MCCCXXXIV. officium pia humilitate inductus reſignavit,) hiſtorica qvædam ſcripſiſſe, iſtaqve illius opera in Sveciæ Regis Archivo ſervari, ex amici cujusdam literis, ante aliqvot annos Holmiâ ſcriptis, didici; de qvibus mihi præterea nihil conſtat.

Thoroddum qvendam, Runarum Magiſtrum dictum, & Stiornu-Oddum (i. e. Oddum Aſtronomum) *Biornus* inter hiſtoricos refert, qvos pariter ignoro, nec qvo tempore vixerint ſcio. Aliàs Stiornu-Oddi illius prolixum, ſed pariter fabuloſum ſomnium, poſſideo. Nec ſuppetit, qvomodo pauper ille mercenarius (talis enim ibi depingitur) rem hiſtoricam juvare potuerit.

Præcipuos eorum recenſui, qvi ſuperioribus ſeculis ſcriptis hiſtoricis laudem comparaverunt; illos inqvam, de qvorum nominibus & ætate evidenter conſtat. Anonymorum enim ingentem cohortem adhuc habemus, qvi, qvod veras hiſtorias literis mandaverint, ad hanc claſſem omninò qvidem pertinent, ſed certis ætatibus, deficientibus ut plurimum argumentis, applicari tam facilè nequeunt. Tales ſunt: Eyrbyggiorum, Floanorum, Holmenſium, Isfiordenſium, Laxdalenſium, Liosvatnenſium, Svarfdalenſium & Vatzdalenſium hiſtoriæ, ac innumeræ aliæ ejusdem generis.

Vetuſta hæcce Islandorum monumenta magnam partem ab interitu conſervarunt duo patriæ noſtræ hoc ſeculo Antiſtites, Scalholtenſis Bryniolfus Svenonius & Thorlacus Sculonius Holenſis, qvi conqviſitas undecunqve ſummo ſtudio & ingentibus ſumtibus membranas deſcribi curarunt, conductis in eam rem, qvi nitidè pingerent, librariis. Qvod eorum laudabile factum omnis poſteritas

ritas gratâ mente celebrabit; certè tanti in Rempublicam literariam meriti nunqvam obliviſci debet.

CAPUT VI.

De Hiſtoriarum Islandicarum fundamentis ac auctoritate.

PRæſtantiores Islandorum hiſtoricos proximè recenſuimus. Nunc eorum auctoritatem paulo ulterius expendamus; diſpiciamusq́, qvibus illi fundamentis narrationes ſuas ſuperſtruxerint. Eſt autem, uti ſuperius hoc libro diximus, iſtud ſcriptorum genus duplex. Qvidam enim ſui ævi res annotarunt; alii longè ante ſua tempora geſtas literis tradiderunt. De priorum avthentiâ non eſt qvod multum diſqviramus. Hi enim cum ſimilibus aliarum gentium hiſtoricis id commune habent, ut, niſi mentiendi ſtudium, vel rerum, qvas tractant, ignorantia, in iis appareant, de eorum fide ambigere, illosve ob unam aut alteram hallucinationem tanqvam mendaces rejicere non debeamus. Itaqve pro indubiè veris habemus, qvæ in Sturlungorum hiſtoria retulit Sturla Thordi filius, Islandiæ Nomophylax, vir ſummus; cum is magnam eorum partem ipſe viderit, rebusq́, qvas deſcribit, interfuerit. Nec minoris auctoritatis judicanda ſunt, qvæ de Hacone Norvegiæ rege idem Sturla, aut de avo illius, Rege Sverrere, Carolus Thingeyrenſis Abbas literis mandarunt: Iis enim ſcribendi materiam ſuppeditarunt ipſi Norvegi, qvi memoratis Regibus familiares fuere, aut res iſtas ab iis geri aliàs conſpexerant.

Poſterioris generis auctores, illi ſcilicet, qvi res longè à ſuo ævo remotas deſcribunt, uberiorem paulò diſqviſitionem reqvirere videntur. Varia autem hiſtoriarum condendarum ſunt fundamenta, qvorum ſingula enumerare non eſt hujus loci: illorum ſaltem recenſus huc pertinet, qvibus noſtratium vetuſtiſſimi opera ſua ſuperſtruxiſſe deprehenduntur.

Hæc inter ſaxa eminent, grandioresve lapides, in rei alicujus memoriam conſtituti. Tales Augvaldsneſiæ in Norvegia, in Augvaldi Regis, cultæqꝫ ab illo vaccæ memoriam erecti, ad huc viſuntur, qvi Augvaldum illum olim extitiſſe, nec niſi vera in Halfi Regis vita de eo referri, certò perſvadere poſſunt. Simile argumentum colles ſepulcrales ſubminiſtrant; veluti tumulus Aurvaroddi, accolis, uti antea dictum, fama notus, ac itaqve ad memorati Aurvaroddi exiſtentiam adſtruendam documentum ſufficiens. Clarius adhuc iſtiusmodi loca, ſi certo aliqvo nomine gaudeant, de eponymis ſuis teſtantur. Sic colliculi duo, prope antedictum paſtorale prædium Augvaldsneſiam conſpicui, qvos *Kóklings-Höjder*, i. e. *Kóklingi colles*, communiter nunc appellant, fidem ſatis conciliant memoratæ Halfi Regis vitæ, qvæ Hoklingum piratam ſubminiſtrat, à qvo colles iſtos denominatos eſſe evidenter patet; etiamſi iſta omnia apud accolas nunc in oblivionem venerint, qvemadmodum hæc omnia in hiſtoria mea Norvegica pleniùs commemoravi. Innumera ex ſeptentrionalibus hiſce regnis recenſeri hic poſſent nomina provinciarum, montium, fluminum, lacuum, ſinuum, inſularum, villarum, aliorumqꝫ locorum: qvæ appellationum ſuarum fundamenta origineſqꝫ ſimiliter monſtrant. Et ſolus Originum Islandiæ liber, vlugò *Landnama*,

vel

vel mille eorum curioſis ſuppeditabit. Picturis non minus, ac ſculpturis rerum geſtarum memoria conſervabatur. Clypeos ſuos eo artificio condecorare ſolebant veteres, qvod inſignis hicce ex *Edda* locus manifeſtè adſtruit: A fornum ſcioldum var titt at ſcrifa raund þa, er baugr " var callaþr, oc ero viþ þann baug ſcylldir kendir. " i. e. *Antiqvis clypeis inſcribi ſolebat margo, quæ* baugr (i. e. annulus ſeu circulus) *appellabatur; ab iſto circulo clypei poëtice denominantur.* Id qvod ego ita interpretor, qvaſi extremitatibus clypeorum, veterum heroum geſta, fortè etiam poſſeſſoris, impreſſa fuerint. Ejusdem generis clypei *Eigillis Scallagrimii vita* meminit, cujus verba, à *Bartholino* Antiq. Danic. lib. I. Cap. IX. pag. 150. exſcripta, ita ſonant: Hakon Jarl gaf Einari Skalaglamm ſciold, oc var hann " hin meſta giorſemi, oc var ſcrifadr fornſogum mille " skiptanna, oc lagdar ifir ſpeingr af gulle oc ſettr ſteinum. " i. e. *Hacon Comes Einari Skalagammo clypeum dedit, admodum pretioſum. Hic antiqvis hiſtoriis inter commiſſuras inſcriptus erat, aureisq; laminis obductus, ac gemmis ornatus.* De Amlethi & Hildigeri ſimilibus clypeis, poſſeſſorum res geſtas referentibus, *Bartholinus* citato loco videri poteſt. Nec clypeis ſolùm, ſed parietibus domuum hiſtorias & acta majorum omnium oculis expoſuerunt: id qvod *Arngrimi* auctoritate, & ædificii, qvod Olafus Pavo, celebris inter Islandiæ proceres, in prædio ſuo Hiardarholto exſtrui fecit, exemplo, ex *Laxdæla* deſumto, *Bartholinus* eodem capite evidenter probat; cui & *Niali vita* ſuffragatur, qvæ Thorchelem Hakum propria geſta lecto ſuo & ſellæ inſculpi vel appingi feciſſe refert. Aulæis qvoqve rerum geſtarum imagines intexere mos erat; qvò Bildenſe monumentum à *Wormio* Monumentorum Danicorum libro VI. pag. m. 474. expreſ-

ſum, *Bartholinus* ſæpe dicto capite refert. Clarius hac de re exemplum nobis exhibet vetuſtiſſima oda, qvæ *Gudrunarquida* inſcribitur: ubi Gudruna, Giukii filia, qvæ ſibi poſt mariti ſui Sigurdi Fafnericidæ indignam necem adverſa acciderint, lamentans enumerat; ac inter alia: ut patriæ penatiumqve pertæſa, teſqva & ſolitudines oberrans, usqve in Daniam progreſſa ſit; ubi eam Thora Haconis filia, inſignis fæmina, comiter exceperit, triſtemqve illius animum variis oblectamentis exercitiisqve muliebribus exhilarare ſtuduerit. Verba Odæ, qvæ huc pertinent, iſta ſunt:

" Hauſþo viþ a ſcriptom þat er ſcatar leco,
" Oc a hannyrþom hilmis þegna,
" Randir rauþar, recka Huna,
" Hiordrot, Hialmdrot, hilmis fylgio.
" Scip Sigmundar ſcriþo fra landi
" Gyltar grimor, grafnir ſtafnar;
" Byrþo viþ a borþa þat er þeir borþuz
" Sigar oc Siggeir ſuþr a Fivi. h. e.

Regum res geſtas textura noſtrâ repræſentavimus, & manuariis noſtris artibus Regum ſatellites: rubra ſcuta, Hunnicos bellatores, milites gladios portantes, alios galeis inſignes, Regiumqve comitatum. Sigmundi naves (in hac noſtrâ manuaria operâ) *in altum à litore ferebantur; roſtra eorum deaurata erant, proræqve cælatæ; Intexuimus panno, quomodo in Fivenſi territorio Sigar & Siggeir invicem pugnarunt.* Hæc confirmat *Ragnaris Lodbrochis vita*, qvæ Brynhildam Budlinam Sigurdi Fafnericidæ Herculea facinora telæ ſuæ artificioſè intexuiſſe expreſſis verbis memorat.

Qvæ hucusqve recenſuimus, emblemata tantum hiſtorica fuere. Propius ad ipſum hiſtoriæ corpus inſcriptio-

ptiones accedunt. Erat autem lignum, uti *Saxo* lib. III. pag. m. 52. ait, celebre qvondam chartarum genus; cui geſtorum memorias inſculpſiſſe veteres *Bartholinus* exemplo Thorgerdis Eigillis filiæ, epithaphium fratris ligno inſcripturæ, antedicto loco probat. Et adjungi ex *Gretteris vita* aliud poteſt: de Hallmundi Monticolæ Epicedio, per filiam illius ligno *ſimiliter inciſo*; ſed neqve ex iſtis plenam hiſtoriam qvis conficere poterat. Longè melius Carmina, res geſtas in memoria hominum conſervarunt, omniumq; optima veterum hiſtoriarum breviaria fuerunt. Horum antiqviſſima, memoriter conſervata, Norvegi, patriâ cedentes, ſecum in Islandiam transtulerunt, poſterosq; ibi docuerunt. Recentiora filii horum, Islandi, mercaturæ exercendæ, militarium artium addiſcendarum, aut alterius rei cauſâ inter Norvegiam & Islandiam qvotannis transmeantes, in patriam invexerunt; imò plurima eorum, qvorum fragmenta ſuperſunt, ipſi pepigerunt: id qvod eo faciliùs probatu eſt, qvod extet index Poëtarum, qvi ſub ſingulis ferè ſeptentrionis Regibus Comitbusq; floruerunt, ac res eorum geſtas in numeros redegerunt, qvorum maximam partem Islandia ſibi vendicat.

Erant autem Poëtæ iſti, non, ut qvidam imperitè arbitrantur, homines vani, qvi mythicis locutionibus, figmentisq; poëticis magnatum res geſtas obſcurarent magis qvàm illuſtrarent; ſed viri probi veritatisq; amantes, qvi Principes, aut alios claros viros, non niſi dignis laudibus, extulerunt. Magnæ apud Principes auctoritatis eos fuiſſe conſtat, ſummisq; ab iis affectos honoribus, ceteris omnibus miniſtris prælatos, magnisq; ac crebris muneribus cultos, imò eo dignitatis evectos, ut propinqvo ſangvinis nexu vel affinitatis vinculo junctas ſibi fæminas, interdum

etiam proprias ſilias, ipſis conjugio aſſociare iidem Principes non dubitaverint: qvemadmodum hæc omnia, veteres hiſtorias legenti abunde conſtare poſſunt. Neqve vetuſti Reges Heroësq; Poëtas ſine cauſâ tanti fecerunt: illorum enim operâ æternitatem, perenneq; apud poſteros nomen, ſibi pollicebantur. Hinc Haraldus Strenuus, Norvegiæ Rex inclytus, cum de binis carminibus, qvæ Arnor Jarla Skald (*i.e.* Comitum Orcadenſium Poëta) in ejus & Magni, Norvegiæ qvoqve Regis, laudes fecerat, iisqve præſentibus recitabat, judicium ferret, indignabundus dixit: *Facilè videmus qvantum inter hæc duo carmina interſit; Meum carmen brevi interibit, ac è memoria hominum penitus delebitur; Illud verò, qvod de Magno cecinit, cantabitur dum ſeptentrionales terræ incolas alunt.* Ad dictorum poëtarum exiſtimationem præterea non parum facit, qvod Reges ipſi poëſeos ſtudio peritiâq; gloriam ſibi qvoq; qvæſiverint; exempla in promtu ſunt: Haraldus Pulchricomus, Norvegiæ primus Monarcha, leſſum in uxorem Snæfridam confecit, cujus unicus nunc verſus extat. Hacon Adalſteini Alumnus, cum in inſulâ Storde aciem noviſſimè inſtruxiſſet, Eyvindo Skaldaſpillero, carmine ordinationem celebranti, ſtatim carmine repoſuit, teſte *Fagrskinna*. Olafi Tryggvini diſtichon extat, qvo Halfredo Vandræda Skaldi, ſeu periculoſo Poëtæ, carmine provocatus reſpondit. Olafi qvoqve Sancti carmen amatorium citatur, cujus & plura extant: uti triumphale illud, poſtqvam Erlingum de Solio, viribus longè ſuperiorem, ſtratagemate nautico deluſum viciſſet, vitâqve licet invitus, ſpoliaſſet. Olafi frater Haraldus Strenuus, adeo in hac arte excelluit, ſpirituq; poëtico afflatus erat, ut vel celeberrimis Poëtis nihil concederet. Nepos qvoqve illius, Magnus Nudipes, filiam

liam Cæſaris, qvam ſibi uxorem deſtinaverat, carmine celebravit, cujus & nonnulla alia extant. Sigurdus deniqve Hieroſolymipeta, ut & Eyſteinus frater illius, artem iſtam calluerunt. Continebant vero carmina illa Regum, Principum, aliorumve magni nominis virorum genealogias, fortiaqꝫ illorum facta, aut res alias per eos præclarè geſtas, compendioſè ac ſtricto dictionis genere hoc fine in numeros redactas, ut eo ſerius memoriæ hominum exciderent. Qvam accuratè horum auctores ſingula commemoraverint, vel illud monſtrat, qvod res geſtas chronologicè non raro inibi recenſitas videamus, qvemadmodum in Hornklofii carmine apud *Snorrium Sturlæum*, qvo, qvid prius egerit Haraldus Pulchricomus, qvid poſterius, diſertè explicat. Unde fundamenta pateſcunt, qvibus in digerenda rerum ſerie inſtiterint Arius, Snorrius aliiqve, qvi veterum heroum geſta chronographicè nobis tradiderunt. Ad carminum iſtorum avthentiam pertinet, qvod in præſentia Principum, qvi res iis contentas perpetrarunt, filiorumve illorum, ab auctoribus ſuis recitata fuerint; qvod argumentum *Snorrius* in præfatione Chronici ſui Norvegici rectè urget: *Poëtarum*, ait, *conſuetudo eſt, eum maximè* (Principem) *laudare, in cujus præſentia conſiſtunt. Nemo autem, puto, auderet, coram aliqvo eas res geſtas, tanqvam ſuas, recitare, qvas auditorum ſinguli, & is ipſe, effictas eſſe ſcirent: id enim non laudare, ſed audacter ei illudere eſſet.* Concludo itaqꝫ cum eodem *Snorrio*: *Illa qvæ carminibus iſtis de eorum* (Regum) *itineribus & præliis continentur, omnia pro veris habemus.* Qvi de Poëtis noſtris plura deſiderat, celeberrimum, qvæſo, *Wormium* adeat, qvi in Appendice ad literaturam ſuam Runicam, non procul ab initio, non contemnenda de iis ſcripſit, egregiumqꝫ *Magni Olafii* de eadem re

Diſ-

Diſcurſum dictæ Appendici inſeruit. Inſpici qvoqve meretur *Johannis Alani* Diſputatio Apologetica pro Saxone, edita Hafniæ 1627. Theſi XXXII. etiamſi qvædam ibi limam reqvirant. Præcipuè verò hac in materia legi meretur *Bartholinus* Antiqvit. Danic. Lib. I. Cap. X. ubi de Poëtarum iſtorum auctoritate, Regumq; poëticæ deditorum exemplis fusè agit. Et nos in præfatione ad Hiſtoriam noſtram Orcadenſem de eâdem re nonnulla ſcripſimus, legentibus fortè non ingrata.

Hactenus de Carminibus egimus, egregiis illis memoriæ ſubſidiis, qvæ tamen vetuſtarum hiſtoriarum non niſi breviaria fuere; nec rarò tam obſcura, ut ſine interprete parùm ab auditoribus intelligerentur. Hinc magna pars eruditionis erat, illorum explicationem ſcire, atqve in obſcura illa loca ſolidè comentari poſſe, aut aliàs rerum, carminibus iſtis contentarum uberiorem expoſitionem callere. Iſtiusmodi commentarii, memoriâ hominum, absqve literarum beneficio, ad inſtar carminum, diu conſervati, hiſtoricis poſtea magno fuere adjumento.

Sed plenior adhuc rerum geſtarum notitia ad perfectam hiſtoriam ritè concinnandam reqvirebatur. Hanc ſcripturientibus ſuppeditarunt relationes, non ſcriptæ, qvas ex parentum avorumq; ore auditu exceptas, filii nepotesq; memoriâ conſervarunt, atqve ſuis poſteris eâdem ratione tradiderunt, donec tandem ad eos pervenirent, qvi literarum beneficio illas ab interitu vindicarunt. Qvod & *Verelius* agnoſcit, ubi in limine Notarum ad Gothrici & Rolfi hiſtoriam ſcribit: majores noſtros in Principum ſuorum, virorumqve fortium laudibus celebrandis parcos non fuiſſe, nec in conventibus publicis, & ubicumqve genio indulgebant, alia magis oblectatione

qvàm

qvam eorum facinoribus decantandis animum paviſſe; additq́; narrationes hujusmodi, à majoribus per manus traditas, literis poſtea conſignatas fuiſſe. Rem certiſſimam operoſè probare nolumus; ambigenti verò omnem dubitationem eximet *Bartholinus* Antiqvit. Danic. lib. 1. Cap. XI. Antiqviſſimarum rerum memoriam, non ſecus ac de carminibus ſupra diximus, primi Islandiæ aborigines ſecum eò devexerunt; recentiorum notitiam intulerunt illi, qvi qvotannis ab exteris in Islandiam venerunt. Itaq́; vetuſtiores res Norvegicas ignorare non potuèrunt, qvi vim Haraldi Pulchricomi declinantes ſolum vertebant. Danicarum Svecicarumqve rerum cognitionem absqve dubio invexerunt illi, qvi Daniæ Sveciæq́; Regibus magnatibusve orti, varia Islandiæ loca occuparunt; qvorum catalogum texere non eſt hujus loci. Nec deſunt inter primos Islandiæ aborigines, qvi Angliæ & Hiberniæ Reges principesq́; generis ſui auctores habuere, ut de earum qvoqve terrarum rebus vel inde nonnulla poſteris conſtare potuerint. Ceterùm qvàm anxiè rerum geſtarum notitiam Islandi conqviſiverint, illius exemplo liqvet, qvi comitia Islandica aliqvot annis longo itinere adiit, ut res ab Haraldo Strenuo, Norvegiæ Rege, in Græcia & vicinis terris perpetratas, ab Halthore Snorrino, dictorum Regis operum conſcio, ediſceret: id qvod ei tam feliciter ceſſit, ut geſtorum auctor Haraldus, (qvo præſente ea, qvæ in patriâ didicerat, poſtmodum recitavit,) relationis veritatem agnoſceret, operumq́; ſuorum præconem non niſi muneribus cumulatum dimitteret. Plura in hanc rem adferri poſſent, qvæ prolixitatis nimiæ vitandæ cauſâ ſtudioſè omittimus. Tandem itaqve concludimus: hiſtoricos Islandorum, etiamſi res ab ævo ſuo longe remotas perſeqvantur, re-

pudiandos non eſſe: qvippe qvi, ut verè de iis ſcribit *Bartholinus* Antiqvit. Danic. lib. I. Cap. XI. p. 198. *Nullam ſibi fingendi aſſumentes licentiam, omnia fideliter vel ex priſcis veracibus carminibus eduxerunt, vel priſcorum hominum relationes ſunt ſecuti.*

Ad majorem hiſtoricorum noſtratium commendationem, exterorum aliqvot de iis judicia hic ſubjungere viſum eſt. Illorum agmen ducat *Theodricus Monachus*, qvippe antiqviſſimus: cujus in præfatione ad Eyſteinum Archiepiſcopum Nidroſienſem hæc ſunt verba: Operæ „ pretium duxi, Vir illuſtriſſime, pauca hæc de antiqvita- „ te Regum Norvagienſium breviter annotare, & prout „ ſagaciter perqvirere potuimus ab iis, penes qvos horum „ memoria vigere creditur, qvos nos Islendingos voca- „ mus, qvi hæc in ſuis antiqvis carminibus percelebrata „ recolunt. *Similia operis ipſius Cap. 1. ſcribit:* Hunc nume- „ rum annorum Domini, inveſtigatū prout diligentiſſimè „ potuimus ab illis, qvos nos vulgato nomine Islendingos „ vocamus, in hoc loco poſuimus; qvos conſtat ſine ulla „ dubitatione, præ omnibus aqvilonaribus populis in hu- „ jusmodi ſemper & peritiores & curioſiores extitiſſe. Theodrico ſuccedat *Saxo Grammaticus*, notiſſimus Danorum Hiſtoricus, in præfatione operis ſui ita inqviens: „ Nec Tylenſium (*Islandos ita vocat*) induſtria ſilentio obli- „ teranda: qvi cum ob nativam ſoli ſterilitatem luxuriæ „ nutrimentis carentes, officia continuæ ſobrietatis exer- „ ceant, omniaq; vitæ momenta ad excolendam alieno- „ rum operum notitiam conferre ſoleant, inopiam inge- „ nio penſant. Cunctarum qvippe nationum res geſtas „ cognôſſe, memoriæq; mandare, voluptatis loco repu- „ tant: non minoris gloriæ judicantes, alienas virtutes

differere, qvam proprias exhibere. Qvorum theſauros, “
hiſtoricarum rerum pignoribus refertos, curioſius con- “
ſulens, haud parvam præſentis operis partem ex eorum “
relationis imitatione contextui: nec arbitros habere “
contemnum, qvos tanta vetuſtatis peritia callere cogno- “
vi. Centum abhinc annis vixit *Petrus Claudii*, Paſtor
Undalinus, qvi in Norvegiæ Regni ſubjectarumqve inſu-
larum Deſcriptione Danicè concinnatâ, Hafniæqve
anno MDCXXXII. impreſſâ; hunc in ſenſum ſcripſit:
Islandi, cum ſe militaribus artibus, bellisve adver- “
ſus exteras nationes exercendi occaſionem non habe- “
rent, ſcriptioni, librorumq; compoſitioni operam dede- “
runt. Varios in eorum inſula libros olim conſcriptos “
eſſe conſtat, atqve inprimis brevem Coſmographiam, “
eiqve annexam Chronologiam, deſcribentem totius or- “
bis regiones ac regna, & qvinam Reges celebrioribus “
regnis præfuerint, usqve ad magnam illam peſtem anni “
1350. præcipuè autem, qvæ in Borealibus hiſce terris “
contigerint, omnia ad ſuos annos diligenter annotata. “
Prima qvæ ibi invenitur hiſtoria (qvam conſcripſiſſe “
putatur Isleifus, primus Scalholtenſis in Islandia Epiſco- “
pus anno 1057. mortuusq; anno 1080.) agit de Haraldo “
Pulchricomo, filiisq; illius & poſteris usqve ad Regem “
Magnum S. Olafi filium. Is (*Isleifus*) in ſuo Chronico “
diligenter annotavit eorum nomina, qvi usqve ad illius “
tempora habitationes ex Norvegia in Islandiam trans- “
tulerant, ut & comitatus eorum, ac territoria ab iis oc- “
cupata. Præterea qvaliter ſinus, fluvii, freta, ſcopuli, “
promontoria, montes, colles, valles, campi, prata, pla- “
nities, villæ aliaq; ſimilia loca ex eorum nominibus deno- “
minata ſint, qvi ea primi inhabitarunt, occuparunt, aut “

" alias res ibi geſſerunt. Ordine ſecunda eſt hiſtoria illa, " qvam ſcripſit Arius Presbyter cognomento *Frode*, " i. e. *ſapiens & eruditus*, qvi obiit Anno Chriſti 1148. " Tertiam hiſtoriam, eamqꝫ, ut videtur, maximè com- " pletam, conſcripſit *Snorrius Sturlæus*, Islandiæ Nomo- " phylax, qvi obiit circa annum Chriſti 1249. Præter- " ea Islandi in ſuum idioma multos libros transtulerunt, " præcipuè hiſtoricos, qvi etiamnum in eorum patriâ in- " veniuntur, multiqꝫ eorum huc (*in Norvegiam*) perlati ſunt. " Nec minùs Gallorum, Anglorum aliarumqꝫ nationum " hiſtorias in ſuam lingvam transtulerunt. Et plurimi " membranaceorum illorum legum codicum, qvi hic " (*in Norvegia*) hactenus in uſu fuere, in Islandia exarati " ſunt. Eiricus Brockenhuſius, Nobilis Norvegus, qvi " circa annum 1567. præfecturam Mandalenſem guber- " navit, ſe integra Biblia in Islandicam lingvam transfuſa, " atqve ante trecentos annos exarata, vidiſſe aſſeveravit, " addiditqꝫ primas ſingulorum capitum literas aureas fu- " iſſe. Tandem multorum ex vetuſtate pugilum hiſtoriæ, " alibi non extantes, in Islandiâ inveniuntur. Hæc Paſtor Undalinus ad commendationem Annalium noſtrorum ſcripta reliqvit. *Nicolaus Cragius*, Undalino ſynchronus, vir doctus & prudens, qvid de Islandorum monumentis hiſtoricis ſenſerit, ipſe aperit Epiſtolâ ad Arngrimum, ex qvâ *Bartholinus* ſeqventia adducit Antiqvit. Danic. lib. I. Cap. XI. pag. 184. *Omnes noſtoss ſpes habet, in veteri hiſtoria nusquam certiora & veriora, qvam apud vos* (Islandos) *extare, propter ea qvæ Saxo de veſtris ſcripſit.* Clariſſimus *Stephanius* Not. in Saxonem pag. 16. ita ait: *Nihil certius eſt, qvam olim habuiſſe Islandos innumeras variarum gentium hiſtorias, & à ſe, & ab aliis conſcriptas: qvarum tamen maxima pars injuria tem-*

poris

poris intercidit. Qvanto vero ſtudio cognoſcendis aliarum nationum rebus geſtis incubuerint Islandi, colligere licet ex iis, qvæ hodieq; ſuperant, monumentis, magnoq; in pretio in Islandia habentur. Diſſertationem hancce noſtram tandem claudant Eruditiſſimi *Bartholini* verba, Antiqvit. Danic. lib. I. Cap. XI. p. 198. *Aræ* (nos Arium vocamus) *veſtigia Snorro Sturleſonius, aliiq; Islandi, circa Snorronis ferè tempus, preſſerunt, qvi de Danicis, Norvagicis, Sveticis & Islandicis rebus egregias & fidedignas hiſtorias compoſuerunt, qvibus ea ſolùm venia danda, qvod miſcendo humana divinis, primordia hiſtoriarum auguſtiora faciant; aliàs nullam ſibi fingendi aſſumentes licentiam, omnia fideliter, vel ex priſcis veracibus carminibus educentes, vel priſcorum hominum relationes ſecuti.*

CAPUT VII.

De vetuſtiſſimorum Rerum Danicarum ſcriptorum auctoritate & fundamentis.

Expoſitis fundamentis, qvibus Islandorum hiſtorici relationes ſuas ſuperſtruxerunt, ulterius diſpiciendum, an vetuſtiſſimi (recentiorum ſinguli hos ſecuti ſunt) Danorum hiſtoriographi, in qvantum ab iis diſſident, firmioribus documentis nitantur. De Adamo Bremenſi, ut antiqviſſimo, pauca præmittenda. Hic qvantumvis in Eccleſiæ ſuæ rebus peritus fuerit, certè in hiſtoria ſeptentrionis plane hoſpes erat, resqve toto cœlo diſtinctas confudit. Omittam nunc ea, qvæ de Sveni admorſæ barbæ rebus, calamitatibusqve ac perſecutionibus, confuſè & contra veritatem ſcribit, alibi, Deo volente, excuti-

cutienda. Unicum hoc loco confuſionis ejus exemplum adferam ex illius lib. II. Cap. XV. ubi Emundum Eirici filium, Sveciæ Regem, tempore Haraldi Cærulidentis, Daniæ Regis, in Svecia regnaſſe tradit; cum tamen conſtet, filium ejus Eiricum, decimo Haraldi Pulchricomi anno vita functum, qvi ex noſtra hypotheſi erit Chriſti DCCCLXXIII. vel proximè ſeqvens: qvo tempore Haraldus Cærulidens, ne poſt viginti qvidem annos, in lucem editus eſt, nedum Emundi tempore vixit. Adſcribam verba Adami: Emund filius Erici tum in Sveonia regnavit. Is Ha-
„ roldo (*loqvitur de Haraldo Cærulidente*) confœderatus, Chri-
„ ſtianis eò venientibus placabilis fuit. In Nordwegia Hac-
„ qvin Princeps erat, qvem dum Nordmanni ſuperbius a-
„ gentem regno depellerent, Haroldus ſua virtute reſtitu-
„ it, & Chriſticolis placatum reddidit. Hacqvin iſte crude-
„ liſſimus ex genere Ingvar & giganteo ſangvine deſcen-
„ dens, primus apud Nordmannos regnum arripuit, cum
„ antea Ducibus regerentur. Igitur Hacqvin triginta qvin-
„ qve annis in regno exactis obiit, Hartildum (*corrige* Ha-
„ roldum) ſceptri relinqvens hæredem, qvi ſimul Dani-
„ am poſſedit atqve Nordwegiam. Ex his illud in Haconem Comitem qvadrat, qvod reſtitutus fuerit ab Haraldo Cærulidente, tunc cum à Gunhildidis regno pulſus eſſet; qvi longo poſt tempore, cum ſuperbius ageret, tumultuantis populi confluxu in fugam verſus interiit; ſuccedente Olafo Tryggvino, non vero Haraldo Cærulidente. Qvod autem Haconem Regnum Norvegiæ, Ducibus antea gubernatum, primum arripuiſſe ait, id Haraldo Pulchricomo competit. Hinc qvantum in hiſtoriis ſeptentrionis Adamus hallucinetur, & qvam exiguam fidem mereatur patet. Longum eſſet illius errores perſeqvi,

qvi, qvos *Arngrimus* in Specimine Islandiæ fuſè monſtravit, nosqve in proceſſu operis bono cum Deo clariùs detegemus. Nihil itaqve talibus illius relationibus antiqvitas prodeſt, Isleifo qvidem æqvalis fuit, Arioq; prior; ea tamen tueri neqvit, qvæ parum à ſuo tempore remota, ex Sveno Eſtrithio Daniæ Rege ſe audiviſſe profitetur, & qvidem de ipſius Sveni avo, Rege longe celeberrimo, qvæ ipſum minimè latere poterant.

Sed miſſo in præſens Adamo, Saxonem Grammaticum pauliſper inſpiciamus, vetuſtiſſimum in gente Danica hiſtoriographum. Hic cum ab Islandorum traditionibus valdè diverſa literis conſignaverit, omnino diſpiciendum, qvæ & qvanti ponderis fundamenta ſecutus ſit. Qvatuor ipſe in operis ſui præfatione profitetur: I. Carmina patrii ſermonis à Danorum antiqvioribus vulgata. II. Inſcriptiones veteres, hinc inde in ſaxis & rupibus repertas. III. Islandorum monumenta hiſtorica. IV. Archiepiſcopi Abſalonis aſſerta ac narrationes. Iſtas hoc loco excutere non attinet, cum non niſi propiora Saxoni tempora reſpicere potuerint, ac itaqve eorum, qvæ de vetuſtis Danorum rebus ſcripſit, fundamenta eſſe neqveant. De tribus prioribus membris paucula dicamus.

Carmina qvod attinet, admodum pauca illa fuiſſe ipſemet fatetur, dum metra ſe metris reddidiſſe perhibet, liber enim tertius & qvartus ne unum qvidem exhibent. Ex iis autem qvæ publicavit, qvis epocham regni? qvis Regum ſeriem? qvis ſtemmatum ordinem, & id genus alia eruet? Nonus qvoqve liber, & qvi poſtea ſeqvuntur, carminibus carent. Fateor tamen habuiſſe eum ad manus egregias odas, qvæ jam Islandis interierunt, uti *Biarkamal* & Starkatheri carmen, qvorum poſterius ſecutus bellum

Bra

Bravicum accuratè ſatis deſcripſit. Eſt enim penes me fragmentum hiſtoricum veteri lingva conſcriptum, qvod cum eo collatum maximam partem convenit, niſi qvod Thyienſes, qvos ille enumerat, athletas, penitus ignorat. Prius illorum qvantum ad hiſtoriam faciat, manifeſtũ eſt, cum id integrum metricè à ſe redditum libro II. inſeruerit. Verbo: Carminum non niſi pauca Saxoni ad manum fuere; qvæ enim habuit metricè reddidit, exigua verò operis illius pars metris conſtat.

Inſcriptiones, in ſaxis aut rupibus repertas, Saxoni in digerendâ rerum ſerie plus ſuppetiarum non tuliſſe, arbitror. Etenim paucæ admodum illæ ſunt ſemperq; fuerunt, nec multum luminis hiſtoriæ fœnerantur. Præterea longâ cœli inclementia imbriumq; injuria ita exeſæ, ut literarum ductus oculi vix aſſeqvantur; vel ſi id maximè, tamen adeo intricatæ, ut qvod oculis poſſis, ne intellectu qvidem apprehendas. In teſtimonium aſſertionis hujus Wormii & Verelii, diverſas interpretationes adduco, qvorum uterqve in his exercitatiſſimus erat, conveniebatqve inter illos de notis & ductibus literarum: & nihilominus in explicatione penitus à ſe invicem diſſidebant. Juſtè igitur *Bartholinus* Antiqvit. Danic. Lib. I. Cap. IX. pag. 145. Petro Huetio ſuccenſet, in libro de Origine Fabularum Romanenſium ſeqventia ſcribenti: *Daniæ, Sveciæ & Norvegiæ incolæ veteres, non minus fabuloſas, qvam Græci ſibi finxerunt origines; hiſtorias ſuas, ad arbitrium confictas, priſcis characteribus Runicis, magnis in lapidibus incidebant, qvorum in Dania qvædam fragmenta vidi.* Vanitatem hujus aſſertionis evidenter monſtravit *Bartholinus* loco citato; verba illius ſic ſonant: *Neſcio qvo præjudicio motus hiſtorias lapidibus inciſas, ad arbitrium confictas aſſerere auſus eſt, cum ea qvæ nos in*

his regionibus nati & educati ex iisdem lapidibus magno labore, & ut plurimum per conjecturas elicere valemus, falſi arguere impoſſibile credamus, cum nulla alia ſuppetant monumenta, unde ea affirmare vel refellere poſſimus. Et ſi qvatuor vel qvinqve lapides exceperis, hiſtoriam priſci ævi illuſtrantes, reliqvorum inſcriptiones ità ſunt intricatæ (de priſcis lapidibus in gentiliſmo erectis & exaratis loqvimur) & interpretationem omnem refugientes, ut vix nomina ſepultorum inde eruere, nedum origines gentium, qveamus; qvod tamen ſe aſſecutum ex fragmentis modo lapidum in patria noſtra viſis, Huetius impudenter falſus eſt, vel fallere voluit, qvem vix ac ne vix qvidem litterulæ ſenſum aſſecutum veraciter opinor.

Islandicorum monumentorum tertio loco Saxo meminit, eaq; ingenti encomio, ſuperius à nobis allato, honorat. Nos ſuſpicionem noſtrã diſſimulare non poſſumus, nempe videri Saxonem iſta documenta parum accuratè pervolviſſe; in pauciſſimis enim ei ſuffragantur, prout ex operis hujuſce noſtri contextu inferius manifeſtum fiet; unde neceſſariò concluditur: aut hìc de ſuo in monumentis iſtis percurrendis labore juſto magnificentius locutum eſſe Saxonem, aut omnia hæcce Islandorum documenta, Saxoni viſa, ab illius tempore interiiſſe, eaqve, qvæ tanto numero nunc verſamus, in priorum locum efficta eſſe; qvod ultimum creditu difficile, imò planè abſurdum nobis videtur.

Noſtram hanc de Saxone ſententiam non leviter confirmat *Sveno Aggonis*, civis illius & æqvalis, qvi ubi in ſuo Hiſtoriæ Danicæ Breviario Regum ſeriem orditur, Islandis ſimilis eſt, carminumqve illorum ibi meminit; ut eos hac in parte ſecutum eſſe appareat: nec aliâ de cauſa ab horum monumentis in ſeqventibus exorbitaſſe videatur, qvam qvod eorum exiguam partem ad manus habuerit. Credi-

mus itaqve Saxonem ea, qvæ de antiqviſſimis patriæ reb ſcripſit, in Islandorum monumentis *talia non inveniſſ*, ſed gloriæ gentis ſuæ *inprimis ſtudioſum*, *Regibus ori*nem apud Chriſtianos honoratiorem, qvam à *gentili* deaſtro, dare, gentiqve antiqvitatem *profundiorem* conciliare voluiſſe; atqve ideo Daniam ab ultimâ *origine* eodem, quo ſuo tempore, nomine *dictam*, *aſſeruiſſe*; id qvod *Verelius* Not. ad Hiſtoriam *Hervorianam pag. 41. non ob*ſcurè oſtendit; & nos, Deo Duce, *in hoc opere luculentius* demonſtrare conabimur.

CAPUT VIII.

De Antiqvitatibus Gothlandicis.

RErum Danicarum initia, à Saxone literis tradita, ſuſpecta nobis eſſe diximus. Sed longè altius aſcendit, remotiorumqve multò temporum notitiam exhibet *Claudius Chriſtoph. Lyſchander* Synopſeos Hiſtoriarum Danicarum, vel Operis *Genealogici* Regum *Daniæ, lib. III.* Ibi enim, revolutis primis à *reſtaurato* orbe ſeculis, ad oculum monſtratur: qvo ex Noachi poſteris patre prognati ſint Cimbri; qvo duce, qvâ viâ, qvanto temporis ſpatio in Cimbriam devenerint; qvas ſedes occupaverint; qvid deinde ad ſextum Cimbriæ judicem geſſerint, qvi devictis in Scaniâ Gothis oppreſſam multitudine ſua regionem, magna parte civium ex omnibus ditionis ſuæ provinciis collectâ, è portu Scaniæ Cimmershafnia, (in rei geſtæ memoriam ita dictâ,) emiſſâ, levavit. Magnam hæc, ſi genuina, rebus Septentrionalibus lucem adferunt; præterea veterum ſcriptorum teſtimonia de Gothorum è Scandiâ egreſſu egregiè confirmant, imò emigrationis illius tem-

pus clare aperiunt. Itaq; ex re erit in traditionis iſtius auctoritatem paulum inqvirere & primo loco diſpicere, unde ſua habuerit Lyſchander. Hanc in rem partem literarum adferam, qvas mihi ante annum ſcripſit *Arnas Magnæus* Archivarius Regius, civis meus & amicus: *Quæ*, ait, *de Cimbriæ Judicibus, Dano, primo, ut volunt, Daniæ Rege, vetuſtioribus, Lyſchander Genealogiarum ſuarum libro III. habet, ea maximam partem debet ejusdem argumenti libello Danico, nunqvam impreſſo, cujus aliqvot exemplaria vidi, & unum ipſe poſſideo. Ille verò libellus deſumtus eſt ex Nicolai cujusdam Petreii opere, cujus nonnulla typis divulgata ſunt ſub titulo:* Cimbrorum & Gothorum origines, migrationes, bella atq; coloniæ. *Sed major ejus pars in manuſcriptis adhuc inedita latet. Petreius iſte ſe inſignem hunc (ſi Diis placet) antiqvitatis theſaurum anno 1547. in Gotlandia inſula inveniſſe ait.* Scriptum hocce Petreii *Verelius* Not. in Hiſtor. Gothrici & Rolfi p. 6. *Chronicon Gothlandico-Cimbrium* vocat, & Danici illius libelli auctorem *Nicolaum Michaelis* appellat. Illius de utroqve verba hæc ſunt: Horum „ (*qvæ præcedunt*) occaſione Chronicon Gotlandico-Cim- „ bricum excutiemus: Edidit hoc Nicolaus Petreius Haf- „ nienſis; & Saxone 1800. annis vetuſtius eſſe venditat: „ in Danicā poſtea lingvam ab Nicolao Michaelis translatum, titulo: Danmarks førſte Begyndelſe og Herkomſt. „ *Pergit Verelius:* In hoc Chronico Gothorum origines „ hac ſerie deducuntur. Gomer filius Japhet, Tygar filius Gomer, Rex Phrygiæ. Gomer junior Rex Cimbriæ ſive Jutiæ Anno mundi 1850. Segud Gomer filius, Rex Jutiæ anno mundi 1960. Atzer Segudzſon anno „ mundi 2020. Truid Atzerſon anno mundi 2085. Tielvar Truidſon anno mundi 2141. Oſtrid Tielvarſon 2781. „ (*corrige* 2182.) Guti Oſtredſon anno mundi 2200. „

Hic(ut ex *Lyſchandri* libro tertio de Sereniſſimorum Dan. Regum genealogiis, qvæ hic prætermiſſa ſunt ſupplear) Scandiam vicinasqve terras, qvas Getæ incoluerant ſubegit. Illi enim avi ejus Truidis tempore adeo exc… verant, ut Cimbri metu eorum colonias in Sædlandiam præſidiarias ducerent, eamqve excolerent, qvo etiam ipſe Truid conceſſerat, relicto in Cimbria filio Thielvare, ad inſultus vicinorum Nordalbingorum Angrivariorum & Marſorum reprimendos. Jam vero potentior Guthius, devictis Getis, provincias, Eoum auſtraleqve mare interjectas, in unum imperii corpus redegit; deductisqve

„ (*Verelium iterum exſcribo,*) ex Cherſoneſo & Selandia co-
„ loniis, in peninſulam Scandiam Gothorum protulit no-
„ men, (*qvod Cimbris prius impoſuerat*) & primum qvidem
„ in Scaniam, inde in Oſtro- & Veſtro-Gothiam. Vocati
„ autem Cherſoneſi incolæ, per 350. annos Cimbri, inde
„ per 710. annos Gothi, tandem à Dano Dani in hunc di-
„ em nuncupati. Tielvar Gutiſon deductis ex Cimbrico
„ (*Scandiæ*) portu coloniis, anno mundi 2264. Gothlandiàm inſedit; occupatâ (*qvod ex Lyſchandro iterum addo*) in itinere prius Bornholmia, ubi unum ex ſuis nomine Beor,
„ reliqvit, qui inſulæ de ſe ipſo nomen dedit. Hafder Tiel-
„ varſon ex uxore Hviteſtierna tres ſuſcepit filios, Guti,
„ Grippa & Grumphin, (*Lyſchandro Gvelphinum*) poſt patrem
„ ſimul imperantes, & inde Guti ſolus. Hinc Vamlin-
„ gus Gutiſon & Hablingus Vamlingi filius. Multiplica-
„ tis in immenſum incolis Gotlandiæ inſulæ anno mundi
„ 2500 ſorte educuntur in alias terras transmigraturi, qvi
„ Helgone Duce Eſtoniam inſident. Mox ſub filio ejus
„ Dâno ſubactis Thracibus & Getis, ſedes ad Danubium
„ figunt. Veſta Dani filia anno mundi 2620. Velmarum

ge-

genuit, Gothis tempore belli Trojani imperantem. Hactenus Verelii verba: qvibus ego ſeqventia addo: Velmari filium *Lyſchander* libro IV. exhibet, nomine Danum vel Thanachim, à qvo fluvius Scythiæ celeberrimus Thanais, qvi Europam & Aſiam dirimit, nomen traxerit. Hunc Thraces & Getas rebelles domuiſſe, Aſiamqve minorem vaſtaſſe anno mundi MDCCXXXIV. adqve tributa pendenda adegiſſe tradit, eundemqve eſſe, de qvo Juſtinus & Jornandes tractant, reprehenditqꝫ Juſtinum, qvod eum ante Nini tempora evexerit, cum tamen annis DCCCXXVII. à principio Monarchiæ ejus Aſiam minorem domuerit. Poſt hujus tempora Principes ex Gothlandico ſtemmate prognatos oblivione ſepultos tradit. Mox autem, ut & libro V. ubi de Bericonis & Filimeris expeditionibus agit, exercitum Filimeris, cum ex Pruſſia Vandalia & vicinis territoriis ad lacum Mæotim migraret, in duas partes ſciſſum perhibet, qvarum aliâ in Aſiam cum illo transgreſſâ, reliqva in Europa Thanachis Gothis ſe miſcuerit, ibiqve remanſerit. Hæc qvomôdo ſubſiſtant, non aſſeqvor. Mortem enim Filimeris in annum mundi MMDCLII. refert, regniqꝫ ejus annos XXII. numerat, eiqꝫ Tanauſiũ ſucceſſiſſe memorat, qvi cum Rege Ægypti Veſoſe bellum geſſerit, à cujus militibus in Media relictis, Parthi originem duxerint, cujus ſucceſſorem nec apud Jornandem, nec alios nominari. Ego duos Tanaos vel Tanauſios nuſqvam invenio. Nec Juſtinus aut Jornandes plures referunt, & qvæ Lyſchander de utroqve ſcribit, uni apud eos conveniunt. Illud vero ſe ipſum ſubvertit, Tanauſium qvi LVIII. annis mortem Filimeris, eodem teſte, anticipavit, ei jam mortuo ſucceſſiſſe. Sed nec levis diſſenſus hic oritur inter Lyſchandrum & eos, qvi Tanauſium Filimeris filium

ſtatuunt, cum hic omnes ejus progenitores ad Japhetum uſqve ordine recenſiti pateant, qvotqve ſinguli annos regnarint, apprime conſtet. Ad Verelium redeo, qvi ſuperioribus ſuis verbis, ſeqventem ſubjungit cenſuram: *Fuiſſent certè inſignis antiqvitatis theſaurus, ſi genuina; ſed admotis oculis, turpis ærugo ſe prodit. Nihil jam de eo dicam, qvod Gothos non à Gomer, ſed à Magog Iſidorus & ceteri antiqvitatum conſulti derivent; Ipſa Chronologia ſingulis Regum temporibus tam adcuratè adſcripta, certiſſimum eſt argumentum falſitatis. Nulla qvippe monumenta hiſtorica, ante Chriſtiana ſacra huc illata, certâ temporum notâ inſignita ſunt, niſi qvà ex ſynchroniſmis ætates colligi poſſint; nedum ut à diluvio tempora ſupputaverint. Character præterea dictionis adulterinum fœtum exprobrat. Qvod ne falſo à me dictum exiſtimes, en tibi textum Gothicum, qvem citat verſio Danica.* Japhet tridium Noe Son/ hvilkom hiete Gomer, han for til einom Landom/ udindan hed mindrum Aſia, og nefnde hed Folkid hannom folgdom Tygraner/ hvilked Landom fremtidom nefndes Phrygia. Hed er ſked da af Verldunge Ar varo gangin atirtan hundrit oc halfandrom ſtye/ udindan Saruks tidom. Sammelune for Tygar Gomers Son ofver Mærit til Europam, ier fredie Del af Verldum/ oc dueldom nogrom lunom i Skyterslandom/ neſt hin ſtora Myr/ hvilkom heiter Meotis, hvilkom er Mertz mutter. Metin da af Verldunge Aar voro gangin attirtan hundrit oc halftredium ſtye/ drog Gomer hin Unge af Skyters Landom genom mongom Landom mod Norden/ oc bygde ſa i hed Landom/ hvilked heiter Vitilandom/ (nu Jutland kaldit) oc ligger mot het Nordre Mærit/ &c. *Gratulandum vobis cenſeo, antiqvarii, de lingva Gothica remotiſſimæ vetuſtatis. Si ſic ſcilicet unqvam locuti ſint Gothi, & non monſtra ſint hæc verborum detortorum & ſolœciſmi. Putavit nempe*

putidiſſimi figmenti parens deformem dictionem ut antiqviſſimam ab incautis exceptum iri: ideoq; voces ferè ſingulas in om *terminari voluit. Dimove jam hanc larvam, & de genuina facie judicabis. Bina hujus exemplaria MSS. legi, qvorum alterum Stephanii fuerat, jam Bibliothecæ Illuſtriſſ. Cancell. Com. Magni de la Gardie adſcriptum, cui seqventia in fronte notata erant:* Hæc accepi anno Chriſti 1646. die 23. Octob. ab errone qvodam, qvi ſcriptor fuerat M. Claudii Chriſtofori, ejusqve ſe ſcrinia compilaſſe aperte profitebatur. *Eqvidem, qvi Claudii iſtius Lyſchandri audaciam, ab Villichio Veſthovio Cimbro egregie caſtigatam, novit, haud injuria fœtum hunc ipſi vindicaverit; ideo in lucem protruſum, ut Gothorum origines in Scandia aliqvando convelleret, & qvæ foris patraverunt, Cimbris adſereret.*

Doctiſſimo Verelio heic aſſentiri, calculumqve adjicere veritas jubet. Nihil enim verius ſcriptor ille aſſerere poterat, qvam ſupputationem iſtam temporum, Regum Dynaſtarumve ſingulis tam accurate adſcriptam, certiſſimum eſſe falſitatis argumentum. Noſtrarum itaqve obſervationum partem aliqvam adjicere libet, nullo cujusqvam inſectandi ſtudio, ſed ſolo veritatis indagandæ, impoſturamqve detegendi amore. Vellem qvidem ſcripto iſti qvam indubitatiſſima conſtares fides, & invicta auctoritas; eo qvod adeo perſpicue gentis Cimbricæ originem & incrementa nobis exhibeat, ut ſacro etiam Codici origines profitenti parum cedat; imò perpetuam æram, ordinem & annorum ſeriem clarius tradat, ut ſupervacaneum foret, ulterius qvicqvam de gentis illius principiis aut antiqviſſimis rebus geſtis inqvirere. Verum miraculo proximum videtur, tantis ulti-

ultimæ vetuſtatis documentis refertum theſaurum, contra omnium reliqvorum monumentorum fatum, in Archivis, neſcio qvibus, totâ ethniciſmi, & ſuccedente religionis *Pontificiæ* periodis reſervatum fuiſſe, ac omnium ſcriptorum, Saxonis etiam, atqve Regis Erici Pomerani (ſi tamen ipſius eſt, qvod ſub ejus nomine circumfertur hiſtoriæ Danicæ breviarium: mihi enim à monacho qvodam compoſitum eſſe videtur.) induſtriam fruſtratum, non ita pridem in lucem prodiiſſe. Æqvè mirandum eſt, ſi locorum propria nomina, qvæ *mediis temporibus* (reſpectu ad antiqviſſima illa habito ita dicendis) alitèr, qvam in Gotlandicis hiſce monimentis exhibentur, pronunciata fuiſſe, ex indubiæ fidei documentis conſtat, nunc qvaſi mutationis iſtius tyrannide abrogatâ, rarâ fatorum proſperitate, in lingvam illam originariam, unde primam impoſitionem acceperunt, transfuſa ſint; ipſumqve illud gentis idióma, tot ſeculorum millenariis magnam partem vel *mutilatum vel proſcriptum, nunc in integrum* reſtitutum, velut *poſtliminio redierit; ita ut hujus libri* beneficio liceat ſummâ cum voluptate, *hodiernâ* lingvâ Danicâ, eâdemqve antiqviſſimâ, qvicqvid memoriæ tradiderant terrarum harum aborigines, absqve labore cognoſcere, qvod medioxuma illa tempora nobis jamdiu denegarunt. Sed nec intelligo, qvomodo ſummorum Patriarcharum memoria, qvam Gomerum huc advexiſſe ſtatuendum erit, (Sarugi enim & Abrahami hic fit mentio) in tantam tam cæcam oblivionem abierit, ut poſteriores ethnici nihil unqvam hoc terrarum tractu de iis audiverint, nullam ad poſteros famam eorum tráns miſerint. Itaqve idem mihi hic accidit, qvod iis, qvi cumulatam

latam fortunam ſuſpectam habent. Nam novus ille fortunæ favor, qvi tantam abſtruſiſſimarum rerum notitiam ante ſeſqviſeculum primum in apricum produxit, merum videtur eſſe ludibrium: atqve de dicto profundiſſimæ antiqvitatis monumento jure id dici poſſe, qvod de Scephi Heremodi filii genealogiâ, à Semo deductâ, ſcripſit *Daniel Langbornius* Antiqq: Albionenſium pag: 333. *Genealogiæ,* ait, *prædictæ ſcioli qvidam, cum jam univerſa gens fidem Chriſtianam ſuſcepiſſet, priſcorum Patriarcharum nomina, a Semo, qvem Bedvigi patrem faciunt, ad ipſum usqve Adamum Protoplaſtum aſcendentes attexuerunt. Qvod Sheringhamo, Semum Cimbricarum, Svevicarum, Gothicarum & Saxonicarum gentium auctorem conſtituenti, adeo arriſit, ut harum genealogiarum auctoritatem, ad opinionem ſuam ſtabiliendam advocaret, qvaſi Saxonibus Gothisqve magis qvam eruditioribus Romanorum, Græcorum, Ægyptiorum, Chaldæorum ac Serum populis innotuiſſet integra Macrobiorum illorum ſeries ac Moſaica nomenclatio.* Aliter ſentit *Arnoldus de Fine* Nidaroſienſis antehac Epiſcopus, in Obſervationibus ad hiſtoriam Norvegicam (qvam conſcribendam ſuſcepit, atqve in eam rem nonnulla congeſſit, ſed morte præventus nihil abſolvit) mihi à lectiſſima illius uxore, nobiliſſimâ Matronâ Mariâ Hofmannâ amicè communicatis. Ibi dictarum Gotlandiæ Antiqvitatum fidem aſſerturus, *Iani* potiſſimum *Minoris* judicium allegat, qvem cap. VI. libri ſui contra Petrum Roſæfontanum magnificare ait priſcam antiqvitatis per manus traditæ auctoritatem, ad oculum demonſtrantis, Svecos a Magogo ortos, in has oras boreales circa annum Mundi MDCCCXLIX penetraſſe, cui contradicere non oporteat; miraturqve, qvod ſolis Sveonum hiſtoricis, Jacobo Gislonis & Petro Petræo, aliisqve

iſqve, illud laudi ducatur, qvod Danicis documentis vitio vertatur, nempe certa a diluvio tempora ſupputaſſe, aut monumenta hiſtorica ante Chriſtianam æram, certa annorum nota inſignita, in medium produxiſſe, aut coæva ex ſynchroniſmo ætates collegiſſe. Sed nihil auctoritatis Gotlandicis iſtis antiqvitatibus hinc accedit: Janus enim Minor, aut ſub ejus nomine Meſſenius, hæc ſcripſit, ut antiqvam originis gloriam genti ſuæ qvoqvo modo conciliaret. Habetqve hic locum, qvod de Britannorum antiqvitate ſcripſit *Buchananus* Hiſtoriæ Scoticæ lib. II. *Qvi,* inqvit, *de veteribus annalibus originem afferre ſe aſſeverant, reddenda opinor illis erit ratio, qvis primus iſta tradiderit, ubi tamdiu latuerint; qvomodo ad nos poſt tot ſecula incorrupta pervenerint.* Imo ipſe *Lyſchander*, Antiqvitatum iſtarum maximus patronus, in præfatione ad Operis ſui Genealogici lib. V. veritatem confeſſus ſeqventia ſcribit: *Gothi eorumq; propinqvi & conſangvinei inter antiqviſſimas bellicoſiſſimas & famigeratiſſimas gentes, qvæ in hiſtoricis monumentis occurrunt, reputantur. Eorum fortitudo geſtaqve Martia ab antiqviſſimis probatiſſimisqve ſcriptoribus, Græcis atq; Latinis admodum celebrantur. Verum fateri cogimur: hic in Dania aut his regnis ſeptentrionalibus parum aut nihil de iis conſtare. Id qvod tempori, Marti, incolisqve ignoſcendum. Tempori: qvod omnia obliterat; Marti: qvi imperium invaſit, Minervamqve & ſcriptores ex his regnis eliminavit, cum omnes præclara perpetrandi, neminem conſcribendi cupido inceſſit. Qvin & indigenæ de his poſteros inſtruere, eorumqve notitiam ad ſeros nepotes traducere neglexerunt.* Qvid vero de tam remotâ, à noſtris temporibus vetuſtate, in tanto omnium de ſeptentrione iſtis ſeculis ſilentio, ex ſynchroniſmis ſibi polliceri poſſint antiqvitatum iſtarum propugnatores, non video.

To-

Tota enim Germania Taciti tempore, literas ignoravit; & ſi qvid antiqviſſimi poëtæ de rebus vetuſtis numeris ſuis complexi ſunt, jam Saxonis qvidem tempore interiit. Dic ergo qvæſo, qvinam illis ſeculis Reges in *Svecia*, qvi in *Norvegia*, qvi in Germania, aut Danis vicina *Saxonia*, externis fide dignis ſcriptoribus notati ſunt? ne unum qvidem invenies. Inſtas, concordare Antiqvitates iſtas cum ſacrarum literarum *calculo*: rem acu tetigiſti, qvid enim facilius, qvam *ſecundum* illarum, aut alii prævii ſcriptoris *contextum*, aliud ſcriptum comminiſci, cui ea adjicere *poſſis*, qvæ *iis* augendis aut illuſtrandis, vel etiam refellendis, prout decreveris, inſerviant. Cujus evidens exemplum habemus in Johanne Magno, qvi methodum Saxonis in Regum Daniæ & Sveciæ indice ſæpius ita accurate obſervat, ut utriusqve Regni Principes, omni tempore, & ſingulis ſeculis ſuſtentaſſe videantur, qvi acta publica literis proderent. Tantus in illorum ſynchroniſmis conſenſus, cum *tamen* Norvegorum Islandorumqve documenta multum ab utrisqve recedant. Verum neqvaqvam gratis Saxonem tam religioſe obſervavit: inde enim comminiſcendi materiam arripuit ad eum refellendum, & Danos cavillandos, qvaſi inficiari non poſſet, æqvales qvidem eorundem temporum fuiſſe Reges, qvos Saxo retulit, verum aliter in monumentis Svedicis rem expoſitam inveniri, cum tamen ex proprio cerebro plurima finxerit, qvod nos ad calem operis hujus prolixius & ex profeſſo monſtrabimus. Ad dictionis characterem tranſeamus. Certe textus ille Gothicus, qvem Lyſchander & Verelius adferunt, cum neqve antiqvæ, neqve hodiernæ lingvæ genium exprimat, monſtrum eſt, a tyrone lingvæ veteris in lucem editum. Id enim affectatus & anxie

qvæſitus horror, priſco idiomati incognitus, ad incaut decipiendos, terminationibus in OM plerumqve conve ſis, facile indicat. Accedunt denominationes compoſi tionesqve imperitæ, qvas ex monumento iſto Lyſchandei exhibet; harum qvædam exempla oſtendam: *Arhus* ibi dicitur, qvaſi *domus remorum*, qvod ibi domos ſev navalia piſcatores remis condendis ædificaverint in Cimbrico littore ad urbem Arhuſiam. Verum veteres membranæ ubiqvè *Aros* vocant, qvod *oſtium amnis* denotat. *A* enim *amnis*, in gignendi caſu *Ar* habet. *Os*, *oſtium amnis* ſignificat. Notationem fulcit ſitus oppidi ad oſtii ripas, tum & compluribus villis ex eadem cauſa impoſitum idem nomen, ut Nidaroſiæ nobili Thrandiæ urbi & metropoli, fundatæ ad oſtium amnis, qvi *Nid* vocatur. Hinc *Nidaros*, *Nidi amnis oſtium*. *Sædland* a ſatione vel frugum proventu dictum perhibetur qvod in antiqvis membranis *Sialand* ſcribitur, a mari circumfluo. *Edda* & *Snorrii* Chronica MSS *Selund*, qvaſi *maris lucum* appellant. Vide, ſi libet, Notas *Stephanii* in Saxonis præfationem pag. 19. & in his inſignis viri *Brynjolfi Svenonii* Epiſcopi Scalholtenſis teſtimonium. *Borringia*, qvam nunc *Bornholm* appellant, a viri, qvi *Beor* vocatus ſit, nomine dicta traditur. Vetuſtiſſimæ membranæ, qvot vidi, qvamvis rationem nominis non exponant, *Borgundarholm* tamen præferunt. Nomen ſexui fæmineo proprium flexus indicat, â recto *Borgund*, in genitivo *Borgundar* extenſum, procul dubio a fæmina *Borgund* enatum, non a viro *Beor*, ſic enim *Beorsholm* ſcriberetur. Extat & in Norvegiæ aqvilonaris provinciâ Sunnmæriâ, paſtorale prædium *Borgund* dictum. A Duce qvodam Borgundarholmenſi, aut eorum colonia, Burgundiones fortè dicti ſunt, qvi circa annum Chriſti CD.

cum

cum Vandalis & Svevis ab ultima Germania profecti, varias Galliæ partes occuparunt, regnoqve conſtituto Burgundiæ nomen de ſuo impoſuerunt, cujus caput Regiaqve ſedes Arelate. *Laalandia* ab area ubi frumentum trituratur appellata traditur qvaſi *Loislandia*. In monumentis noſtris, nominatim *Knytlingorum hiſtoriâ*, *Lalandia* ſcribitur. *La* aûtem Islandis, priſcæ lingvæ cuſtodibus, pauſa eſt, inter continuum (non qvi ſtatis horis fit) fluctuum ad littora attritum, qvi ſi fortè illic præ vicinis inſulis variat, nomen etiam inſulæ indidiſſe videri poterit. Qvod ſi qvis *Philippi Cluverii* etymologiam â voce *Laag*, qvod *humilem* denotat, magis probet, terramqve ab humili ſolo dictam conjiciat, nec ego repugno; facile enim properantiam lingvæ imitati librarii, literam *G.* omittere poterant. De primariæ Jutiæ urbis, *Viburgi*, nomenclatura nihil agam, qvum de ea opinionum diverſitatem, in Notis ad Ius Aulicum Canuti Magni fol. 696. abunde ſuppeditet optimus dum inter nos vixit, nunc inter ſanctos bonitate fulgens *Petrus Reſenius*. Hæc de nomenclatione dicta ſunto. Non Danis ſolum monumentum hocce antiqvitatis gloriam aſſerit; cum Scotis Friſiis & Anglis, Svecis, Norvegis, Saxonibus, Svardonibus, Angrivariis, eam qvoqve partitur. Vide Lyſchandrum libro III. pag. 30. ubi ad dictarum nationum latrocinia inſultusqve cohibendos, ſpeculæ in editiſſimis terrarum partibus erectæ memorantur a Truid poſteriore, qvi judicis titulo præfuit anno Mundi MMCCXC, longè ante Ferguſii primi Scotorum Regis tempora, qvem Alexandro Magno æqvalem Scotici ſcriptores faciunt, & ante Scottonis ætatem, qvem ſub Daniæ Rege Frothone primo Scottici nominis conditorem *Saxo* inculcat, circa annum mundi MMMCC. ex Ly-

ſchandri calculo. Tametſi Radulfus de Diceto pag. 1626. originem Scotorum mille & duobus annis Iſraeli‑rum egreſſu ex Ægypto recentiorem facit, ducentis circiter annis Saxonis Scotto inferiorem. Nec ipſi Angli gentis ſuæ primordia, a tanta antiqvitate repetunt. Nam eorum moderatiores, qvi fabulas Britannicas jam dudum exploſerunt, fatentur ante Iulii Cæſaris tempora, nihil de Britannis exploratè cognitum eſſe, niſi Divitiacum Regem Sveſſionum Britanniæ imperium obtinuiſſe, teſte *Camdeno* ſuæ Britanniæ pag: m. 28. qvicqvid recentiores veterum Britannorum theſauros aliorumq; ſcripta revolventes ſentiant. Inprimis *O-Flaherty* qvi exploſo Bruto (utpote qvi nunqvam in rerum natura extiterit, auctoritate Gildæ, vetuſtisſimi Britonum ſcriptoris) longe vetuſtiorem Britannum Ferguſii Rubri filium, Nemetii nepotem, gentis Britannicæ conditorem ſubſtituit circa annum M. 2245. ante inventam, vel certe uſitatam navigandi artem. Nec Ubbo Emmius, Friſiorum hiſtoricus gravis & luculentus, ultra nati Chriſti epocham ſuæ gentis originem extendit, non qvod in antiqvitate cum vicinis gentibus ſuam qvoqve certare poſſe diffideret, ſed qvia idoneis teſtimoniis de ſuperiorum ſeculorum geſtis deſtituebatur. Supereſt ad huc unum Gotlandicæ antiqvitatis & celebritatis teſtimonium, inſcriptio nimirum, literis Runicis inſculpta ſaxo, prope urbem Visby, qvod *Korpeklinte* appellatur, qvæ migrationem Helgonis cum Gothis æternitati conſecravit, qvam *Vormius* Monument. Danic. libro V. pag. 451. ita vertit. *Anno bis milleſimò qvingenteſimo, exiit Helgo cum Gothis ſuis.* De illa judicium eſt *Verelii*, qvod dialecto Cimbrica vix heri ab impoſtore aliqvo ſcripta videatur, Mitior Vormii cenſura eſt: *Ferunt*, ait, *Helgonem hæc ſculpenda curaſſe, ante*

ab-

abitum ſuum, qvod tamen mihi vix videtur probabile, cum eo ſeculo, non annos ſed hyemes computaverint, ac tunc temporis epocha conditi Mundi, à qva hic ſit computatio, noſtratibus plane fuerit incognita; ab aliqvo igitur medii ævi hæc exarata arbitror. Et ego qvidem ab aliqvo, qvi longe infra medium ævum vixit, non, ut putat *Sheringhamus*, a rerum antiqvarum ſtudioſo, ſed aliqvo rebus antiqvis fucandis nato, nec ad conſervandam rei geſtæ, ſed recens natæ chimæræ ſuæ memoriam. Nulla me libido inceſſit Antiqvitatibus hiſce Gothlandicis, aut ejus fautoribus inſultandi, ſed evidenti neceſſitate compulſus hæc notaui. Mihi enim certum aliqvod tempus, aut ſaltem certo ſimile, inveſtigandum eſt, unde hiſtoriam exordiar, & proinde ea principia removenda, qvæ traditionum repugnantiis, aut palpabili abſurditate ſe ipſa ſubvertunt.

CAPUT IX.

De Sveticis Scriptoribus.

VIſis præcipuis antiqvitatum Danicarum concinnatoribus, par eſt ut ad Sveticorum annalium conditores pedem promoveamus. Omnium inſtar erit unus Upſalenſis qvondam Archiepiſcopus Johannes Magnus, cujus hiſtoria Sueo-Gothica omnibus nota. Præteribo qvantum licet ea, qvæ partium ſtudio motus in gentem Danicam iniuriosè ſcripſit, aliisqve potius argumentis vanitatem ejus ad oculum monſtrabo,

Is auctoritatem ſuam eo potiſſimum ſtabilire nititur, qvod indigena Gothiæ de rebus notis apprimeqve perſpectis tractet, carmina etiam patriâ lingvâ concinnata, inqve

qve conviviis excitandæ ad virtutem juventuti freqventer cani ſveta, & ne longæva vetuſtate aboleri poſſent, rupibus & ſaxis inſculpta, ad magnam hiſtoriæ ſuæ partem conficiendam adhibuerit; plura inſuper antiqviſſima volumina, publica ſacerdotum Upſalienſium fide & Gothico ſermone & charactere conſcripta, atqve huc illuc diſperſa à ſe inventa, ad ſui inſtituti negotium accommodaverit. Hæc forte Romam ſecum ſi devexit, deperdita qvis ſtatuat, ſaxa tamen & rupes in patria reliquisſe minime ambigat, nec aliò inde translata putandum. Qvæ ſi, ut ille profitetur, hodie extarent, ſeriemqve hiſtoriæ, temporumqve nexum, geſtorumqve ordinem monſtrarent, immerito ſcriptores poſteriores, veritatis amantes, ab illius traditionibus receſſiſſent. Unum carmen Sapphicum, qvod a magna antiqvitate celebrat, nobis exhibet, de Eirico primo Gothorum Rege. Id cum ingens, ut videtur, teſtimonium de Gothorum prærogativa afferat, mirum indignum viſum, qvod cautibus inſereretur. *Nobis tamen a Verelio Not. in Hervoræ Hiſtor. pag. 113. patriâ lingvâ* communicatum, nullam antiqvitatem præferre videtur, temporibusq; Regis Eirici Pomerani factum conjicimus. Nec major auctoritas voluminibus, qvæ citat tribuenda, ſi enim antiqva fuiſſent, haud tot ſeculis delituiſſent. Ego illaudatâ poſterorum induſtriâ, anilibus fabulis referta fuiſſe colligo; præſertim cum Eiricus Olai, hiſtoriæ Suedicæ ſcriptor vetuſtus, æqvalis Regi Daniæ Chriſtiano Primo, qvi anno MCDXLVIII ad imperium evectus eſt, nihil horum viderit, vel nullum illis pretium ſtatuerit, aut locum in hiſtoria ſua reliqverit. Imò eundem qvem alii, patriorum documentorum defectum pag. m. 8. qveratur dicens qvod ſucceſſio Regum Sveciæ difficulter aliqvo ordi-

ordine tradi poſſit, defectu documentorum authenticorum, ſaltem ad ea tempora, qvibus Chriſtiana profeſſio in illâ terrâ fundata eſt (fundata eſt autem poſt annum Chriſti milleſimum): idqve primò, defectu ſcriptorum idoneorum; deinde qvod ſi qvædam a majoribus ad poſteros pervenerunt, tamen ut frivola neglecta nullius penſi habita fuerint; tertio qvod externi Reges prædeceſſorum genealogias interceperint, & deleverint; deniqve qvod in multos principatus diſtincta fuerit regio, & poſtqvam ad duo regna reducta eſſet, unus ſæpe Rex alterum factione populi ſublatus removerit, qvod cum ſæpius obtinuerit, haud facile conſtare, qvi regnaverit, aut regno exutus fuerit. Has regulas ſi Johannes Gothus obſervare voluiſſet, minime tot Reges ipſe finxiſſet ê proprio cerebro, id qvod ei perinde ac Lyſchandro Clariſſimus *Verelius* Not. ad Hervoræ Hiſt. p. 42. his verbis improperat: *Crantzii qverela motus Johannes Magnus lib. 8. cap. 16. æqvè ut Lyſchander providere voluit, ne aliqva in noſtra hiſtoria lacuna deprehenderetur, Regibus non paucis recenſitis, qvorum apud aliòs nulla mentio, Illaudata profecto induſtria, & peſſimi apud poſteritatem meriti, dubia vel ficta à genuinis hoc pacto vix diſcernentem. Nam ut fuerint qvidam ex illis Reges vel Principes illuſtres, an eo tempore, numero & ordine ſibi ſucceſſerint, admodum eſt lubricum ſtatuere. Longe præſtat inopiam fateri, qvam fucatas opes oſtentare. De Regibus iſtis ita D: Loccenius: Hos omnes Ericus Upſalenſis & alii veteres non agnoſcunt, & tamen tanto temporis intervallo, nimirum 343. circiter annis, oportuit fuiſſe Reges.* His ſubjiciam Philippi Cluverii cenſuram de Johanne Magno Germaniæ Antiqvæ Lib. III. cap. XXXIV. pag. 630. *Johannes*, inqvit, *Magnus, Archiepiſcopus Upſalenſis, qvod Gothorum, etiam ante exitum ê Scandinavia XIII. Reges nomina-*

tim enumeravit, id ſane de ſuo, multo Iornande veſanior adfingere auſus eſt; è cujus hiſtoria ſi ea, quæ duce Iornande e Getarum Gothorum & Scytharum rebus geſtis, ſuis Gutis falsò aſtruxit, demas, vix tertia pars univerſi operis manebit.

Sed qvoniam recentiores Suecorum ſcriptores, viri inclyti, jam dudum deprehenſis ejus nugis, Islandorum memoriis, longe majus pretium ſtatuerunt, in eo refellendo non ero operoſus. Saltem ad calcem hujus operis, Deo duce, luculenter monſtrabo, non Saxonem eidem impoſuiſſe, ſed eum Saxonem in ordine Regum Sveticorum tam religioſe ſecutum fuiſſe, eo tantum fine, ut celeberrimæ gentis Danicæ famam convelleret, orbiqve literato illuderet.

Atqve hæc de ſcriptorum ſeptentrionalium auctoritate & fide doctiorum peritiorumqve hominum judicio ſubjicio, certò mihi perſvadens nacturum me inter illos aliqvot ſuffragatores, qvi mecum ſtatuant, veterum poëtarum carminibus, ante fundatam Chriſtianam religionem, invectasqve cum illa in ſeptentrionem Romanas literas, præ omnibus aliorum aſſertis, in hiſtoria ſeptentrionis maximum pondus eſſe tribuendum, & per conſeqvens Islandorum annalibus, qvi inde deſcripti ſunt; præſertim cum aliarum gentium hiſtorias, cum iis conſentientes, illis non raro robur addere videant, id qvod in hiſtoria Orcadenſium, de bello Brianico in Hibernia geſto, & paſſim alibi a nobis oſtenſum eſt.

THOR-

THORMODI TORFÆI
SERIES DYNASTARUM ET REGUM DANIÆ.

LIBER II.
De Epocha Regni Danici.

CAPUT I.
Dania Antiqvitus Gothia dicta Gothorum & Vitarum nomenclatio perpenditur.

Gothorum nomen, externis ſcriptoribus celebratiſſimum, totoqve orbe decantatiſſimum, nec annalium noſtrórum concinnatores latuit; an Gothis, Scythis, Cimmeriis, Cimbris, reciprocum, non item definiunt. Jam dudum de his a doctiſſimis viris variè diſputatum. Nobis propoſitum eſt qvantum ex Islandorum antiqvitatibus de populis, iſto ſymbolo comprehenſis, accepimus, in præſens evulgare. Et primo: qvo nomine ve-

nerit univerſus terrarum tractus, qvem gentes, hoc vocabulo illuſtres, ſeculo, natales Chriſti, omnium Domini proxime præcedente, incoluerunt. *Gothiam* dictum conſtat ex *Rimbeglâ*, libro vetuſto, qvi Odini huc migrantis tempore, regiones, qvas Aſæ poſtea incoluerunt, *Godlandias*, & incolas *Godiod*, i.e. *Gothicas nationes* appellatas teſtatur. Integer locus exſtat inferius Lib: III. cap. IV. Univerſum illud territorium in *Reidgothiam* & *Eygothiam* diviſum fuiſſe teſtatur *Edda* his verbis: I þann tima var kallat allt megin„land þat er hann (*Odinn*) atti Reidgotaland, en eyiar „allar Eygotaland, þat er nu kallat Danaveldi oc Sviaveldi. i.e. *Eâ tempeſtate* (ſc: cum Odinus ſeptentrionem occuparet) *univerſa continens, qvam* (is) *poſſidebat*, *Reidgotalandia* (Reidgothia,) *inſulæ vero omnes Eygotalandia* (Eygothia) *appellabantur, id nunc Daniæ & Sueciæ regnum eſt.* Poſſidebat inſuper Odinus Norvegiam, cui filium Semingum præfecit; imo & partem magnam Germaniæ. Patet etiam ex *Saxone* Norvegos Gothis annumeratos fuiſſe, Nam Lib: VIII. in belli Bravici deſcriptione pag. m. 146. Thorkillem Thelamarchenſem Guttonibus annumerat: ſuffragante *Verelio* in Notis ad Cap. I. Hiſtoriæ Gothrici & Rolfi pag. 12. his verbis: *Qvi Dalakarlos præterfluit Dalaelf nobis dicitur (elf enim commune nomen eſt & flumen ſignificat.) Ita qvi per medios Gothorum populos labitur inter Viſigothiam & Norvegiam; Gotelba ſive Gautaelf nuncupatur, Gothiqve ſunt qvi ab utraqve fluminis ripa colunt: Viſigothi ſcilicet & Norvegi Ciſalpini forte etiam trans-Dofrani.* Præfatio præterea carmini antiqviſſimo *Grottaſaung* præmiſſa, diſerte teſtatur eas terras, qvæ illo tempore, cum Snorrius Sturlæus, aut ſi qvis alius, Eddam ex vetuſtiſſimis odis concinnavit, Daniæ nomen retinebant, antiqvitus

Gothi-

Gothiam dictas fuiſſe; ibi enim ſic habetur: Skioldr het „ ſonr Odins er Skioldungar eru frakomnir, hann hafdi „ atſetu oc red laundum, þar ſem nu er kaullut Danmaurk „ en þat var kallat Gotland. i. e. *Skioldo nomen erat filio Odini, unde Skioldungi promanarunt, is conſedit regnavitqve ubi nunc Dania dicitur, illó vero tempore Gotlandia (Gothia) vocabatur.* Partem autem Gothiæ, *Reidgotalandiam* ſeu *Reidgothiam* fuiſſe, præter allatum teſtimonium *Snorrius* etiam *Sturlæus* in vita Dagi Sueciæ Regis haud obſcure ſuggerit, cum paſſerem, qvi Regi in deliciis erat, in *Reidgotalandiæ* Vorva occiſum, Regem autem in *Gothiam* ad eum ulciſcendum profectum in Vorva exſcenſionem feciſſe tradit. Dagr Konungr vard illa vid er ſpaurrinn kom eigi heim. „ geck hann þa til ſonar blotz til frettar, oc feck þau ſvor at „ ſpaurr hans var drepinn a Vorva (*aliud exemplar habet* „ Iorva) ſidan baud hann ut her miklom, oc for til Got- „ landz. enn er hann kom a Vorva, geck hann upp med her „ ſinn oc heriade. i. e. *Rex Dagus admodum ægrè tulit non rediiſſe paſſerem, igitur piaculari ſacrificio celebrato oraculum conſuluit. Reſponſo certior in Vorvâ occiſum, collectis ingentibus copiis Gothiam petit, Vorvamqve delatus, in terram populabundus excurrit.* Situm autem hujus Gothiæ ſeu Reidgothiæ *Thiodolfus de Hvini*, in epitaphio ejusdem Dagi, reſpectu Sveciæ ad occidentem locat, his verbis:

Enn þat ord a auſtr vega
Viſa ferd fra vige bar
At þann gram um geta skyllde
Sleyngo þref sleipnis verdar.

Senſus eſt: famam, in orientem, Sveciam ſcil. (qvippe domum ejus) retuliſſe, qvod in Vorva ſeu Jorva cæſus

 eſſet.

eſſet. Ex Reidgothiâ iſtâ *Verelius* Notis in Hervor. Hiſtor. p. 115. *Ridgothiam* facit, ac Smalandiam eſſe arbitratur. Verum ſitus regionis prædictus Smalandiæ neqvaqvam, apprimè autem Jutiæ convenit. Diviſio qvoqve hæreditatis regnorum Ragnaris Lodbrochis, qvam exhibet *Olafi Tryggvini vita* in binis membranis, penes Arnam Magnæum, Archivarium Regium, Gothiam Svecicam à Reidgothia claris verbis diſtingvit, ubi Biorno Ferrei Lateris Sveciam, Oſtrogothiam & Veſtrogothiam: Sigurdo Angvioculo Eygothiam, Scaniam & Hallandiam: Hvitſerco Reidgothiam & Vindlandiam ſeu Vandaliam ſorte obtigiſſe memorat. Locus inferius lib. III. Cap. XI. videri poterit, quem heic integrum exſcribere nolumus. Eadem *Olafi Tryggvini vita* Reidgotalandiam Daniæ partem fuiſſe diſertis verbis teſtatur, ubi ait: Gormr
„ Konungr for med her ſinn i þat riki Danmerkr, er þa
„ var kallat Reidgotaland, enn nu er kallat *Jotland*, a
„ hendr þeim Konungi er þa red þar fyrer, ſa var nefndr
„ Gnupa. þeir attuz vid nockurar orroſtur, en ſva lauk
„ at Gormr felldi þann Konung, oc eignadiz allt þat ri-
„ ki. þvi næſt for Gormr a hendr þeim konungi er
„ Silfraskalli var kalladr, oc atti vid hann ofrid oc orru-
„ ſtur, oc hafdi Gormr jafnan ſigr. oc um ſidir felldi hann
„ þann konung. eptir þat geck hann uppa Jotland, oc eyd-
„ di þar ollum Konungum, allt ſudr til Slets. oc ſva
„ vann hann mikit riki i Vindlandi, margar or-
„ roſtur atti hann vid Saxa oc giordiz inn rikaz-
„ ti konungr. hoc eſt, *Gormus* (Rex Daniæ) *in illam partem Daniæ, quæ tunc Reidgotalandia, jam vero Jutia nuncupatur, adverſus Regem qvendam, Gnupam*

pam dictum, cum exercitu profectus eſt, qvem poſt aliqvot prælia occidit, & regnum ipſius in ſuam poteſtatem redegit. Deinde expeditionem ſuſcepit contra Regem qvendam, nomine Silfraskallium. Poſtea in interiora Iutiæ pergens, omnes Reges ad Sleswicum usque devicit & magnam partem Vindlandiæ (Vandaliæ) ſibi ſubjecit. Multa prælia contra Saxones gerebat, & Rex potentiſſimus evaſit. His addimus *Snorrii Sturlæi* aliud teſtimonium in præfatione ad Eddam: þa byriade Odinn ferd ſina,oc „ kom iþat land er þeir kolludu Reidgotaland,oc eignadiz i „ þvi landi allt þat er hann villdi, hann ſetti þar til landa „ ſonn ſinn er Skiolldr het, hans ſon het Fridleifr,þadan „ er ſu ætt komin er menn kalla Skioldunga,þat ero Dana- „ konungar,oc þat heitir nu Jotland er þa var kallat Reid- „ gotaland. i. e. *Odinus* (diſtributâ inter filios Saxoniâ) *in aliam migravit regionem, qvæ tunc Reidgotalandia dicebatur, & qvicqvid ibi placuit ſibi vendicavit. Huic terræ præfecit filium Skioldum, qvi Fridleifum genuit. Inde Skioldungorum* (ſive Skioldiadum) *familia ortum ducit. Hi ſunt Daniæ Reges. Iſta vero Reidgotalandia, nunc Iotlandia appellatur.* Teſtimonium hocce nullo jure *Verelio* ſuſpectum fuit qvippe tot adductis locis ſtabilitum. Præterea nusqvam in vetuſtis membranis *Ridgotalandia* mihi occurrit, ſed ubiqve *Reidgotalandia.* Dicitur autem *Reid, currus,* vel etiam *eqvitandi actus,* qvâ notâ ab *Eygotalandia* diſtingvitur, *inſulari* ſcilicet *Gothiâ*, curribus & eqvis minime perviâ, Qvibus obſervatis, concidit, longa argumentorum ſeries, qvam pertexuit Verelius ad aſſerendum Smalandiæ Reidgothiæ nomen. Sunt alias complura, qvæ Daniæ Gothiæ nomen aſſerunt. qvorum qvædam *Grotius* in Prolegomenis in Procopium adducit, nimirum qvod *qvi nunc Juttæ vocantur, Gioti* ſint *mediæ ætatis ſcriptoribus. Nam poſte-*

rio.

rioribus Danis id eſt uſitatum, G. literam in J. conſonam inflectere; unde & illam Scanziæ Gotthicam Jytlant ipſi vocant, & partes ejus Ooſter-Jytlant Weſter-Jytlant: & amnis in Juttia eſt Guddenaa: id eſt Gotthorum flumen. Qvi ex Iuttia in Angliam venere, in Annalibus Anglicanis Petroburgenſibus Geatuni dicuntur, & alibi Iotuni. In legibus autem Edvardi Confeſſoris. Guti ſimiliter cum veniunt, ſuſcipi debent & protegi in iſto regno Britanniæ, ſicut conjurati fratres, *qvod ibidem jam olim ab Ina conſtitutum dicitur.* Hæc Grotius. In eo tamen erraſſe videtur, qvod Iuthos hos â Gothis Scandianis ortos ſtatuit, licet ſcriptorum teſtimoniis haud deſtitutus: qvi cum Danos a Gothis ortos percepiſſent, id ad Gothos Scanzianos traxerunt, cum verius Gothorum nomen, Danis, Suecis, Norvegis, Pruſſis, Pomeranis commune fuerit, licet ſingulæ gentes propriis vocabulis, ut certis notis, diſtingverentur, qvarum tamen qvædam regiones poſteriori tempore ab Hunnis inſeſſæ fuere. Danos autem in Scanzia *Iornandem* inter cæteras gentes conſtituiſſe, nil mirum, cum id temporis Scaniam proprie dictam occupaverint, expulſis Herulis, tradente eodem. Omnem dubitandi anſam *Simeon Dunelmenſis* præcidit, dum indicato oppidi Slesvicenſis ſitu, illud inter Saxones & Gothos collocat, ut & *Ethelwerdus* antiqvus auctor a Camdeno & Pontano citatus, qvi circa annum Chriſti DCCCCL. vixiſſe traditur, cujus hæc ſunt verba. *Anglia vetus ſita eſt inter Saxones & Giotas habens oppidum capitale, qvod ſermone Saxonico Sleswick, ſecundum Danos vero Haitby dicitur.* Non itaqve *Roſefontanus* Gothos & Iutos eosdem eſſe ſomniavit, ſed magnis rationibus inductus debita gloria patriam ſuam fraudare, nec debuit nec voluit. Itaqve *Claudius*

Chri-

Chriſtophori Lyſchander in prologo ad Librum V. Genealogiarum Sereniſſimorum Daniæ Regum, veritatis fiducia fultus, Danis Gothorum titulum, partem etiam originis eorum, non ſolum ex aſſertis extraneorum, ſed ex ſuperſtitibus locorum nominibus, hodieqve conſpicuis, veterem memoriam conſervantibus, rectius aſſeruit, qvam illuſtriſſimus *Arnoldus Hvitfeldius*, ſub initium hiſtoriæ ſuæ dubitavit, utrum ſeptentrionalis & auſtralis Gothia intra Danici territorii limites antiqvitus conſtiterit, qvemadmodum Svecia, ad hocuſqve tempus, orientalis & occidentalis Gothiæ nomen, in præclariſſimorum geſtorum teſtimonium retinet. Laudandus tamen ingenuus tanti viri candor, qvi officii hiſtorici non immemor, noluit illud adſtruere, qvod teſtibus idoneis ſe probare poſſe dubitabat. Nec tamen opinionem eorum omiſit, qvi illud, utpote non exiguum patriæ decus, Danis aſſerere conati ſunt, qvo poſteris anſam præberet, in veritatem diligentius inqvirendi. Igitur qvemadmodum Svecia poſteriori tempore Gothis accenſa non fuit, ut nec inſulæ, præter eas, qvæ Danici regni pomeriis continentur, in univerſum *Eygothia*, id eſt *inſularis Gothia*, dictæ, ſic etiam Norvegia, omiſſo univerſali nomine, iſtud ſibi proprium uſurpare maluiſſe videtur. Id qvod præfatio in *Eddam* his verbis haud obſcurè innuit. Eptir þat for hann nordr þar til,, er ſiar toc vid hanom, ſa er þeir hugdu at lægi um aull,, laund, oc ſetti þar ſon ſinn til þeſs rikis er nu heitir No-,, regr, ſa er Sæmingr kalladr, oc telia þar Noregs Konun-,, gar ſinar ættir til hans, oc ſva jarlar oc adrir rikis menn.,, i. e. *Adhuc ulterius verſus ſeptentrionem progreſſus eſt, donec illum exciperet oceanus, qvem omnes terras cingere putabat, ibiqve filio Samingo regnum deſtinavit, ubi nunc Noregr dicitur.* *Ab hoc*

Sæmingo genus ſuum numerant Reges Norvegici, ut etiam Comites & alii optimates. Hinc colligi poteſt Norvegiam tunc temporis iſtud nomen non indeptam fuiſſe.

Evicto qvod Gothiæ nomen Daniæ, Gothorum vocabulum Danis, à principio inter cæteras ſeptentrionales gentes competiverit, proximum eſt, ut varias de etymo nominis opiniones exponamus.

Gog, Magogi filium, Japheti nepotem, Gothici nominis auctorem Svecicarum rerum ſcriptores plurimi faciunt. Hunc *Joh. Magnus* Hiſt. Sveo-Gothicæ lib. I. cap. V. & *Joh. Meſſenius* in Petri Parvi Refutatione cap. V. *Gethar* alio nomine dictum fuiſſe volunt. *Loccenius* Antiqvit. Sveo Goth. lib. I. Gothorum orginem, & per conſeqvens etymologiam refert ad *Gethar* Arami filium, Semi nepotem, cujus mentio habetur Gen: X. v. 24. & Paral: I. v. 17. Qvod ſi ita erit, magis Semus Japheti tentoria expugnaſſe, & tantum non deſtruxiſſe videtur, qvam in ſua recepiſſe, ſi Prophetæ Noachi vaticinium, de cohabitationis ſocietate ſit intelligendum, qvod tamen ad aſſertionem hanc adſtruendam a doctis alioqvin viris produci animadverto. Tanta namqve tam latè per Japheti patrimonium diffuſa progenies a Gothis pullulavit, ut haud exigua portio ipſius poſteris acciſa videri poſſit, Semoqve orientis imperatori acceſſiſſe, id qvod *Daniel Langhornius*, Antiqvit. Albion. Elench. p: 334. pariter agnoſcit. *Aventinus* rerum Boicarum lib: I. *Getam*, tertium Ducem Tviſconis, Gothorum conditorem ſtatuit. *Sheringhamus* cap: XV. pag: 351. a Jotis, qvos *Ptolemæus* ad mare Rhymmiorum in Aſia collocat, nomen eorum derivat, qvos Odino duce acceſſiſſe exiſtimat, ex eo, qvod adveniente eo peninſula illa, Reidgothia dicta, poſtea in Jutiæ nomen tranſierit.

Sed

Sed ex allatis noſtratium teſtimoniis perſpicuum eſt, multis poſt primum illum Odinum ſeculis, Reidgothiæ nomen ipſi invariatum conſtitiſſe. *Irenicus* Exegeſ. Germaniæ lib: VI. cap. II. Gothos à *Gotthila* Scytharum Rege, cujus filiam (Medupam vocat *Jornandes*) Philippus Alexandri Magni pater ſibi ſociavit, ſive nuncupatos ſive ortos ſtatuit. *Chronicon Gothlandicum*, Tielvaris filium Guthum, ſeptimum Cimbriæ Ducem ſeu Judicem, devictis Gothis Scaniæ incolis, nomen ſuum impoſuiſſe tradit, indeqve Gothorum nomen ortum perſvadere conatur. *Radulphus de Diceto* Imaginum hiſtoriarum pag: m. 627. â regione qvadam *Getia* Gothos derivat, *Stiernhielm* â voce *geta* qvæ *gignere* ſignificat, inde *Gotte* miles; qvem *gedid* appellant *Philippus Melanchthon* & *Caſpar Peucerus* in expoſitione Chronici Carionis in Decio his verbis: *Nomen Getæ*, *Gedid*, *militem ſignificat*. *Johannes Lyſchander* Sermone VIII. & *Hugo Grotius* in hiſtoria Gothico-Longobardico-Vandalica a *bonitate* dictos volunt. *Arngrimus* a magnitudine corporis Gethis nomen competiviſſe putat. *Jet* enim, Saxonice *geat*, *gigantem* ſignificat; nomenclatura ex ſententia *Sheringhami* ſatis concinna, licet ei veriſimilius videatur, cum id ex hiſtorica fide traditum ſit, Getas a Getâ nomen habuiſſe, cui forte nomen illud ex ſtatura datum ſit. *Fuit enim* inqvit, *vir ſtrenuus & bellator eximius, Getarum Dux in prima gentis adoleſcentia, anteqvam Scandiam ingreſſi ſunt, cum adhuc ad Araxim fluvium ſedebant, ut ex genealogia Regum Angliæ conjicere licet. Fuit Wodenus à Geta editus, ab eodem qvoqve omnes Saxoniæ principes genus vendicant; poſt mortem vero, ob rés fortiter & præclare geſtas pro Deo habitus eſt, qvod tum temporis honoris faſtigium ſummusqve apex fuit. Rodericus Toletanus* lib. I. cap. IX. à *fortitudine* Gothos dictos

 vult,

vult, *Vitichindus* Rerum Saxonicarum lib. I. à populi duce, *Gothâ.* A voce *Gott*, qvæ Germanis *Deum* ſignificat, nomen eorum accerſit *Cornelius Agrippa* Occultæ Philoſoph. lib. III. Cap. 35. qvam voculam à Vodani, vel Odini, appellatione inepte derivat *Gotfridus Viterbienſis* in Chronico, his verbis: *Votam qvidam Gotham adjecta litera dixerunt: ipſe eſt qvi apud Romanos dicitur Mercurius, & tunc ab univerſis Germanis ut Deus adorabatur, unde usqve hodie, Goth in Teutonico, Latinè dicitur Deus.* De Gothorum etymologia *Edda* ſeqventia habet: Gotnar eru kalladir af „ heiti Konungs þeſs er Goti er nefndr, er Gotland er „ vidkent. Hann var kalladr af nafni Odins oc dregit af „ Gautz nafni. þviat Gautland eda Gotland var kallat „ af nafni Odins, en Sviþiod af nafni Svidurs, þat er „ oc heiti Odins. i. e. *Gotnæ* (ſeu ut vertit *Verelius Gotini*) *nominati ſunt, de nomine Regis illius, qvi* Gotius *dictus eſt, à qvo Gothia denominata eſt. Is nomen de Odini nomine ſortitus eſt, & qvidem à nomine Gautii deductum. Nam Gautlandia & Gotlandia* (Gauthia vel Gothia) *à nomine Odini ſua contraxerunt, Svithiod autem à nomine Sviduris; id etiam Odini nomen eſt.* Differentiam inter Gothiam & Gauthiam ex ſola pronunciationis varietate promanaſſe *Verelius* notis ad hiſtoriam Gautrici & Rolfi pag. 5. exiſtimat, aliis *au* ut *eu* Gallicum, aliis ut *o* latum, Ptolemæo ut *u* efferentibus, de qvo citatus locus conſuli poterit. Verum in allato loco Eddæ Gauthi & Gothi evidenter diſtingvuntur; *Gothi*qve a Regis *Goti* nomine dicti perhibentur, *Gauti* ab Odini nomine *Gauti*; utrumqve tamen nomen ab eodem fonte manavit. Notat etiam exemplar Regium *hiſtoriæ Hervorianæ*, qvod penes me eſt, hoc Gothorum

Gauthorumqve diſcrimen, dum diverſas gentes, diverſis Regibus ſubjectas, eas facit, rythmo qvi ſeqvitur:

Ar qvado Humla fyrir her rada.
Gizur Gautum, Gotum Angantyr.
Valldar Daunum, enn Vaulum Kiar.
Alrekr en frækni Enskri þiodu. i. e.

Traditur olim Humlius exercitui præfuiſſe, Gizur Gautis, Gothis Angantyr, Valdar Danis, Valis Kiar, Alrecus Vegetus Anglicæ genti. Obſervationem præterea meretur, qvod Gothi, Gutiqve a Danis allato verſu diſtingvantur: nempe Balthicum regnum, forſitan in ſolis inſulis Danicis fundatum, cum ſeparatum haberet Regem, nunc Eygothiæ, nunc Daniæ notâ diſterminatum fuiſſe videtur. Qvis autem ille Alrecus Vegetus fuerit, qvi Anglos illo tempore rexerit (ut id obiter moneam) plane neſcio: cum hæc in prima Anglo-Saxonum tempora, noſtro calculo, conveniant: ut nullo modo applicari posſint Alrico Withredi filio, qvi in Cantio regnavit anno Chriſti DCCLX. melius forte Ethelrico (id nomen in Alreci facilè mutari poterat) Idæ filio, Ellæ nepoti, Northumbrorum regi, qvi anno DLXXXIX, cæpit regnare: qvamvis nec ſic qvidem cum noſtro calculo conciliari poſſit; eo qvod Angantyr, de qvo hic agitur, avus fuerit Hildis, uxoris Haraldi Grandævi, cujus natales nos in annum CCCCXCIII. referrimus.

A Gothis *Vitarum* nomen an ortum ſit, non ſatis conſtat. Occurrit illud apud *Bedam*, pro qvo *Jutas Matthæus Veſtmonaſterienſis* habet. Idem etiam in manuſcripto codice *Camdenum* legiſſe teſtatur *Stephanius* notis in Saxonem pag. 29. Terras eorum *Viteslet* i. e. *Vitarum planitiem*, Chronicon *Eirico Pomerano* adſcriptum dictas

perhibet. *Sheringhamus* de Anglorum gentis origine Cap. VII. *Vetallaheeth* legit, & *terram undiqve aqvis madidam* explicat, aliàs de *Vitarum* nomine cap. II. uberius diſſerens. Plura vocis illius ſynonyma *Verelius* Notis ad caput X. hiſtoriæ Hervorianæ enumerat, utpote *Vitaland* qvod Lucum Vitarum verto: *Vitaheid* i. e. inculta Vitarum: *Vitaheim*, domicilium ſeu manſionem Vitarum, *Vitalaund*, terras Vitarum. Hinc etiam *Vitungos Sidonio Apollinari* dictos docet, i. e. *poſteros Vitarum*, uti a Jutis *Jutungos* apud *Proſperum Aqvitanum*, *Svidam & Ambroſium*, i. e. *Jutarum poſteros*. Vitarum autem notationem tam ipſe, qvàm *Rudbeckius* Atlant. cap. XVI. qvod de Scandinaviâ agit, pag. m. 495. & cap. XXIIII. de Svevia pag. 613. (qvi tamen cap. XXVII. pag, 699. nudam literarum u & j trajectionem hic agnoſcit) ut & *Reenhielmius* à lignorum ſtruibus, in promontoriis ad adventum hoſtium ſignificandum incendendis, (qvæ ſeptentrionis lingvâ *Vitar* dicuntur) deducunt, *Vitas*qve excubitores, ſtatores & cuſtodes eſſe volunt, ad piratarum ſcilicet inſultus indicio præcavendos conſtitutos. Verùm uti haud abnuo nomen gentis ſtruiumqve ab uno fonte profluxiſſe, ita gentem ab iſtiusmodi ſtruibus denominatam non credo. Nam ſi verum eſſet Eiricum, Oſtrogothiæ Regem, in promontoriis Scaniæ & Bleikingiæ tales excubitores conſtituiſſe, ad avertendas exſcenſiones piratarum, ex inſulis Danicis Gothos Scandianos infeſtantium; numqvid ab iſtis cuſtodiis inſularum illarum incolæ nomen mutuari poterant. Id enim illis proprium fuiſſe *Verelius* dicto loco ſtatuit. Altior profectò in nomine ratio latet: ſtrues enim iſtæ *Vitar* analogice dicuntur, id eſt *ſapientes* & *providi*. Id tamen attributum

rectori-

rectoribus populorum primo competit, qvi *Vitar*, *Vitkar*, *oddvitar*, appellantur, i. e. *procuratores* ſc. publici commodi. Sic *Vordr* tutor, *varda* pharus ſive ſpecula, qvod navigantibus, vel terra proficiſcentibus viam monſtret, àqve periculo & errore tueatur, eâdem ratione dicta ſunt. *Vòrdr foduriardar* i. e. *patriæ tutor* Rex dicitur. *Oddvita allrar þiodar* i. e. *totius gentis ducem*, Guſius Finnorum rector, & Sanctus Olafus ſe ipſos nominant in ſuis carminibus. Qvin & *Vita*, i. e. *ſapientem*, *Thiodolfus de Hvini* Odinum appellavit, hoc diſticho, Eddæ inſerto.

Valr la þar a ſandi
Vitinom eineygia
Fryggiar fadmbyggvi
Faugnudum dad slikri. i. e.

Strages ibi in campo jacuit, ſapienti Monoculo (ſcil. ſacra) *degenti in amplexibus Fryggæ* (Fryggæ marito): *tanto emolumento gaviſi ſumus*. In *Voluſpa breviori* habetur: *Vitkar allir fra Vilmeidi*, i. e. *ſapientes omnes à Vilmeido* profluxerunt. Eadem vox in lingvâ Anglo-Saxonicâ occurrit, exhibetqve eam *Thomas Mareſchallus* Obſervat. in verſionem Evangeliorum Anglo-Saxonicam p. 519. In *Legibus Adelſtani* Rex ipſe ita de ſe loqvitur: Nu hæbbe ic funden „ mid þam *vitum*, þe æt Eaxceaſtre mid me væronto „ middum vintre. Qvæ *Johanne Bromptone* interprete ſonant: *Nunc inveni cum illis ſapientibus qvi apud Exoniam fuerunt mecum in ſancto Natali Domini.* Prophetam etiam *Vitegan* vertit Metaphraſtes Anglo-Saxonicus cap. 2. Matthæi, v. 15. Item Magos ex oriente *Tungol-vitegan*, i. e. Aſtronomos, cap. eôdem. Qvod cum noſtra lingvâ accuratè convenit, qvâ aſtra adhuc *tungl* vocantur. *Vitaslet* itaqve Imperii ſedem denotat; *Vita* qvaſi Imperatores,

ſa-

ſapientes, conſiliarii, dicti videntur, qvod ab ipſis jura legesqve reliqvæ gentes, ab iis ortæ vel ſubactæ, accepiſſent, memoriâqve nominis regionis primariæ, ejusqve prærogativâ, ſui erga ejus majeſtatem officii, debitiqve honoris, ſubmiſſè vel comiter colendo deferendi, æternum admonerentur. Ex teſtimonio autem Bedæ conſpicuum eſt Jutis illud nomen, haud minus qvam inſularibus Danis competere, cum Saxonibus & Anglis, Holſatiæ populis, eos jungat, qvi omnium advenarum primi in Angliam trajecerunt. Qvod ſi pro *Vitis*, ut vult *Vilhelmus Lambardus* in Archæonomia Anglicana, *Jutas* apud Bedam legere debemus, eos Gothos eſſe, conſvetudineqve Danicâ G. literam in I conſonam inflectendi, *Jutos* tantum dictos *Grotius* demonſtravit. Omnium autem operoſiſſime feliciſſimèqve *Olaus Vormius* lit: Runicæ cap: IV. hanc qvæſtionem tractat; cujus aſſertionem, hæc, qvæ ex vetuſtis membranis attuli, antiqvitatis teſtimonia abundè firmant. De ſingulis fuſè ſcripſit *Langhornius* in Antiqvitatum Albionenſium Elencho p: 321. & ſeqq. *his verbis*: Poſt Scotos „ expediendi ſunt Jutæ, qvorum nomen apud auctores „ mirum in modum variatur. Codices Bedæ MSS. con„ ſentientibus etiam Gvilielmo Malmesburienſi, Henri„ co Huntingdonienſi, Florentio Vigornienſi, Matthæo „ Veſtmonaſterienſi, Ranulpho Ceſtrenſi, & aliis, Jutas „ nominant: Libri Bedæ impreſſi Vitas: Abbo Floria„ cenſis in vita Regis Edmundi Vitos: Saxonica verſio „ Geatum: Chronologia Saxonica Jotum: Fabius Æthel„ vardus Giotos: Legum Edovardi Confeſſoris interpo„ lator Gutas: alii Gutos: Scriptores Danici Juitas. „ At variorum nominum variæ reddi poterunt ratio„ nes. Nam Jutæ, Juitæ, & Jotum à proceritate dice-

ban-

bantur, cum Jæt in ſingulari numero gigantem Gothi- „
cè notet. Jætum in plurali gigantes. Vitæ qvoqve „
& Viti à Vita Rege. Geatum, Gutæ, Guti & Gioti à „
majorum appellationibus vocabantur, qvi Getæ, Gutæ, „
Guti & Gothi ſunt nominati. Nam Jutas eſſe gentem „
Gothicam nemo uſpiam præter Verſteganum ne- „
gaverit; qvem Sheringhamus ſatis refutavit. Hi ſub „
Frothonis *tertii*, *Danorum* Regis, Auguſto & Tiberio „
coætanei, *auſpiciis* e Scania in Cherſoneſum rediiſſe, „
Cimbrisqve (qvorum poſt ſancitam cum Auguſto pa- „
cem nemo meminit) debellatis regionem illam occu- „
paſſe, ſuumqve ei nomen indidiſſe videntur; utqve ipſi „
Jutæ pariter ac Vitæ, ita eorum proles ac coloni, qvi „
Romanis plurimum negotii faceſſerunt, Juthungi & Vi- „
tungi nuncupantur, nam apud Gothos & Saxones ter- „
minatio Ung vel Ing, nomini proprio aut gentilitio ad- „
jecta, filiationem deſignat, ita ut Juthungi ſive Vitungi „
ſint Jutarum ſive Vitarum filii, qvos etiam Grutungos „
perperam pro *Guthungis*, *i.* e. Gutarum filiis, aliqvan- „
do ſcribi *Iſacius* Pontanus arbitratur. Jutæ, prout al- „
ternans belli fortuna tulit, nunc Danorum, nunc Saxo- „
num Regibus paruerunt. Saxonici vero regni partem „
eos conſtituiſſe, qvo tempore Saxones Britanniam peti- „
erunt, inde eſt colligere, qvod utrosqve populos tam Ju- „
tas, qvam Anglos, Gildas & Beda Saxones vocaverint. „
Hos Tacito haud incognitos fuiſſe, ab eoqve in deſcri- „
ptione Germaniæ Huithones vocatos putat idem Pon- „
tanus. Eorum patriam Jutiam ſive Jutlandiam Danici „
chorographi Gothiam appellant, Edda Islandica Reid- „
gotalandiam, ipſorumqve reſpectu, Gothorum Regis „
titulum Rex Daniæ hucuſqve retinet. In Britannia Can- „

„ tium Vectamqve inſulam poſſederunt, cum Suthanto-
„ nienſis agri parte, Vectæ objectâ, qvà Homelea fluviu
„ (Anglice Humble) oceanum intrat. Qvæ licet ad prc
„ vinciam occidentalium Saxonum pertineret, à primä
„ tamen ſua origine Jutnacynn, id eſt Jutarum nationis,
„ & Jutarum provinciæ appellationem Anglo-Saxonum
„ temporibus retinuit. Ex eodem genere Gothico e-
„ rant & Dani, ut illa Adami Bremenſis verba docent.
„ Dani qvos Jutos appellant, uſqve ad Sliam lacum habi-
„ tant, qvi graviſſima in hac inſula geſſerunt bella & ali-
„ qvandiu in ea conſederunt. Hi etiam a noſtratibus
„ ſcriptoribus Daci nuncupantur, a Ptolemæo Dauciones,
„ pro qvibus nonnulli perperam Danciones legunt, iidem
„ enim ſunt Dauciones & Daci, itidemqve Daci & Dani.
„ Daci enim teſtibus Plinio & Pompeio Trogo populus
„ Geticus fuerunt, Danosqve gentem eſſe Gothicam
„ oſtendit Jornandes, cui præter alios complures Jonas
„ Coldingenſis ſuffragatur, *citatis* ex *antiqviſſimo codice*
„ MS. his verſiculis:

„ Gothi ſunt Dani, Dani Gothiqve vocati.
„ Hos armis genuit qvia Scythica Dania ſævos
„ Traditio veterem ſimul & Scythas vocat illos,
„ Nomine ſic terno gens Danica magnificatur.

CAPUT II.

De initio temporis hiſtorici apud Danos, ſecundum documentorum Islandicorum aſſerta; vel de immigratione Aſianorum in Septentrionem.

Ce-

CEleberrimus rerum Germanicarum hiſtoriographus *Albertus Crantzius* in ſua hiſtoria Svedica ſobriè de gentium origine his verbis judicavit : *Eqvidem ad omnium gentium primam originem recurrere qvis poteſt? ab ea memoria ſumendum eſt dicendi principium, qvæ vel in carminibus memoratur, vel prima in literas relata eſt.* Hujus regulæ obſervantiſſimi Islandi, non ut ceteræ gentes ultimam antiqvitatis gloriam captantes, rerum ſuarum annales, ex vanis relationibus contexuerunt, ſed ea demum de majoribus ſuis & eorum origine in literas referre contenti ſunt, qvæ ex veterum poëtarum carminibus, aut iis fundamentis, qvæ ſuperiori libro expoſuimus, hauſerunt. His igitur Odini, Principis cujusdam Aſiani, ê vaſtiſſimâ Scythia Aſiatica, in Arctoum orbem ſuſcepta migratio, pro hiſtoricæ narrationis principio & epochâ eſt, qvamvis neutiqvam diſſimulent, ante illa tempora habuiſſe ſuos incolas ſeptentrionem, utpote cum qvibus multa bella Aſiatici advenæ gesſerint. Unde vero aut qvo tempore, qvave occaſione in ſeptentrionem irruperint, perinde atqve ipſorum mores, inſtituta, ceteramqve vivendi rationem, ſilentio prætereunt. Cujus rei evidens eſt ratio, ſiqvidem Odinus coloniæ Aſiaticæ fundator, dum ſeptentrionis magnam partem, ſeu bellicarum ſeu magicarum artium ſtupendo exercitio præſtigiisqve, in ſuam poteſtatem admiranda ſucceſſuum felicitate redegit, magnam divinitatis opinionem a Circæis artibus faſcinatâ plebe reportavit. Facili itaqve negotio filios & comites ſuos, ardentibus votis ab incolis certatim expetitos, ampliſſimis regnis vaſtisqve provinciis præfecit, qvas illi poſtea, prout ſuperſtitio latè ſerpſerat, amplificatas, jure hæreditario poſſederunt, & per legi-

timam ſucceſſionem poſteritati poſſidendas reliqverunt. omni eorum memoria, qvi ante eos territoria iſta inhabitârant, deletâ & perpetuâ oblivione multatâ; ne ſera poſteritas ullos iis antiqviores agnoſceret, ac itaqve numinum eorum divinitatem eo reverentius coleret. Nam ut ad acqvirendam divinitatis exiſtimationem, magica ludibria magnum momentum attulere, ita ad eandem conſervandam, & poſteritati ingerendam, antiqvitatis opinio haut parum facere videbatur. Teſtatur hoc *Eddæ* Auctor in epilogo fabularum, Gylfio, qvi ſe Ganglerum appellabat, expoſitarum. Cum enim ille præſtigiis deluſus abiiſſet, fabulasqve, qvas didicerat, in regnum redux divulgaſſet, Aſarum collegio placuit, nomina illa, qvæ fabulis complexi fuerant, hominibus locisqve novis tribui, *ut poſt longam annorum ſeriem, poſteritas indubitato crederet, illos Aſas, de qvibus narratum fuerat, fuiſſe eos ipſos, qvibus tunc eadem nomina indita ſunt. Ibi tunc Thor nomen accepit, antiqvi illius Aſathoris cui magna illa facinora qvæ Hector ad Trojam perpetravit aſcripta ſunt.* Eodem modo dictus *Eddæ* Auctor alibi ait *Aſiaticos, qvi Æſir apellantur, res geſtas ad Trojam depravaſſe, & fabulis involviſſe, ut gentes, ad qvas migrarunt, crederent illos Deos eſſe.* Ad hos igitur Aſas ſubſecuti Reges & Principes, ut imperium, ita originem ſuam referebant. Nam is ſummus honos & ampliſſimus ſemper habitus eſt. Et ſi qvi poſtea ex antiqvioribus indigenis oriundi emerſerunt, tamen illuſtris Aſiaticæ divinitatis fulgor adeo illorum oculos perſtrinxit, ut ſordidum ſibiqve indignum judicarent, devictum illud, obſcurum & mortale genus, qvod giganteum appellabant, niſi Aſiatico mixtum, & ab inſignis opinionis heroë deductum, (qvale illud qvod a Fornioto ampliſſimo

Re-

Rege deſcendit) pro ſtirpis ſuæ auctoribus agnoſcere. Hinc plurimæ, qvæ extant, genealogiæ (ſunt enim bene multæ) Odinum Aſiaticum radicem & baſin conſtituunt. Hoc evincit ſuperbum illud antiqviſſimis Skaldis in extollendis Regibus uſitatum encomium. *Godkunnig ætt*, i. e. *divinum genus*, qvod Deos, Odinum & ſocios, generis auctores haberent; à qvo non abludit vox Gothica *Godakunds*. i. e. *nobilis* Lucæ XIX, 12. Qvantam autem viciſſitudinem induxerit ab Odino in ſeptentrionem invecta ſuperſtitio, non difficulter colligitur ex ipſâ religionis iſtius natura, qvæ vel ſola ex imbellibus homuncionibus bellicoſiſſimos, ex timidis fortiſſimos effecit; qvi ſponſore Odino, certo ſibi poſt mortem, maximos honores & delicias in aula ejus pollicebantur, ſi bello fortitèr occumberent, ubi tot miniſtrorum ſatellitio eſſent excipiendi, qvot prælio occidiſſent. Neqve, (*verba ſunt* Bryniolfi Svenonii *apud Stephan. Not. in Saxonem pag.* 28.) ulla fere virtus togata „
perinde in pretio erat, atqve animi corporisqve robur, „
& qvæ ad hoſtium ſtragem faciendam ſpectabat. Cæ- „
teræ magna ex parte contemptim habitæ, & ut viris „
principibus indignæ, vulgares, mollicellæ, ac rejiculæ „
videbantur, qvam opinionem, qvo firmius agreſtium „
animis imprimeret Odinus, priſcæ ſimplicitatis atqve „
ruditatis interpolator, σοφὸν φάρμακον excogitavit, „
ſvadens poſt animæ a corpore ſeparationem, eos de- „
mum apud ſe & alios Divos, qvi a morte, Valicæ au- „
læ imperitarent, perpetua voluptate fruituros eſſe, qvi „
ſangvinariam mortem intrepide appeterent, nec per „
ignaviam lecto affixi exſpirarent, velut convivas Aſi- „

36768

„ anorum epulationis deceret. Tum qvò qvis plures in
„ bello obtruncaret, eo locum honoratiorem in com-
„ potatione illa immortali conſeqvuturum, perſvaſum e-
„ rat, pocillatoribus & miniſtris futuris occiſori, qvot-
„ qvot occidiſſet. Hac miſera vanitate ſe mortem ſolatur
„ ſub ipſam Rex Daniæ Ragnar Lodbrok. Hinc illud mortis genus, qvod Mars impoſuit, tanqvam ſplendidisſimum & heroibus condignum avidè expetebatur, cui ſi inauditum qvoddam fortitudinis exemplum acceſſit, immortali honore mactabatur. Suo id exemplo comprobat Hakius qvidam, natione Norvegus, qvi cum Sveciam occiſo Rege Hugleiko, in ſuam poteſtatem redegisſet, a devicti filiis bello petitus, illos qvidem in fugam vertit, ſed lethali vulnere ſauciatus, navi cadaveribus & enſibus conjunctim onuſtæ, vivum ſe imponi, eiqve faces ſuccendi mandavit; atqve ita ardentis & omnia depaſcentis incendii rutilante flamma coruſcus *in altum moriturus navigavit. Præclarum facinus edidiſſe, & condignam Regio faſtigio mortem obiiſſe viſus eſt.* Hac religione perſvaſos poſteros, qvis amplius miretur ad omnia pericula obeunda, præfracto & obſtinato animo præditos, imperium ſuum latè propagâſſe? Hinc factum eſt, ut ſinceri antiqvitatis præcones, hanc inſignem politiæ mutationem, rerum non Danicarum modo, ſed univerſi ſeptentrionis, epocham, & hiſtoricæ relationis fundamentum poſuerint; cum eorum præcipua cura, in poſteris erudiendis occupata, nihil niſi qvod certum eſſet, in literas & duratura monumenta referre permiſerit, antiqviorum vero temporum res obſcurâ caligine obſeptæ & obliteratæ eſſent, unde eas candido ſilentio præterire,

qvam

qvam effictis fabulis poſteritatem decipere maluerunt.

Cum itaqve de iis, qvi ante Aſianorum immigrationem terras has Arctoas inhabitarunt, nihil fere habeamus, ab Odino, immigrantis iſtius cohortis Duce, uti mox dictum, ſeptentrionalium rerum recenſum incipere neceſſum eſt. De migratione illius ſuorumqve *Snorrius Sturlæus* in Chronico ſuo Norvegico, poſtqvam Aſiaticum illius regnum, ejusqve metropolim, vicinos populos, eorumqve cum Odino bella & fœdera deſcripſiſſet, ita ait: I þann tima foro Rumveria hofdin- „
giar vida um heiminn, oc bruto undir ſik allar þiodir. „
en margir hofdingiar flydo fyr þeim ufridi af eignom „
ſinom. En fyr þvi at Odinn var forſpar oc fiolkun- „
nigr, þa viſſi hann, at hans afqvemi mundi um nordr „
halfo heimſins byggia. þa ſetti hann brædr ſina Ve oc „
Vila yfir Asgard. en hann for oc Diar allir med ho- „
nom, oc mikit mannfolk. for hann fyrſt veſtr i Gar- „
dariki. oc þa ſudr i Saxland. hann atti marga ſono. „
hann eignadiz riki vida um Saxland. oc ſetti þar ſono „
ſina til landgæzlo. þa for hann nordr til ſiavar, oc tok „
ſer buſtad i ey einni. þar heitir nu Odinsey i Fione. „
hoc eſt: *Sub idem tempus Romani principes orbem late peragrantes, omnes gentes ſuæ poteſtati ſubmiſerunt. Multi igitur principes è regnis ſuis hac inqvietudine profugi facti ſunt. Et Odinus, magus inſignis, & præcipua divinandi ſolertia præditus, gnarus ſe progeniemqve ſuam, ad ſeros usqve nepotes, in boreali mundi plaga imperaturum, fratribus Veo & Vilio regimen Asgardiæ demandavit, ipſe cum omnibus Diis & hominum magna multitudine in Ruſſiam profectus, illinc in Saxoniam*

am conceſſit, & eam ſibi paſſim ſubjugavit, filiisqve ſuis regendam commiſit. Inde in ſeptentrionem verſus oceanum procedens, inſulam qvandam inhabitavit, qvæ nunc Odinsey in Fionia nuncupatur. De migrationis ejus tempore hæc in *Eddâ* habentur: Oc ſva mikill kraptr fylgdi þeſſum „ monnum, at morgum olldrum ſidar, þa Pompeius, „ einn hofdingi Romveria, heriadi i auſtrhalfuna, fly- „ di Odinn utan or Aſia oc hingat i nordrhalfuna, oc „ þa gaf hann ſer oc ſinum monnum þeirra nofn. hoc eſt. *Atqve in tanta exiſtimatione fuerunt viri illi*, (agit de Trojanis, qvorum laudes operoſè pertexuerat) *ut multis poſtea ſeculis, cum Pompejus, qvidam Princeps inter Romanos, gereret bella in oriente, Odinus ex Aſia in ſeptentrionem fugiens ſibi & ſuis comitibus eorum nomina indiderit.* Immigrationis Odinianæ tempus ſatis monſtrat præfatio antiqviſſimi carminis, qvod *Grottaſaungr* inſcribitur his „ verbis: Skiolldr het ſonr Odins er Skiolldungar eru „ frakomnir, hann hafdi atſetu oc red laundum þar „ ſem nu er kaullut Danmaurk en þa var kallat Got- „ land. Skiolldr atti þann ſon er Fridleifr het. er laun- „ dum red eptir hann. Sonr Fridleifs het Frodi, hann „ tok konungdom eptir faudr ſinn i þann tid er Augu- „ ſtus Keiſari lagdi frid of heim allan. þa var Kriſtr „ borinn. En fyrir þvi at Frodi var allra Konunga ri- „ kaztr a nordrlaundum, þa var honum kendr fridrinn „ um alla danska tungu, oc kalla nordmenn þat Fro- „ da frid. id eſt. *Skioldus nuncupabatur Odini filius, ex qvo Skioldungorum proſapia deſcendit. Is aulam habuit & regnum moderarabatur, ubi nunc Danmarchia, tunc Gotlandia* (Gothia) *vocabatur. Skioldo filius fuit Fridleifus nomine,*

mine, qvi regnabat poſt eum. Fridleiſi filius Frodius dictus eſt, qvi Regiam poteſtatem poſt patrem aſſumſit, tempore qvo Cæſar Auguſtus pacem toti mundo impoſuit. Tunc Chriſtus natus eſt. Sed propterea qvod Frodius omnium ſeptentrionalium Regum longe potentiſſimus fuit, adſcripta eſt illi hæc pax, qvousqve Danica lingva ſe extendebat. Hanc pacem Nordmanni Frodii pacem *appellant*. Patet hinc evidenter Frodium illum pacificum, ab Odino tertium, tempore nativitatis Chriſti vixiſſe, eumqve primum iſtius nominis inter Daniæ Reges fuiſſe, non, ut vulgo ſtatuunt, tertium; cui & omnes genealogiæ, interius libro III. à nobis exhibendæ, favent. Et qvod Frodius pacificus tempore Chriſti nati Danicis ſceptris præfuerit, præter *Saxonem* teſtatur Olafi Tryggvini, Norvegiæ Regis, ſuperſtes oratio, qvam ad populum, pro religione Chriſtiana in regno ſuo, ad illud tempus idolorum cultui mancipato, plantanda, habuit: ubi evidenter demonſtrat, qvam ethnica ſuperſtitio, miſero ſeptentrioni ab Odino variis impoſturis obtruſa, magna apud Norvegos tempore nati Chriſti incrementa cœperit poſt exceſſum Freyris, Regis Sveciæ, cui Sveci pacem illam miraculoſam, qvâ univerſus orbis ab armorum ſtrepitu liber & immunis conqvievit, tanqvam auctori & datori, qvemadmodum Dani & reliqvus ſeptentrio Frodio pacifico, ob prægrandem illius potentiam & ampliſſimi imperii majeſtatem adſcripſerint. Eſt autem Freyr inter Sveciæ Dynaſtas tertius, Frodio æqvalis. Monſtrat itaqve prædicti Frodii æra, Aſiaticam illam immigrationem non longe ante Chriſti nati tempora factam eſſe. Imò graduum ab Odino deſcendentium ratio nos perducit, ut eum patrio in Aſia ſolo egreſſum eſſe creda-

mus anno ante Chriſtum natum circiter ſeptuageſimo: cum ſcilicet Romani Mithridatem Ponti Regem acerrimè perſeqverentur, victriciaqve arma, uti ex *Floro* libro III. Capite IV. diſcimus, usqve *ad terminum gentium Tanaim, lacumqve Mæotim* proferrent; qvibus, ut credi par eſt, deterritus Odinus, ad Bosphorum Cimmerium in Syndica, probante *Sheringhamo*, habitans, ſedium mutandarum conſilium cepit. At Edda, inqvies, emigrationem Odini refert ad Pompeii tempora, qvæ anno à nobis producto inferiora paulum, Chriſtiqve nativitatem propiora ſunt. Reſpondeo, exigui hìc momenti eſſe aliqvot annorum differentiam; & ſi ſtrictè nobiscum agatur, conciliari facilè poſſe Eddæ aſſertionem cum anno, emigrationi Odinianæ à nobis aſſignato. Etenim Pompejus Magnus (qvem Eddæ auctor absqve dubio intellexit) bellum illud confecit, qvod Lucullus aliiqve Romanæ Duces militiæ cum Mithridate geſſerunt, cum Odinus ex Aſia diſcederet: cujus gloria cum tota penes Pompejum tandem maneret, uti ex *hiſtoriæ* Romanæ ſcriptoribus notum eſt, illius nomen præ ceteris belli illius Ducibus in ſeptentrione celebre factum eſt; & ille, tanqvam Principum longè maximus, eorum, qvæ ab anteceſſoribus illus in oriente geſta ſunt, auctor creditus; rerum Romanarum in oriente ſeriem non ſatis diſtinctè referentibus iis, qvi poſt Odini tempora migrationem illius & alia iſthùc pertinentia vel carminibus illigarunt, vel alio modo ad poſteritatem demiſerunt.

Hic Saxonum annales ad partes vocabimus, licet à noſtris nonnihil diſcrepare videantur. Etenim reverâ nobis non leviter ſuccurrunt, & ad noſtrorum concordantiam

tiam

tiam facili negotio reduci poſſunt. *Petrus Albinus* Niveomontanus in opere, qvod Novæ Saxonum Hiſtoriæ Progymnaſmata inſcripſit, licet Arthariçum primum Saxonum Regem ſtatuat, tamen ipſius epocham ſupra octogeſimum annum, ante nativitatem Chriſti non extulit. Novem deinde ipſius ſucceſſores enumerat uſqve ad Bodonem, qvem alio nomine Voden dici (Odinus in antiqvitatibus noſtris ſimiliter *Vodinn* ſæpius appellatur) & antiqviſſimum Saxonum Regem vocari tradit, putariqve vixiſſe circa annum Chriſti CCLX. qvem & patrem multorum regum eſſe dicit. Extant de hujus Odini majoribus poſterisqve dicti Albini verſus in illius Avlæo Vetero-Saxonico, qvod memorati libri partem conſtituit, unde paucos tantum de hoc Odino & ejus ſucceſſoribus ſummatim exſcribere libet:

„ Emicat in tela gemmante Bodonis imago.
„ Hic Rex conſiliis ingens, ingentior armis,
„ Patria regna domi beat, & foris ampliat illa.
„ *Qvin etiam felix, ſuſcepta prole* tot amplis
„ Linqvit heros regnis; qvosdam ſine nomine circum
„ Stare patrem videas, & multis Regibus ortum
„ Diverſis præbere locis: venerabilis ille eſt
„ Teſtis Beda, ſuis multos qvi vidit ocellis
„ Salve magna parens Regum, tuqve Angila ſalve
„ Terra, ducum patria, immutas qvæ hoc tempore nomen
„ Angria, at antiqvos cineres atqve oſſa reſervas.

Et paulo poſt.

„ Vecta partrem ſeqvitur de cujus nomine caſtrum
„ Amnis & urbs ſupereſt.

Tranſit deinde ad nepotes:

„ Witta ſubit, certis cui dat ſapientia nomen
„ Ominibus.
„ Nec non Witgislum Gothis optata ferentem
„ Auxilia addiderant. *Tandem:*
„ Poſt ingentem animis ingentem corpore & armis
„ Hengiſtum effingunt, albo cui vertice fulva
„ Cæſaries, pulchriqve oculi, malæqve rubentes,
„ Mollia qveis nuper criſpabant vellera barbam.

Ut autem facilius pateat hunc Bodonem vel Odinum, primum qvem hiſtoriæ referunt Saxonum regem fuiſſe, atqve ideo ei primum in illorum indice locum deberi, ſingula ex noſtris antiqvitatibus illuſtrabo, cum qvibus per omnia fere conveniunt, ſi Chronologiam, qvam velut incertam Albinus ponit, excipias. Unde annalibus noſtris non exiguam fidem conciliari puto, præſertim cum antiqvitatum Saxonicarum defectum citatus auctor, dum ſe ad Bodonis laudes præparat, his verbis qveratur:

„ *Hæc partim nobis tenuisſima fama revelat,*
„ Partim etiam denſis penitus *ſubmerſa tenebris*
„ Barbarie dominante domi & Mavorte furente
„ Cum plus arma viri noſſent, qvam Pallados artes,
„ Scribebant pauci, faciebant fortiter omnes.

Snorrius Sturlæus, qvi Eddam compoſuiſſe vulgo creditur, ubi Odini majorum ſeriem recenſet, hæc ſubnectit:
„ Hans (*Finnz*) ſon Fiarlaf er ver kollum Fridleif, hann
„ atti þann ſon er nefndr er Vodinn, þann kaullom ver
„ Odin, hann var agætr madr af ſpeki oc allri atgiorvi,
„ kona hans het Frigida er ver kaullom Frigg. i.e. *Fridleifus Finno genitus filium habebat nomine Vodin, qvem*

nos

nos Odin vocamus, virum in primis ſapientem omniqve decore præſtantem, uxor ejus erat Frigida, qvam nos Frigg vocamus. De eodem Odino ſeqventia ibidem mox ſubjunguntur: Odinn hafdi ſpadom oc ſua „
kona hans, oc af þeim viſindum fann hann þat at nafn „
hans mundi uppi vera haft i nordr halfu heimſins, „
oc tignat umfram alla konunga, firir þa ſauk fyſtiz „
hann at byria ferd ſina af Tyrklandi, oc hafdi med „
ſer mikinn fiolda lids, unga menn oc gamla, karla oc „
konur, oc haufdu med ſer marga gerſemliga luti. „
Enn hvar ſem þeir foru yfir laund þa var agæti mikit „
fra þeim ſagt, ſva at þeir þotto likari godum en mon- „
num, oc þeir gefa eigi ſtad ferdinni, fyrr en þeir koma „
nordr i þat land er nu er kallat Saxland, þar dvaldiz „
Odinn langar hridir, oc eignaz vida þat land, þar ſetr „
Odinn til landzgæzlu þria ſonu ſina, er einn nefndr „
Veggdegg, var hann rikr konungr, oc red fyrir auſtr- „
Saxlandi hans ſonr var Vitrgils, hans ſynir voru þeir „
Pitta fadir Heingeſtz oc Sigarr fadir Svebdegg er vær „
kaullum Svipdag. Annarr ſon Odins het Beldegg er ver „
kaullum Balldr. hann atti þat land er nu heitir Veſt- „
fal. hans ſon var Brandr, hans ſon Friodigar, er ver „
kaullum Froda, hans ſon var Freovit, hans ſon Yvigg, „
hans ſon Gevis, er ver kaullum Gave. Enn þridi ſon „
Odins er nefndr Siggi. hans ſon Verir. þeir langfedgar „
redu þar firir er nu er kallat Frakland, oc er þadan ſu „
ætt komin er kaullut er Vaulſaungar. fra aullum þeſſum „
eru ſtorar ættir komnar oc margar. h. e. *Odinus vates erat ut & uxor ejus. Hinc nomen ſuum in ſeptentrionali mundi plaga illuſtre ac præ omnibus Regibus celebre fore prævidit. Inceſſit igitur eum cupido primò Turciam relinqvendi: unde ſecum du-*

xit magnam hominum multitudinem ſenum juvenumqve, virorum & mulierum cum varii generis ingenti theſauro. Qvocunqve hi homines pervenirent multa præclara de ipſis referebantur, ut ſimiliores viderentur Diis qvam hominibus. Nec prius ſedem fixerunt, qvam in regionem, qvæ nunc Saxonia dicitur, pervenirent. Ibi Odinus per aliqvod temporis ſpatium commoratus eſt, regionemqve illam pasſim in ſuam redegit poteſtatem, ſibiqve asſeruit & vendicavit. Ibi tres filios conſtituit præfectos, qvorum unus erat Vegdegg, qvi potens Rex erat, & orientalem Saxoniam poſſidebat. Ejus filius fuit Vitrgils, ejus filius Pitta pater Heingeſti, & Sigar pater Svebdegg, qvem nos vocamus Svipdag. Alter filius Odini erat Beldegg; qvem nos vocamus Baldr, hic posſidebat terram qvæ hunc Veſtfalia dicitur. Ejus filius erat Brandus, ejus filius erat Friodigar, qvem nos vocamus Frodium, ejus filius Tvigg, ejus filius Gevis, qvem nos vocamus Gave. Tertius Odini filius Siggius dictus eſt: ejus filius Verir, illorum ſucceſſores tenebant terram, qvæ nunc Fraclandia (Francia) *appellatur, unde traducta eſt familia dicta Vaulſaungi. Ex horum ſingulis multæ & præclaræ familiæ ortum ducunt.*

His noſtratium monumentis cum Saxonicis accuratè collatis, mira emergit concordantia; nam qvem illa Bodonem, eumqve alio nomine *Voden* vocant, nos *Odin* & *Vodin* promiſcuè appellamus, antiqvisſimas membranas ſecuti. *Vecta* illis, qvem nos *Vegdeg* dicimus. Qvi illis *Vitta*, nobit Pitta, & Vitrgilſis filius, illis ejusdem pater eſt. Ut igitur rerum Saxonicarum ſcriptores, non leve momentum noſtris addunt monumentis; ita non leviter à noſtris viciſſim illuſtrantur. Cumqve noſtrates Chronologiam hanc accuratè tradant, & Odinum illum Aſiaticum primum eorum Regem memorent, illiqve viciſſim fateantur, Vodinum antiqvisſimum eſſe

Saxo-

Saxonum Regem (vide Albinum citati libri fol. 119.): utriqve præterea ſcriptores eosdem Odini vel Bodonis ſucceſſores & nepotes recenſeant, nos Odino iſti primum inter Saxoniæ Dynaſtas locum dare audemus, eumqve antiqviorem ſtatuere Arthario & reliqvis, qvi ab eo ad Bodonem regnaſſe perhibentur, Saxoniæ Regibus; ſi modo illi unqvam extitere. Etenim Artharicus ille *Hunibaldi* auctoritate nititur, ſcriptoris, ut omnibus nunc notum eſt, futilis & nugarum pleni, qvi tamen inferiorum Regum ſtirps eſſe debet. Præterea Saxonici regni epocha, qvæ in Artharicum refertur, Odino directè competit. Et qvæ de antiqviſſimis Saxonum Regibus vulgò traduntur, a multis viris doctis ut incerta, ne qvid gravius dicam, tractantur. Nec ipſe *Albinus* citati operis fol. 190. dubitavit, omnia illa ad fabulas referre, qvæ de vetuſtiſſimis Saxonum rebus apud Saxonem Grammaticum, Johannem Magnum, Crantzium, Panthaleonem, Bocerum, Aventinum & Trithemium reperiuntur; qvi tamen fabuloſum illud Saxonicæ hiſtoriæ tempus in Artharico definere voluit. Fuere (teſte dicto Albino, allegati operis pag. 189.) qvi Saxones circa annum Chriſti XXVIII. primò in Germaniam veniſſe ſtatuerent; At eos in defectu peccare manifeſtum eſt, licet Saxonum nomen in hiſtoriâ Romanâ adhuc ſit recentius; tempore nempe Diocletiani & Maximiniani primò, qvantum conſtat, in literas relatum: tradente eodem Albino ſæpedicti operis pag. 190. Saxones enim *ex orientalibus regionibus, & Aſia vel Scythia illa vaſtiſſimâ in Germaniam progreſſos eſſe*, memoratus Albinus operis hujus ſui pag. 36. ſcribit: & habuiſſe eos *gentem vicinam in*

orien-

oriente, Sacarum nomine, à qvibus Saſſones Ptolomæi, qvi in Scythia vel Aſia boreali ſupra montes Alanos citra tamen Imaum montem habitarunt, reipsâ diſſentire non videantur. Sacas illos vel Saſſonas vetuſtiſſimis temporibus in Germaniam tranſiiſſe, atqve ab illis Saxonum nomen derivatum eſſe mox ſcribit; *etſi qvo definito tempore, qvibusve Ducibus & occaſionibus id factum ſit nullus authorum tradat.*

Noſtri, ut id repetamus, de Saxonum rebus ante Odinum nihil penitus habent, cum tamen earum, qvæ poſterioribus temporibus contigere, pluribus locis mentionem faciant, Regesqve eorum, ipſis Saxonum hiſtoricis præteritos, commemorent. Exemplo ſit Budlius, Halfdani cujusdam Norvegiæ Reguli filius, qvi debellatis Saxonibus, imperium in illos exercuit. Illius poſteri ad ſextum usqve numerantur, inter præcipuos ſeptentrionis Reges æſtimati. Atlius illorum ultimus fuit, qvem uxor ejus, duorum fratrum, Hunniæ Regum, dolo in regnum ipſius allectorum, truculentam necem ulta, incenſâ aulâ, cum illi cænam plusqvam Thyeſteam præparaſſet, (ſiqvidem communes liberos, qvos prius occidere ſuſtinuit, patri epulandos appoſuit) cum univerſa familia delevit, immanis muliebris ferociæ execrandum poſteritati exemplum facta.

Ab hoc loco alienum non eſt, qvod ſupradictus *Albinus* fol. 178. ſcribit Weſtualos, Saxonum partem, Caroli Magni tempore forum qvoddam judiciarium habuiſſe, *Frigeding* vel *Frigericht* appellatum; cujus etymon perſpicuum eſt à Friggâ Odini uxore deduci. Eosdem Weſtualos Mercurii diem *Gódenstag* nominare *Idem* ſcribit fol. 69. Nos *Odinsdag* appellamus, nomine

ne à prædicto Odino deſumto. Unde hæc ipſa numina illic locorum in paganiſmo culta eſſe patet.

Ad Odini in ſeptentrionem immigrationem redeo; Eam circa annum Chriſti LXX. contigiſſe nuper dictum. Et multo altius elevari non poſſe, vel illûd argumento eſt, qvod nec poëtarum noſtrorum ullus, nec, qvi poëtas ſecuti ſunt, ſeptentrionis hiſtorici, ingentis illius, Romaniſqve, ſi Mario caruiſſent, forte exitialis Cimbrorum expeditionis meminerint. Etenim ſi illa poſt Odini immigrationem facta fuiſſet, apud ſeptentrionales in oblivionem haut veniſſet, qvi longè minoris momenti res antiqviſſimas ad poſteritatem demiſerunt. Odinus autem, ſupra qvem nulla noſtrarum hiſtoriarum aſcendit, ejusqve ſocii, omnem antiqviorum memoriam delere allaborarunt, ut ſibi divinitati conjunctæ antiqvitatis opinio apud poſteros firma & inviolata maneret. Hinc illa, qvæ ante eorum adventum his in terris geſta ſunt, ac in iis Cimbrica illa expeditio, noſtrorum veteribus parum cognita fuere.

CAPUT III.

Qvo plures fuiſſe Odinos demonſtratur.

Odinus uti in noſtrorum monumentis primum locum obtinet, ita in iisdem à variis rebus celebratur. Omnia autem qvæ de eo narrantur, noſtrates ad unum hominem referre vulgo ſolent; illum nempe, qvi, ut nuper diximus, LXX. circiter annis

ante Chriſtianæ æræ caput has in terras migravit, ac Sigtunas in Svecia condidit; Upſalenſis vulgo, ſed minus accuratè dictus, cum ante conditas Upſalas mortuus ſit. At plures fuiſſe Odinos, ex diligenti antiqvitatum inſpectione obſervari poteſt. Odinus ille Sigtunarum conditor, cujus filii ſociiqve ad Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ ſceptra pervenerunt, ſecundum *Eddam* & *Langfedgatal* Frealafi filius fuit. Alium Odinum, Boræ filium, *Eddæ* Mythologia qvinta ſuggerit, qvi à priori plane diverſus, illoqve longè antiqvior eſt, uti vel ex eo conſtat, qvod Aſæ (qvorum unus erat Odinus Frealafi filius) de Odino illo Boræ filio, ſciſcitandi Ganglero multa referrent. Sub prioris illius Odini nomine ſeptentrionales Solem adoraſſe putat Doctiſſ. *Verelius* Not. in Hiſt. Gotrici & Rolfi pag. 40. & rectè qvidem meo arbitratu.
„ Conſului, *ait* aliqvando Ampliſſ. Dn. Stiernhielmium,
„ qvid ille majores noſtros ſub Odini nomine coluiſſe
„ exiſtimaret. *Qvid aliud niſi ſolem, inqvit, qvod vel*
„ *iſta clavis computi Runici verba probaverint: Odin*
„ *beter heſta ſina i belgbundin:* qvorum verborum hic fe-
„ re ſenſus eſt, Sol abſoluto curſu novendecim anno-
„ rum eqvos ſuos pabulo reficit; novum ſc. curſum ite-
„ rum orſurus. Pluribus aliis Odino huic Solis cultum dicto loco Verelius adſtruit, præterqve locum ex Diodoro Siculo, de cultu Apollinis, Hyperboreis ſolenni, nonnulla Eddæ teſtimonia producit. In primis qvidem,
„ *ait*, Edda memorat Alfaudr, ſive ſummum rerum pa-
„ rentem, per omne ævum vivere, res magnas & par-
„ vas gubernare. Deinde qvod ſummo parenti aſſeru-
„ erat, Odino ſive Soli vindicat, *his verbis*: Summus &
„ antiqviſſimus Aſarum (*Deorum*) eſt Odinus, rerumqve

omni-

omnium dominus; & qvamvis ceteri Dii ſint poten- „
tes, ipſi tamen ſerviunt omnes ut parenti. *Item*: „
Omniparens vocatur Odinus, qvia pater eſt omnium „
Deorum. *Item alibi*: Thor vocetur filius Odini & „
Terræ. Terra vocanda eſt mater Thori: ſponſa Odi- „
ni: pellex Fryggæ. *Addit Verelius*: De ſole hæc om- „
nia dici nemo negaverit; nam ut terra, uxor ejus, „
magna mater, mater Deum, communis mater, in gen- „
tili Theologia nuncupatur, ita a Sole, tanqvam paren- „
te, generari omnia & vitam accipere crediderunt. E- „
leganter autem Thor, h. e. Tonans ſive tonitru, fili- „
us dicitur eſſe Odini, ſive Solis, & terræ: qvia Solis „
calore exciti vapores terræ in nubibus denſantur & „
tonitrua edunt. Unoculus in Edda deſcribitur Odi- „
nus, & non niſi unus oculus mundi eſt Sol. Poeta- „
rum præſes eſt Phœbus, & noſtrorum Skalldorum „
Odinus; unde & carmen *Odins miod* h. e. *Odini mulſum* „
dictum eſt. Hæc Verelius, pluraqve alia addit, pro cultu Solis in Odinum collato, & inter alia ſchema Eddicum maxime notabile, in qvo ad tergum Odini (puta Upſalenſis, ejus qvi Chriſti tempora parum prævertit) Solis imago coronata appingitur, tanqvam ſimulacrum prioris Odini. Idem ex *Eddâ* colligitur, qvæ poſtqvam Odini nomina ſeu potius epitheta expoſuerat, hæc addit: þa mælti Gangleri, geyſi maurg heiti ha- „
fi þer gefit honom oc þat veit trua min at þetta mun „
vera mikill frodleikr, ſa er her kann skyn oc dæmi, „
hverir atburdir hafa ordit ſer til hvers þeſſa nafns. „
þa ſagdi Harr. mikil skynſemi er at rifia þat vandliga „
upp, en þo er þer þat skiotaz at ſegia, at fleſtj heiti „
hafa

„ hafa verit geſin af þeim atburde, at ſva margar ſem
„ ero greinir tungnanna i veroldinni, þa þickiaz allar
„ þiodir þurfa at breyta nafni hans til ſinnar tungu,
„ til akallz oc bæna fyrir ſialſum ſer. *i. e.* Tunc Gang-
„ lerus: perqvam multa nomina ipſi (*Odino*) indidiſtis.
„ Nec, meherele, exigua ſcientia reqviritur ad enodan-
„ das cauſas illas & rationes, unde ſingula hæcce
„ epitheta ortum traxerint. Imo vero, reſpondit Har,
„ res eſt altioris indaginis; compendio tamen dicam
„ plurima inde eveniſſe, qvod ſingulis nationibus qvæ
„ terram incolunt, neceſſariò videtur nomen ipſius ad
„ lingvæ ſuæ indolem flectendum, in cultus & adora-
„ tionis ſingulis neceſſarium uſum. Hæc Odino illi, qvi paulo ante Chriſti nati tempora huc migravit, perperam applicari manifeſtum eſt. Neqve enim omnes gentes illius notitiam habuerunt. Solem vero nulla non videt, ut eum hic ſub Odini nomine intelligendum eſſe pateat.

Aliam de Sole mythologiam *Eddæ* fabula VIII. ſuppeditat; ubi Dellingus qvidam, *Aſarum* ſtirpe prognatus, uxorem duxiſſe traditur Nottem (noctem), Norii vel Narfii gigantis filiam, (exemplar Svecicum, qvod ſeqvitur *Rudbeckius* Atlanticæ Cap. VII. Norvium iſtum Norem appellat, ejusqve filiâ Notte prognatam eſſe ait Jordem (terram) qvæ Dellingo nupſerit) atqve ex eâ progenuiſſe filium Dagum (diem) dictum, prolem patri venuſtate ſimilem. Noctem illam Diemqve parens omnium, ſive Deus, cœlo impoſuit, deditqve eqvos duos & currus, ut circumirent terram. Nox prior decurrit, cum eqvo jubam pruinoſo, qvi terram

rigat

rigat ſpuma è morſu freni decidente. Dies fulgenti eqvo vehitur, qvi juba ſuâ ætherem terramqve illuſtrat. Mythologiam hanccè *Rudbeckius* dicto loco prolixè explicat, atqve ad Neptunum refert, Athini, ut vult, ſeu Odini nomine inſignitum. Nos per Dellingum Solem intelligi omninò credimus; Dagi enim vel Diei pater dicitur, proprietate Soli ſemper & ſuâ natura competente, qvi acceſſu ſuo diem reducit. Nec minus recte Noctis maritus *fingitur*, qvum velut ex congreſſu cum nocte, *dum in* altero hemisphærio verſatur, redux, diem procreaſſe videatur. Qvod ſi terram uxorem, ſecundum exemplar Svecicum ei adſcribamus, res eodem recidit. Cumqve in his mythologiis tam ſub Odini Boræ filii, qvam Dellingi nominibus Solem intelligi appareat, nos Dellingum cum Odino iſto eundem fuiſſe ſtatuimus. Ceterum utrum hic Odinus unqvam inter homines fuerit, an Solem ita antiqviſſimi ſeptentrionales vocaverint, haut ſatis conſtat: nos tamen eum vetuſtiſſimis temporibus *vixiſſe putamus*, cultumqve Solis has in terras *invexiſſe*; *addito forte mendacio*, ſe *Solis filium*, vel *alium* qvendam numinis cognatum eſſe. Ad Odini hujus exiſtentiam ſtatuendam viam mihi ſternere videtur *Edda* Mythol. XLIX. ubi hæc habentur: En æſir: ſetiaz þa a tal. oc rada radum ſinum. oc minnaz „ a þeſſa fraſogn alla er her var ſagt. oc gefa nofn þeſ- „ ſi ſomu, er adr voru nefnd, monnum oc ſtodum „ þeim er þar voru, til þeſſ at þa er langar ſtundir li- „ di, at menn skylldi ecki ifaz i at allir væri einir, þeir „ æſir er nu var fraſagt, oc þeſſir er þau ſomu nofn „ voru gefin. *id eſt*: Tum Aſæ conſidentes collocuti „

„ ſunt & conſultarunt invicem, ſimulqve easdem has „ relationes, qvæ hic (*Ganglero*) narratæ fuerant, re„ petierunt; atqve his antedictis nominibus præſentes „ homines locaqve appellarunt: ut multis poſt ſeculis „ nemini dubium eſſe poſſet, eosdem eſſe Aſas iſtos, de „ qvibus dictum fuerat, cum his, qvi eadem nomina „ nunc aſſumſerunt. Videmus hic antiqviorum Aſarum ſeu Deorum nomina ſibi ſumſiſſe poſteriores illos Aſas, qvi Odino Upſalenſi Duce huc venerunt: Hæc Aſarum & Dearum nomina fuere Odinus, Thor, Tyr, Freyr, Freya, Frigga &c. (de his enim relationes illæ qvas Ganglero retulere agunt.) qvæ ſibi poſtea ſumſiſſe apparet recentiores illos Aſas; qvi iisdem nominibus inſigniti apud *Snorrium* in Chronico Norvegico circa initium occurrunt. Omnia itaqve illa Deorum & Dearum nomina in ſeptentrione culta fuere ante Odini Upſalenſis adventum: qvod & *Sturlaugi Laborioſi vita* confirmat, qvæ templi cujusdam in Biarmiâ meminit, Odino Upſalenſi antiqvioris, ubi Thor, Odinus, Frigga & Freya culti fuerint; & præcipuè qvidem Thor: in memoriam fortè beneficii qvo libertas incolis ab infeſtatione gigantum ejus ope parta eſt; unde etiam gigantum domitor, trollorumqve terror omni tempore audivit. Fortè inqvam: neqve enim ſatis conſtat utrum ſingulæ iſtæ de gigantibus victoriæ ad priorem illum Thorem pertineant, an vero qvædam illarum poſteriori illi, Odini Upſalenſis ſocio, qvi prioris nomen invaſit, attribuendæ ſint. Superioris illius *Edda* in prologo meminit, eumqve ab inſigni robore commendat. Verba illius hæc ſunt: Einn konungr i Trojo het Munon edr Mennon.

hann

hann atti dottur hofutkonungs Priami, ſu het Troan. »
þau attu ſon. ſa het Tror. þann kollum ver þor. hann »
var at uppfæzlu i Thracia, med þeim hertoga er »
nefndr er Loricus. en er hann var x. vetra, .þa tok »
hann vid vapnum fodur ſins. ſva var hann fagr alitum »
er hann kom med odrum monnum, ſem þa er fils- »
bein er grafit i eik. har hans var fegra en gull. þa er »
hann var XII. vetra hafdi hann fullt afl, þa lypti hann »
af jordu biarnſtokum ollum ſenn, ok þa drap hann »
Loricus hertoga foſtra ſinn, ok konu hans Lora, edr »
Glora, ok eignadi ſer rikit Tracia, þat kollum ver »
þrudheim. þa for hann vida um lond, oc kannadi »
heims halfur, ok ſigradi einn ſaman alla berſer- »
ki, oc alla riſa, ok einn hinn meſta dreka oc morg »
dyr. I nordr halfu heims fann hann ſpakonu þa er »
Sibil het, er ver kollum Sif, ok feck hennar, eingi »
kann ſegia ætt Sifiar, hon var allra kvenna fegrſt, har »
hennar var ſem gull, þeirra ſon var Loride. *Qvod* »
ita vertit Stephanus Olai. Rex qvidam Trojanus, no- »
mine Memnon, Archiregis Priami filiam Troan uxo- »
rem habuit, cum qva filium, Tror dictum, (noſtra »
lingva Thor) ſuſcepit. Hic in Tracia apud Ducem »
qvendam nomine Loricum educatus, decimo ætatis »
anno armis paternis donabatur. Ita cæteros anteibat »
pulchritudine, ut ebur fagum ſplendore, cum eidem »
inſculpitur; ſiqvidem capillus ſupra aurum nitebat. »
Annum habens duodecimum in tam perfectum viri »
robur adoleverat, ut decem pelles urſinas uno impetu »
a terra facile allevaret. Ducem præterea Loricum, »
proprium nutricium, unà cum uxore Lora (vel Glo- »

ra)

„ ra) interemit, ſibiqve regnum Traciæ (nobis Trud-
„ heim) ſubjecit. Multas deniqve regiones peragrans,
„ mundiqve plagas perluſtrans, centauros omnes & gi-
„ gantes ſolus proſtravit; ad hæc draconem immanem,
„ multasqve feras trucidavit. In ſeptentrionali mundi
„ plaga, fatidicam mulierem inveſtigavit, nomine Sif,
„ eandemqve in uxorem accepit. Nemo eſt qvi hujus
„ Sif, ſive Sibyllæ, generationem noverit. Capillo
„ erat auro ſimili, ſuperavitqve formâ omnes, qvæ tunc
„ erant, mulieres. Cum hac filium habuit Loridum.
Ab hoc Thore ad Odinum illum, qvi Aſis comitatus in ſeptentrionem migravit, dictus liber XVIII. generationes mox enumerat, hac ſerie: 1. Loridus; 2. Henredius; 3. Vingethor; 4. Vingener; 5. Moda; 6. Magius; 7. Ceſpheth; 8. Bedvig; 9. Athra ſeu Annar; 10. Itrmannus; 11. Heremodus; 12. Skialdun vel Skioldus; 13. Biaf vel Biar; 14. Jat; 15. Gudolfus; 16. Finnus; 17. Frialafus vel Fridleifus; 18. *Odinus*. *Verum genealogiæ* huic non parum deeſſe, *graduum numerus* cum annorum *ratione* collatus evincit. Etenim viginti generationes à Priamo ad Odinum, ſeptingentorum annorum ſpatio circiter conveniunt, nec facile ulterius extendi poſſunt; inter Priami vero ætatem & immigrationis Odinianæ tempus, anni ſunt plusqvam MC. Sed qvis tot ſeculorum decurſu aliqvot gradus interiiſſe mitetur.

Qvod ad Thorem attinet, ethnicæ de eo ſuperſtitionis reliqvias etiam hodie in rudis vulgi animis remanere teſtis eſt *Verelius* Not. ad Hiſtor. Hervor. Cap. I. pag. 36. Nec gigantes tantum, *ait*, qvi jam ſupereſſe deſie-

deſierunt, ſed & dæmones Thoronis malleo (fulmi- „
ne) conteri, ſtulta & pertinax vulgi eſt perſvaſio. „
Inde cum rupes, ſaxa, domus, antra, aut hujusmodi alia „
fulmine tanguntur, dæmones latibula ibi qværentes à „
Thorone indagatos, necatosqve arbitrantur. Hinc „
non improvida, ut putant, cautio, ne Thorone ful- „
minante, denſam arborem, aliudve qvod imbrem ar- „
cere poſſit, foris conſtituti ſubeant, malintqve ſub dio „
denſum & præcipitem excipere nimbum, qvam caput „
ſubducendo pluviæ, dæmonum periculis miſceri.

Ad Odinos redeamus, eorumqve numerum ulterius excutiemus. Vir in monumentis Islandicis benè verſatus, *Biornus de Skardza*, de Runis opuſculum ſcripſit, cujus Capite I. ex Annalibus Sæmundi Polyhiſtoris, mihi nunqvam viſis, ſeqventia refert: Og hefi eg fun- „
did i Annalum þeim er nefndur Sæmundur preſtur he- „
fur ſamantekid, og Odda annalar kallaſt, at artal ha- „
fi þa verid fra veralldar upphafi 3449. er Odinn edur „
Otthi vard kongur i Danmork, hvor framid hafi for- „
neskiu med meſta galldri og giorningum, og nefndi „
folkid born ſin epter honum, og ſvo þeim odrum A- „
ſie monnum og þeirra kvinnum, er þeir kolludu Æſi „
og Æſur, Gvidi og Gvidur, Goda og Gidiur, Dya „
og Dyſer. *i. e.* Inveni in annalibus, qvos Sæmun- „
dus paſtor collegit, qviqve Annales Oddenſes nuncu- „
pantur, qvod anno à condito mundo MMMCDXLIX. „
Odin ſeu Otthi factus ſit Rex Daniæ, qvi magiam „
maximis ſuſurris & incantationibus exercuerit; cujus „
ut & aliorum Aſiaticorum, eorumqve fæminarum „
(qvos Aſas & Æſas, Gvidi & Gvidur, Goda & Gidi- „

„ ur, Dya & Dyſer appellarunt) nomina populus li-
„ beris ſuis impoſuit. Idem *Biornus* in Commentario in Carmen Voluſpa ex Annalibus Sæmundi refert initium regni Odini ad annum DCLXVII. à diruta Trojâ; excidium autem Trojanum ad annum mundi MMDCCLXXXII. qvi calculus cum priori convenit. Qvid de hoc Odino, qvi ex Sæmundi & eum ſecuti Biorni ſupputatione CCCCXL. circiter annis Upſalenſi, ad noſtrum calculum redacto, antiqvior eſt, tenendum ſit, aliis diſpiciendum reliqvimus. Nos eum cum antiqviſſimo illo, ſub cujus nomine ſolem olim cultum fuiſſe diximus, committere non audemus; nec in genuinorum Odinorum numerum referre, donec de eo illiusve ætate certius qvid videre contingat. Non enim divinare poſſumus, unde is Sæmundo innotuerit, cum certum ſit, nullam in ſeptentrione genealogiæ ſeriem, nullum hiſtoriæ contextum ſupra Odinum, qvem vulgò Upſalenſem vocant, aſcendere. *Suſpicamur itaqve Biorno hic glaucoma qvoddam obveniſſe; qvo impeditus pro Sæmundi ſcriptis acceperit* recentis cujusdam Annaliſtæ Islandi excerpta, ex vulgari qvodam Danorum chronographo (ut conjicere licet) emendicata & depravata. Id tamen reticere nolumus, viginti illas generationes à Priamo, qvas nuper ex Eddâ attulimus, huic Odino, modo genuinus eſſet, ratione temporis melius qvam Odino Upſalenſi convenire: qvod tamen ad hujus exiſtentiam probandam neutiqvam ſufficit.

Nec magis Odinorum numerum augere valet *Jonas Ramus*, qvi in ſuâ Norvegiâ Antiqvâ & Ethnicâ Ulyſſem Odini nomen aſſumſiſſe, ac eo modo Germanis impo-

fuiſſe

ſuiſſe exiſtimat. Etenim hæc opinio ſolâ nititur conjecturâ, cum tale nihil in vetuſtis monumentis reperiatur.

Secundus itaqve in Odinorum ordine is erit, qvi vulgò Upſalenſis dicitur, ac Odinſalis, ut *Verelio* placet, reſedit. Ad hunc Daniæ Norvegiæqve ac Sveciæ Reges genus ſuum referunt. Haraldus Pulchricomus, Norveg. Rex, anno Chriſti DCCCLIII. vel. LIV. natus, per viginti ſeptem generationes ab illo deſcendit. Eſtqve hic idem ille Odinus, à qvo ſcriptores Anglici veterum ſuorum Regum ſtemmata derivant: ſed inæqvali graduum proportione. Etenim Elfredus Anglo-Saxonum Rex, triennio ante Pulchricomum natus, viginti tribus generationibus ab eo diſtat: Offa Merciorum Rex, qvi vixit anno Chriſti DCCXCIII. qvindecim: Ida Northumbriæ Rex ad annum Chriſti DXLVII. per novem: Ella Northumbriæ circa annum Chriſti DLIX. Rex, per undecim gradus ab illo deſcendit. David Rex Scotiæ qvi regnare cæpit anno Chriſti MCXXIIII. unâ ſupra triginta generationibus ab Odino diſtat. Graduum diſpar ratio nonnullorum defectum arguit; qvod & in noſtratium genealogiis infreqvens non eſt. Ita Sigurdus Faſnericida, qvi ſeculo VIII. vixit, qvinqve tantum gradibus ab hoc Odino in *Floanorum hiſtoria* removetur: Herraudus, Ragnaris Lodbrochis Daniæ Regis ſocer, qvi bello Bravallenſi circa annum Chriſti DCCXXXV. interfuit, tribus tantum generationibus illo eſt inferior: ut plura iſtiusmodi exempla taceam; qvæ multorum graduum interitum manifeſtè arguunt.

Qvæ de duobus Odinis à nobis dicta ſunt, *Rudbeckii* ſententiâ confirmantur, qvi Atlant. Cap. VII. pag. m. 195. binos ſimiliter Odinos agnoſcit; unum, ſub qvo orbis dilu-

vium, reparationem, diviſionem & imperiorum ordinationem contigiſſe opinatur: & alterum, cujus filii Moſcoviam, Daniam, Britanniam, Germaniam & Galliam ſub ſuam poteſtatem redegerint. Qvod vero eadem pag. 195. ſcribit, Attini vel Odini nomine, tanqvam proprio, ad minimum qvatuor vel qvinqve homines uſos fuiſſe, & adhuc plures illud idem pro certo qvodam honoris titulo affectaſſe, id nobis nondum obſervatum eſſe fatemur; qvi præter binos Odinos ex antiqvitatibus noſtris expiſcari non potuimus: unum nempe vetuſtiſſimum illum Boræ filium, pro ſole cultum, de qvo præterea parum conſtat, & alterum qvi LXX. circiter ante Chriſtum annis huc venit, & prioris illius nomen ſibi ſumſit: imò, ſi *Gudmundo Andreæ* (Not. in carmen Voluſpa à Stephano Olai Latine redditum) auſcultemus, eundem ſe cum priori Odino eſſe, ac per metempſychoſin ita transformatum finxit.

CAPUT. IV.

Qvo Odinum Upſalenſem maximam mutationem ſeptentrioni intuliſſe monſtratur.

Ex ſuperioribus, ſatis, puto, clarè apparet, ante Odinum illum, qvi Upſalenſis vulgo dicitur, Aſasqve illos, qvos is in ſeptentrionem ſecum adduxit, alios iisdem nominibus notos, longe prius heic cultos fuiſſe. Horum ut memoria poſteris periret, ſeqvior hic Odinus ſe ſuosqve eorum nominibus appellavit; qvo ſtratagemate tantum profecit, ut nunc præter nuda illorum nomina, ferè nihil de iis ſciamus: nec qvanto illum tempore præceſſerint, conjicere valeamus. Nec ſola hanc Odini vim paſſa ſunt vetuſtiſſima iſta ſeptentrionis numina; hominum qvoqve his in terris ante ſe degen-

gentium non ſecus ac Deorum memoriam penitus delere omni ſtudio allaborabat, idqve ut nullius eo antiqvioris vel theologiæ vel hiſtoriæ notitia apud poſteritatem extaret: ſed omnia ab hujus Odini, tanqvam vetuſtiſſimi numinis temporibus exordium ſumerent. Hinc eſt qvod de ſeptentrionis noſtri rebus illo antiqvioribus, parum ſciamus, nec ullus hiſtoriæ contextus aut genealogiarum ſeries ſupra eum aſcendat: Saltem ex *Eddâ* & *Hervoris hiſtoriâ* diſcimus, terras haſce ante illius tempora gigantibus inhabitatas fuiſſe, ſed qvorum acta maximam partem, ſi non penitus, interiere. Hervoris qvidem hiſtoria de Arngrimo, Hergrimo ſemigigante, Starcado Aludrengo, Storvirco ejus patre ac Alfhilde ejus uxore, Alfi Alfheimorum in Norvegiâ Regis filiâ, nonnulla habet, qvæ ſecundum hiſtoriæ illius diſpoſitionem Odino antiqviora eſſe debent, ſecundum genalogiæ ſeriem illi ad minimum coævа, prout ex ſchemate, qvod ex dicta Hervoris hiſtoria inferius libro III. Cap. I. adferemus, apparere poterit. Verum ſingulas illas res, qvæ ibi recenſentur, Odino & Aſis juniores eſſe certum eſt. Et in hiſtoriæ ipſius contextu, ingentem qvidem temporum confuſionem facilè agnoſcet, qvi in *Gotrici & Rolſi hiſtoria* de raptu Alfhildis & Starcadi nece per Thorem procuratâ eadem plane legerit, ſimulqve animadverterit, Starcadi illius nepotem Starcadum, tum juvenem, Alreco & Eirico Sveonum Regibus militaſſe, qvos circa ſeculi III. initium regnaſſe conſtat. Qvin & ipſe Hervorianæ hiſtoriæ contextus, hæc qvæ diximus confirmat, ſeqve ipſum evertit, tradendo, Alfum Alfhildis patrem, filiâ per Starcadum raptâ, Thorem (qvi Odini filius erat, ac itaqve illo tempore poſterior) votis

invocâſſe, qvi Starcadum occiderit, Alfhildemqve patri reſtituerit; id qvod de Thore jamtum mortuo & inter Deos relato intelligi debet. Ad dictam genealogiam qvantum attinet, illa nec majus heic pondus habet. Etenim Alfus ille, Alfheimorum Rex, cujus filiam Starcadus rapuit, qvi & tanqvam Aſis coævus in Hervoris hiſtoria adducitur, alius eſſe neqvit, qvam Alfus (aliàs Finn alfus) Alfheimorum Rex & Eponymus, qvi ſecundum *Origines Norveg.* nepos erat Noris, atnepotis Fornioti, qvi Odino circiter coævus erat. Qvâ ratione Alfus ſeptem generationibus Odino inferior eſt: patetqve inde evidenter, haut paucos gradus dictæ genealogiæ in medio deeſſe, interſerendos, ut arbitror, ſi haberi poſſent, inter Svafrlamium & Eyvorem ſeu Eyturam. Ea ratione Odinus longè ſupra Alfum exaltaretur, ac ſæpedicta genealogia graduum multitudine reliqvas æqvaret, qvibus nunc multo brevior eſt, ob prædictam, ut videtur, lacunam dehiſcens. *Hildis, Haraldi Grandævi uxor, nono gradu illic ab Odino diſtat: maritus autem illius* in Daniæ Regum genealogiâ, eodem libri III. Capite I. inferius exhibendâ, per ſedecim generationes ab eodem deſcendit; qvi graduum numerus cum temporum ratione benè concordat, expenſis ſcilicet in ſingulas generationes XXXVIII. præter propter annis, cum ſingulæ harum ſtemmatographiæ Hervorianæ generationum LXX. annos reqvirant, qvod certè nimium eſt, &, qvem diximus defectum arguit.

Qvod de cultu numinum illorum, qvæ antiqviſſimis temporibus hic in ſeptentrione noſtro adorata fuere, per Odinum obſcurato vel extincto, nuper diximus, doctiſſimus agnoſcit *Stephanius*, qvi

Not.

Not. in Saxonem pag. 135. de antiqviſſima gentilium ſeptentrionalium Theologiâ hoc modo diſſerit: Hic „ jam conſentaneum eſt, ut memor promiſſi, qvo me in „ notis ſuperioribus lectori obſtrinxi, fidem meam ut- „ cunqve liberem, traditurus in præſenti, qvæcunqve ſe „ mihi, diligenter ſatis inqvirenti, in Antiqvitatibus „ noſtris, aliisqve authoribus de Danicæ vetuſtatis nu- „ minibus hactenus obtulerunt. Satius vero duxi, ipſa „ monumentorum juxta ac autorum verba in medi- „ um adducere, qvam iis immutatis, novam qvaſi Deo- „ rum ſeptentrionalium hiſtoriam condere; qvod homi- „ nis videretur nimis curioſi, & otio abutentis. Inter ve- „ tuſtiſſima igitur documenta illud præcipuum eſt, qvod „ de Odino nobis ſuppeditat *Edda*, liber de re poetica ve- „ tuſtiſſimus, cujus nonnulli autorem faciunt Snorro- „ nem Sturlæſonium, alii Semundum Frode, id eſt ſapien- „ tem. Poſtea cum Eddæ & Chronici Norvegici prolixam narrationem eſſet perſecutus ſic concludit: *Hactenus Chronicon Norvagicum: à qvo cum discesſerimus, vix ſuperant antiqviora monumenta, qvæ nos de vetuſtisſimis Danorum numinibus, aliqvid ſcitu dignum edocere poterunt.* Ad inferioris igitur ævi ſcriptores deſcendit, inter qvos familiam ducit *Olaus Magni* Svecus, qvi eosdem Deos juxta cum noſtris annalibus, & tres ex iis, veteribus Gothis paganis, prima veneratione obſervatos tradit: Thorum, Odinum & Friggam. Nec ſcriptor ille, qvantumvis induſtrius, ex patriæ ſuæ monumentis antiqviora afferre valuit. At *Svaningius* Odinianæ migrationis conſcius, alia qvidem antiqviora numina à Danis culta eſſe ſtatuit, ſed ne unum qvidem ex iis nominatim expreſſit, Nec id profecto ex iis evincitur,* qvæ Saxo de Odino & Hardgreppa ſagâ,

gigan-

gigantis cujusdam filia, mox dicturus, generaliter præmiſit. Nam gigantum & magorum, qvorum Odinus facilè princeps fuit, opera ſummatim perſtricturus, ut fidem hiſtoriæ, qvam traditurus erat, conciliaret, triplex qvondam mathematicorum genus inauditi generis miracula diſcretis exercuiſſe præſtigiis refert. Qvæ verba non magis ad antecedentia qvam inſeqventia ſecula ſunt applicanda. Sed & *Arngrimus* & antiqvitates Islandorum Saxoni conſentiunt. Et ille qvidem primos Arctoi orbis incolas gigantes fuiſſe, & ab Odini poſteris tandem à ſtirpe exciſos opinatur. Præter jam recenſitos Celeberrimus etiam *Olaus Vormius* noſtris annalibus paſſim niveum calculum addit. Nec is ſeptentrionem hunc noſtrum alia Theologiâ antiqvitus imbutum obſervavit, qvam hac ſuperſtitione, qvæ ab Odino & Aſiaticis profluxit. Nil diſſentit *Johannes Vaſtovius* in præfatione ad Vitem ſuam Aqviloniam, Odinum inter præcipua antiqvi ſeptententrionis numina recenſens.

Mutationem ab hoc Odino invectam ſi accuratius inſpexerimus, maximam eam variamqve deprehendemus. Neqve enim priſcis illis, qvi primi omnium ſeptentrionem occuparunt, ea conveniunt, qvæ de his prædicantur. Nimirum qvod novam lingvam intulerint, cum id in primis cultoribus notatu dignum non ſit, ut nec, qvod mores ſuos, ritusqve uſitatos invexerint, inqve poſteros derivaverint, id enim ubiqve in primis aboriginibus obtinet, nec aliter fieri poteſt. Qvod lingvam attinet, eam his populis vetuſtiſſimam fuiſſe, in qvam antiqvisſimorum Gothorum nomina propria, tum etiam appellativa, qvæ in rerum Gothicarum ſcriptoribus, ut lingvæ iſti propria, occurrunt, aptè reſolvi poſſint, non eget probatio-

batione; cum controverſia careat, primos illos Gothos, Scandiam ingreſſos, lingvam ſuam ſecum invexiſſe, eorumqve poſteros, inde egreſſos, magnam Europæ, Aſiæ, Africæqve partem victricibus armis peragraſſe. Ad lingvam Germanicam iſta nomina ſucceſſu haud infelici redegit magnus ille *Grotius*, qvorum index inter Gothicos ſcriptores, qvos vel vertit, vel in ordinem digeſſit, extat; qvæ cum pari felicitate ad lingvam Danicam, vel priſcam, vel hodiernam, reduci poſſint, illam primis harum terrarum hominibus in uſu fuiſſe ratio dictitat, Danis, Norvegis, Svecis ac Germanis communem: Eam vero, qvam Odinus induxit, non omnino diverſam, ſed dialecto tantum, qvibusdam etiam vocabulis diſtinctam. Id qvod convenientia lingvæ Germanicæ cum ſeptentrionalium regnorum idiomate facile perſvaſerit. Doctisſimus *Sheringhamus* multus in eo eſt, ut lingvam Gothicam, Scythicam & Gethicam, unam lingvam eſſe, perqve totam Scythiam invaluiſſe demonſtret, Diſceptatione de Anglorum gentis origine cap. XI. Nihil itaqve mirum in iis, qvi ab illis profecti ſunt, lingvarum commercia manſiſſe, licet ii, qvi poſterius ex Scythia egresſi ſunt, id ex parte inverterint; Gothorum enim ſermo ex aliarum gentium vicinitate aliqvantulum in Aſia mutatus videtur, & proinde *Aſamal*, ſive *Aſarum ſermo* dictus, ut ſtatuit *Sheringhamus* cap. XIII. Diſcept. de Anglorum gentis origine pag. 284. Qvin & conſtat Caroli Magni ætate omnes barbaras ac feras nationes, qvæ inter Rhenum ac Viſtulam fluvios, oceanumqve & Danubium poſitæ ſunt, lingva qvidem pene ſimiles fuiſſe, moribus vero atqve habitu valde diſſimiles, teſte *Eginhardo* ipſius imperatoris Cancellario, cujus ſolius teſtimoni-

um ſatis evincit lingvam omnibus communem ab uno traduce profectam, licet tractu temporis parum mutata fuerit.

Venio ad literas, qvæ cautibus inſculptæ ab hoc ipſo Odino introductæ ſunt; Runas nimirum, qvas antiqviſſima *Edda*, qvæ *Sæmundo* aſcribitur, ei tanqvam auctori inventoriqve vendicat; Extat nempe in eodem libro Oda, moralibus ſententiis referta, atqve ab ipſo Odino, ut creditur, concinnata, ſub titulo *Havamal*, ubi inter alia hæc leguntur:

Oſnotr madr.
ef eignaz getr
ſe edr ſiods munod,
metnadr hanom þroaz
en manvit aldregi
framgengr hann driugt i dul.
þat er þa reynt
ef þu at runom ſpyrr
enom reginkunnom
þeim er gordo ginregin
oc ſadi fimbulþulr
þa hefir hann bazt er hann þegir. i. e.

„ Ineptus homo, ſi adipiſcatur opes & virginis amorem,
„ intumeſcit magis, & nunqvam ſapit, & in obſcuro
„ deliteſcit. Illud tum compertum eſt, ſi de Runis illis
„ Theomanticis interroges, qvas invenerunt magicis ar-
„ tibus auguſti Dii, & pinxit magnus ſenex: (*ſe ip-*
„ *ſum intelligit Odinus*) ſilentium ipſi convenientiſſimum
„ eſt.

Clarius adhuc de hac re habetur in *Capite Runico*, cujus ipſe Odinus auctor eſt. Verba illius, ſtudia ſua profitentis, hæc ſunt: Veit

Veit ec at ec hecc
vindga meidi a
nætr allar nio
geiri undadr
oc geſinn Odni
ſialfr ſialſom mer:
a þeim meidi
er mangi veit
hvers hann af rotom renn.
Vid hleiſi mic ſeldo
ne vid hornigi
nyſta ec nidr
nam ec up runar
æpande nam fell
ec aptr þatan. i. e.

Scio qvod pependi ex arbore aerea noctes integras novem, gladio compunctus, & Odino datus, ipſe ipſi mihi: in illa arbore, qvam nemo novit, à qvâ radice pullulaverit. Neqve pane, neqve poculo me ſuſtentarunt, cum dolore deorſum cecidi, auctor fui Runarum, lachrymans didici & denuo decidi. „

Deinde poſtqvam ſuam diligentiam in cognitione acqvirenda expoſuit, hæc ſubjungit:

Runar munt þu finna
oc radna ſtafi
mioc ſtora ſtafi
mioc ſtinna ſtafi
er fadi fimbulþulr
oc gordo ginnregin
oc reiſt hroptr raugna.
Odinn med aſom

enn ſyr alſom Dainn
Dvalinn oc dvergom ſyr.
aſvidr jotnom ſyr
ec reiſt ſialfr ſumar. i. e.

„ Runas invenies & reſolutas literas, prægrandes lite-
„ ras, prævalidas literas, qvas exaravit magnus ſenex, &
„ formarunt auguſti Dii, & Deorum augur (*ſic verto*
„ *Hroptr*) incîdit. Odinus inter Aſas (*Deos*), inter faunos
„ Dainus, Dvalinus inter nanos, Aſvidus inter gigantes,
„ ipſe qvasdam incîdi (*ſcilicet ex iis*, *qvas hi reliqvi uſur-*
parunt).

Hic tam Runarum ſimplicium & elementarium inventionem ſibi adſcribit Odinus, qvam reſolutorum characterum, magicæ ſcilicet artis cultoribus familiarium, qvi ex multis ſimplicibus componuntur, & integram vocem, unam aut plures, vel etiam exorciſmum complectuntur. Nam reſoluti ideo dicuntur, qvod in multos ſimplices, ex qvibus conflati ſunt, reſolvi poſſint & debeant. Qvi enim in hac arte inoffenſo pede procedere voluit, cujusvis characteris ſignificativam conſtructionem callere debebat, ut ſingulis numinibus ſecundum ſuam profeſſionem ſupplicaretur; ſecus facienti periculum imminebat. Ita Eigill Skallagrimius, decumbentis puellæ morbum ex hac ignorantia exortum colligebat, qvam procus in arte rudis characteribus, ſub ſtrato occultatis, in ſui amorem pellicere voluit, qvo commento illi langvorem induxit. At Eigill, cum Runas branchiis ceti inſculptas deprehendit, eas abraſas combuſſit, aliisqve in locum eorum ſubſtitutis virgini ſanitatem reſtituit.

Video qvidem Clariſſ. *Verelium* Runogr. Scand. cap. IV. à me

á me in eo diſſentire, qvod Runarum ſimplicium & elementarium (*Malrunas ille vocat*) inventionem Odino Upſalenſi abjudicet; verum reſpondet ei *Thomas Bartholinus* Antiqv. Danicarum lib. III. cap. II. veritos nempe fuiſſe eum aliosqve, ne abſtruſa atqve incomperta gentium ſeptentrionalium antiqvitas penitus convelleretur, niſi Runarum inventio Odini atqve Aſianorum migrationem tranſcenderet, ac itaqve compertam ſibi ex effoſſis tumulis profundiorem antiqvitatem ſtatuiſſe: de qvo prolixè *Olaus Rudbeckius* in ſua Atlantica egit. Sed cum opinionem eam, utpote haud firmo ſtantem talo, dicto capite Bartholinus refutaverit, ſatisqve ex allatis teſtimoniis liqveat, Odinum literas illas ſecum in ſeptentrionem intuliſſe, ulteriori diſqviſitioni in præſens ſuperſedebimus.

Qvod magiam attinet, opponi poteſt, qvomodo Gylfius, Seciæ Rex, magicis artibus cum Odino certare potuiſſet, ſi Odinus eas primus importaſſet. Ad qvod reſpondemus. Cum magiæ ſpecies diverſæ ſint, juratusqve humani generis hoſtis ubiqve obvius, poterant illi, qui hic fuerunt, qvandam ab illa alienam callere, qvam Odinus invexit. Neqve enim Aſiani illius, qvæ *Seid* vocatur, & per ferventes ollas peracta fuiſſe creditur, ante Freyæ, Niordi filiæ, adventum, ullam cognitionem habuerunt: qvæ adeo deteſtabilis & horrenda fuiſſe dicitur, ut ipſius miniſterium fæminis demandatum fuerit, viris tantam ſpurcitiem execrantibus. Vanis tamen, Tanais accolis, illa in uſu fuerat, & per Freyam, ex illis oriundam, Aſis primum communicata. Id qvod ex *Snorrii* Chronico MS. obſervavi; ad cujus normam, illud, qvod typis impreſſum eſt, non raro debet emendari. Poſtqvam autem

Odinus magiam hanc a Freya edoctus eſt, tam illam qvam iſtam, characteribus famoſam, in Arctoum orbem induxit, ut non immeritò magicarum artium inventores Aſæ ſint habiti. De hac re ita *Snorrius* loqvitur:

„ Allar þeſſar iþrottir kendi hann medrunom oc lio-
„ dom þeim er galdr heita, fyrir þvi ero Æſir kalladir
„ galldra ſmidir. i. e. *Omnes has artes* (magicas intelligit) *per runas & rhythmos, qvi magici dicti ſunt*, Odinus *docuit. Hinc Aſæ rei magicæ inventores audiunt.*

Extat præterea illuſtris locus in *Edda Sæmundi*, Odâ qvæ *Brynhildæ Oda* inſcribitur, qvem, tum qvod ibi Odinus Runarum & magicarum artium inventor ſtatuatur, tum ut illi, qvi lingvam Islandicam non callent, cognoſcant, qvam intricatum & ſphingicis ænigmatibus refertum ſit ſcriptum iſtud, qvod ne Oedipus qvidem explanaret, integrum adſcribam. Continet autem varia Runarum genera, qvæ Brynhildis, Budlii Saxoniæ Regis filia, Sigurdum Faſnericidam, Regem celeberrimum, docet, precibus ejus ad philoſophiæ, ut ibi habetur, cognitionem ſibi ingerendam adacta, qvod omnium mundorum (ut ita dicam, complures enim mundos veteres ſibi imaginabantur) cognitionem habere exiſtimaretur. Initium verborum Brynhildis tale eſt.

Bior færi ec þer
brynþings apaldr
magni blandin
oc megin tiri
fullr er hann lioda
oc licnſtafa
godra galdra
oc gamanruna. i. e.

Cer-

Cerviſiam ſive potionem, affero tibi, loricati fori co- „
lumna (*inclyte heros*) grandi vi & prævalido Tyri „
(*Martiâ efficacia*, *Tyr unus inter Aſas Martis loco cul-* „
tus eſt) medicatam, carminibus, propitiis characteri- „
bus, bonâ magiâ & jucundis runis repletam.

Hinc plures Magicarum Runarum ſpecies recenſet, tandemqve ſubjungit:

Hugrunar ſcaltu kunna
ef þu vilt hveriom vera
gedſvinnari guma.
þær ofred
þær ofreiſt
þær um hugdi hroptr
af þeim legi
er lecit hafdi
or hauſi Heiddraupnis
oc or horni Hoddrofnis
a biarge ſtod
med brimis eggiar
hafdi ſer a hofdi hialm.
þa mælti Mims hauſut
frodlict it fyrzta ord
oc ſagdi ſanna ſtafi:
A ſcildi, qvad riſtnar, þeim er ſtendr
fyr ſcinanda godi,
a eyra arvacrs,
oc a alſvinns hofi.
a þui hveli et ſnyz
undir reid Raugnis.
a Sleipnis tonnom,
oc a ſleda fiotrom.

a biar-

a biarnar hrammi,
oc a braga tungo.
a ulfs klom,
oc a arnar neſi.
a blodgom vængiom,
oc a bruarſpordi.
a lauſnar loſa,
oc a licnar ſpori.
a gleri oc a gulli,
oc a gumna heillom.
i vini oc virtri
oc vili ſeſſi.
A gungnis oddi,
oc a grana brioſti.
a nornar nagli,
oc a neſi uglo.
allar voro afſcafnar
þær er voro ariſtnar
oc hverfdar vid inn helga miod
oc ſendar a vida vega.
þær ro med aſom,
þær ro med alfom,
ſumar med viſom Vaunom,
ſumar hafa menzkir menn.
þat ero bocrunir,
þat ero biargrunir,
oc allar aulrunir,
oc mætar meginrunir.
hveim er þær kna
oviltar oc oſpilltar
ſer at heillom hafa.

Hæc

Hæc ſecundum verborum nudam & externam ſignificationem, qvam tamen aſſeqvi deſpero, ſic utcunqve verto: Runas cardiales calleto, ſi qvovis viro generoſior „ fieri velis; illas exaravit, illas excogitavit Odinus, ex „ illo liqvore, qvi profluxit ex Heiddraupnis cranio, & „ Hoddrofnis cornu. Interea rupi inſiſtebat fulgido cinctus „ gladio, & caſſide caput tectus. Tunc Mimeris caput „ ſapiens primum effatum protulit, ac vera verba expresſit; Clypeo inciſas referebat, qvi ante illuſtrem Deum „ eſſet collocatus, nec non Arvakri auri, & Alſvinni ungulæ, ac rotæ qvæ ſub curru Rogneris (*Odini*) rotatur, „ dentibus Sleipneris (*Odini eqvi*) & rhedæ ligulis, urſi „ pedi, & Bragii lingvæ, lupi ungvibus, & aqvilæ roſtro, „ ſangvine reſperſis alis, & pontis extremitati, redemptoriæ volæ, & propitio veſtigio, vitro & auro, & „ utenſilibus virorum; vino, frutici, & Odini ſedili; „ Gungneris (*gladius Odini ſic vocatur*) mucroni, & Granii (*eqvus Sigurdi Faſnericidæ ſic vocabatur*) pectori, Parcæ ungvi, & bubonis roſtro. Omnes fuerunt abraſæ „ qvæ prius erant inſculptæ, & ſacro mulſo immixtæ, & „ late per vias (*terras*) ſparſæ. Illæ ſunt inter Aſas; illæ ſunt „ inter Alfos (*faunos*); qvædam inter ſapientes Vanos; qvædam habent humanâ naturâ præditi homines. „ Hæ ſunt librariæ Runæ; hæ ſunt auxiliatrices Runæ, & omnes cerviſiariæ Runæ, & inſignes robore „ præpollentes Runæ, cuicunqve illas callet, non confuſas „ & incorruptas in uſum ſuum vertere.

Hoc unicum exemplum ſufficienter docet Odinum Runas & magicos characteres primum ſeptentrioni tradidiſſe, atqve inſuper qvam anxie ſub intricatisſimis gryphis & involucris ſuam magiam occultaverit antiqvitas,

ne cuivis facilè eſſet obvia. Nam hæc neqvaqvam ad verbum eſſe intelligenda patet ex tragœdia Gudrunæ Giukinæ, qvæ in eodem codice legitur; ubi qveritur ſe a matre ſua Grimhilde, Gothicâ fæmina, (qvod obſervandum) dum in Dania eſſet, vi potionis, magicis artibus præparatæ, qvæ ſuperiorum offenſarum oblivionem induxiſſet, ad ſecundas nuptias fuiſſe allectam; verba ſic ſonant:

Færdi mer Grimilldr
full at drecka
ſvalt oc ſarlict
ne ec ſacar muudac
þat var um aukit
urdar magni
ſva cauldom ſæ
oc ſonom dreyra.
Voro i horni
hverskyns ſtafir.
riſtnir oc rodnir
rada ec ne mattac
lyngfiſcr langr
landz hadingia
ax oſcorit
innleid dyra.
Voro þeim biori
baul morg ſaman
urt allz vidar
oc akarninn
umdaugg arins
idrar blotnar
ſvins lifr ſodin
þvi at hon ſacar deyfdi. i. e.

Por-

Porrexit mihi Grimhildis poculum ad bibendum, al- „
gidum & dolorem adferens; offenſarum obliviſcebar. „
Id vi fatali mixtum (*repletum*) erat, perfrigido mari, „
& hoſtiarum cruore. Illud cornu continebat omnis „
generis characteres ſculptos & rubefactos, qvos reſol- „
vere non potui, longum ſerpentem ex regione Hadin- „
gorum, paleas non exciſas, receptacula animalium, „
(*ſylvam intelligo*). Multis ærumnis illa cerviſia mixta „
fuit: ſucco ex omnis generis ligno expreſſo, glan- „
dibus & fornacis pluviâ (*cineres intellige*), animalium „
viſceribus aqvâ emollitis & cocto hepate porcino; „
qvod iras mitigavit.

Hæc poculo contineri non poterant, qvare allegoricè tales locutiones ſunt intelligendæ. Sic etiam ſuas literas intricare conſveverunt, ut cum literam ᚬ. qvæ *Os* nominatur, *Salmonum aulam* vocant. Nam omnes literæ Runicæ ſignificativè efferuntur, & *Os*: *oſtium amnis* vertitur, in qvo cum ſalmones luſitent, eorum aulam nominaverunt, qvod Excell. *Vormius* egregie explicuit in opere ſuo Runico. Qvid vero per Alfos, Draugos, Dvergos, Vanos, intelligendnm ſit, *Brynjolfus Svenonius*, ſe nihil certi ſcire fatetur. verba ejus extant in notis *Stephanii* in Saxonem pag. 66. ad illa Saxonis: *Accedunt Fauni Satyris.*) Utinam, *inqvit*, ipſum carmen qvod autor trans- „
tulit ac latinum fecit, ſupereſſet; videremus qvæ voces „
his latinis reſponderent, & tum fortean tenebroſo „
veterum ſermoni, de variis Alforum, Thuſſorum, „
Dvergorum, Draugorum, Vanorum generibus, qvæ „
nunc ſola ſunt nomina, lucem fœneraſſemus. Hoc cer- „
tum eſt duntaxat, diverſas iſtas ſive dæmonum ſive „
qvod inducor ut credam medii inter iſta cujusdam „

„ (generis) naturas fuiſſe habitas: qvo veterum ſeptentrionalium philoſophiam penitus intelligeremus, ſed „ hoc votum ſaltem eſt. Hæc ille. Sed longius a ſcopo me Eddicæ tricæ abripuerunt. Ipſa elementarium Runarum etymologia demonſtrat, illas cum Odino & Aſis huc illapſas. antiqviſſimarum enim & ſimpliciſſimarum pars tertia *Tyrs ætt* vocatur, id eſt *Tyris ordo*, qvod à Tyre fuerit inventus. Nam in tres ſectiones diſpeſcuerunt veteres ſua elementa, qvarum prima *Fes æt* à litera ᚠ. f. qvæ *Fe* dicebatur, & illis prima fuit. Altera *Hagals ætt* à litera ᚼ. h. cujus antiqvum nomen *Hagall.* Tertia a Tyre Deo, de qvo in Edda. Ex his qvadraginta circiter Runarum genera profluxiſſe patet ex epiſtola *Arngrimi* apud Vormium Lit. Run. cap. V. Qvam facile autem, vel levi unius literulæ mutatione, in alium ſenſum ſcriptio iſta detorqveri potuerit *Ragnaris Lodbrockis* hiſtoria in legatione Saxoniæ Regis Atlii ad Giukungos Gunnarem & Hognium, luculenter monſtrat. Concludit tandem *Snorrius Sturlæus* in Chronico Norvegico omnes has artes ab Odino traditas eſſe; verba illius adſcribam: þa er Aſa Odinn kom „ a nordr lond oc med hanom Diar er þat ſagt med ſan„ nindom at þeir haufdo oc kendo iþrottir þær er „ menn hafa lengi ſidan med farit. i. e. *Verè dicitur Aſarum Odinum, cum in arctoas regiones Diis comitatus veniret, eas artes induxiſſe ac docuiſſe, qvas homines exinde per longum tempus exercuerunt.* Ceterum an Odinus Runas & characteres ipſe adinvenerit, an earum inventionem ſibi adſcripſerit, in medio relinqvo. Illud ſatis probatum dediſſe videor, qvod ante Aſarum immigrationis tempora in ſeptentrione in uſu non fuerint. Præterea in antiqviſſimis exemplaribus Eddicis *Runhofdi* id eſt *Runarum auctor*

in-

inter alia Odini epitheta habetur, eo qvod veteres præter illum & Aſas nullum Runarum auctorem agnoverint.

Poeſin ſi attenderimus, eam qvidem, ſed rudem & impolitam, hominibus omnibus à natura inditam fateri cogimur, perinde ac canendi facultatem; absque numeris autem nemo fere cantat. Et fuiſſe qvidem vetuſtiſſimis gentibus qvalecunqve ligati ſermonis genus, qvod iis librorum vicem præſtiterit, fuſe docet *Cluverius* Antiq. German. lib. I. cap. XXIV. Druidibus nimirum, genti Gallicæ auctore, *Cæſare*: Hiſpanis teſte *Strabone*: Cappadocibus, qvi Mazacenorum legum interpretem *νομῳδὸν*, i. e. *legum decantatorem* vocabant, teſte eodem, qvod in numeros leges iſtæ redactæ fuerint. Germanos majorum res geſtas non niſi carminibus conſervaſſe *Tacitus* ſcribit. Sic Antiqviſſimum Zoroaſten *Hermippus* apud Plinium vicies centum millia verſuum de philoſophia condidiſſe refert. De Lino *Diogenes Laertius* videndus; qvem ipſum Adamum fuiſſe Cluverius perſvaſum habuit. Simile qvoqve carminum genus, tam ad ſacrorum myſteria, qvam rerum geſtarum memoriam, ab oblivionis injuriâ vindicanda, procul dubio, multis ante Odinum, Chriſti ſeculo proximum, annis in ſeptentrione uſurpatum fuit, ut hic perinde ac alibi locum habeat qvod ſcribit *Lactantius* lib. VII. cap. XXII. nempe: *poëtas multò antiqviores eſſe, qvam hiſtoricos & oratores & cetera genera ſcriptorum*; & libr. V. cap. V. *poetas multo priores fuiſſe, qvam philoſophos; & ante natum ſapientiæ nomen pro ſapientibus habitos.* Rudem tamen illam poëſin, artisqve magis ſimulacrum qvam artem fuiſſe exiſtimo; imo forte ſine certis dimenſionum regulis, nec meliorem carminibus il-

lis qvæ qvondam in Græcia ante Homerum, & in Italia ante Andronicum fuiſſe memorantur; vel

—— *verſibus, qvos olim Fauni vatesqve canebant.*

Politius carminis genus Odinus ille Upſalenſis invexiſſe videtur, unde ei artis iſtius inventionem antiqvi tribuerunt. Ecce de hac re *Snorrii* teſtimonium in Chronico Norvegico. Odinn var gaufgaztr af ollom, oc af ha-
„ nom namo þeir allar iþrottirnar, þvi at hann kunni
„ fyrzt allar oc þo fleztar: *Et paulo poſt.* Hann taladi
„ ſva ſniallt oc slett, at ollum er aheyrdo þotti þat eina
„ ſatt, mælti hann allt hendingom, ſva ſem nu er þat
„ qvedit er skaldkapr heitir, hann oc hofgodar hans hei-
„ ta lioda ſmidir, þvi at ſu iþrott hofz af þeim i nordr
„ laundom. *i. e.* Odinus omnium fuit præſtantiſſimus
„ & ceteri omnes artes ab eo didicerunt, qvia is pri-
„ mò omnes calluit, & tamen plurimas. *id eſt, plures,*
„ *qvam alios docuit.* Is tam lepidè & diſertè locutus eſt,
„ ut omnes qvi audiebant, hoc unice approbarent; hemi-
„ ſtichiis omnia effatus eſt, qvemadmodum id hodie con-
„ cinnatum conſpicitur, qvod poeſis dicitur; ille & ejus
„ augures, carminum auctores dicuntur, qvia ars illa
„ ab ipſis exorta eſt in ſeptentrione. Infinita poeſeos epitheta recenſentur, ab Odino & Aſis deducta, ut exempli gr. *mare Odini*, qvod habetur in carmine Eigilis Skallagrimii, qvod *Capitis redemptio* inſcribitur:

Veſtr for ec um ver,
en ec vidris ber
munſtrindar mar; i. e.

Ex occidente veni, aſt Odini fero memorialis regionis mare. In eodem carmine poëſis *Odini mulſum* dicitur:

Ber

Ber ec Odins miod
a Eingla biod. i. e.

Spargo Odini mulſum in Anglorum Regem. Sic alibi *Qvaſeris ſangvis, liqvor fontis Mimeris, Aſarum donum* vocatur; & centum talia extant epitheta, qvæ Odinum poëſin, qvam nos antiqvisſimam Danicam cognovimus, ſeptentrioni primum communicaſſe indicant; qvorum acervus in *Edda* videri poterit.

Tranſeo ad alios ritus moresqve, inter qvos agmen ducunt funerum ſolemnia, qvæ hunc eundem Odinum induxiſſe *Snorrius* tradit, & his verbis deſcribit: Odinn „ ſetti laug i landi ſino þau er gengit haufdo fyrr med „ Aſom, ſva ſetti hann at alla dauda menn skylldi bren- „ na, oc bera a bal med þeim eign þeirra. ſagdi hann ſva „ at med þvilikom audæfom skyllde hverr koma til val- „ hallar ſem hann hafdi a bal. þeſſ skylldi hann oc niota „ er hann ſialfr hafdi i jord grafit. en auskuna skylldi be- „ ra ut a ſia, eda grafa nidr i jord. en eptir gaufga menn „ skylldi haug giora til minningar, en eptir alla þa menn „ er nockot mannz mot var at, skylldi reiſa bauta ſteina „ oc hellz ſa ſidr lengi ſidan. *Et paulo poſt*: Odinn var „ brendr daudr, oc var ſu brenna gor allveglig, þat var „ trua þeirra, at þvi hærra er reykin lagdi i loptit upp, „ at þvi haleitari væri ſa i himninom er brennona atti, „ oc þeſs audgari er meira fe brann med hanom. *i. e.* „ Odinus easdem leges in regno ſuo (*Svecia*) ſancivit, „ qvæ inter Aſæos in uſu fuerant. Is injunxit, ut om- „ nes mortui cremarentur, & qvæ poſſederant una cum „ iis rogo immitterentur; unumqvemq; iisdem opibus in- „ ſtructum ad aulam Valicam perventurum pollicitus, „ qvas ſecum in rogum conferret. Nec minus ea cuivis „

„ uſui futura dixit, qvæ terrâ ipſe abdidiſſet. Cineres
„ autem in mare dejici, aut terræ infodi voluit. In illu-
„ ſtrium vero virorum memoriam colles congeri, aliorum
„ vero probæ notæ virorum lapides ſepulcrales erigi
„ mandavit; qvi ritus longo tempore duravit. Odinus
„ poſt mortem crematus eſt, roguſq; ipſius qvam mag-
„ nificentiſſime ornatus. Qvo altius fumus, in aera pe-
„ netravit, eo honoratiorem locum in cœlo, is qvi cre-
„ mabatur occupare credebatur, atqve eo opulentior eſ-
„ ſe, qvo plus eocum rogo imponebatur. *Eundem ritum*
Stephanius *Not. in Saxonem pag. 90. ut ſeqvitur deſcribit*:
„ Primitus namqve defunctis juſta ſoluturi, in campo
„ plano, juxta Regiam aut defuncti prædium ſito, cir-
„ culum miræ magnitudinis lapidibus efformabant, ob-
„ longum tamen, viginti circiter orgiarum longitudine
„ latitudine trium. In hoc defuncti cremabant cadaver.
„ Cineres collectos urnis includebant, ac in circi medi-
„ tullio locatos, grandioribus undiqve ſtipabant ſaxis;
„ ſuperinjecto latiori, qvo cætera tegerent. Hinc totum
„ circum lapidibus, arena, glebaqve terreſtri replebant,
„ ac in formam monticuli deſuper collem extruebant,
„ qvem demum ceſpitibus tegebant, ut viriditate ſua
„ oculos prætereuntium recrearet. Paſſim in anti-
qvitatibus νεκροκαυςίας mentio injicitur, ut ſuperva-
caneum ſit plura de illa hic referre. Nec ignotum
eſt ritum illum orientalibus populis, & ut nervoſe pro-
bat *Cluverius* Antiq. German. lib. I. cap. LIII. toti terrarum
orbi inprimis fuiſſe familiarem, ut non ſit dubitandum,
eum cum Aſis in ſeptentrionem fuiſſe introductum. Nam
omnes fere Aſiatici fictilia vaſa, qvæ pulcherrima habe-
bant, cum mortuis defodere conſveverunt, ducti qvadam

vana

vana & ſtulta perſvaſione, futiliqve ſuperſtitione; nempe: præſides eorum Deos, qvos genios appellabant, cum illis ſæpe convivia celebrare, cibariaqve Deorum ex ambroſia & nectare concinnata eis afferre. Hæc vaſa cum plurima effodiſſent coloni Corinthii, (qvorum complures à Julio Cæſare Dictatore, ex libertinorum ordine ad urbem illam, qvam Lucius Mummius ex ſenatus conſulto evertit, *inſtaurandam*, translati ſunt) ex mortuis divites fieri vulgo Romæ dicebantur, eo qvod vaſa illa, ex mortuorum ſepulcris deſumta, magno pretio propter artificum ſolertiam, atqve admirandam pulchritudinem venderentur, qvæ divitum lautorumqve abacos, veluti ſi aurea argenteave eſſent, ornabant. Veniam igitur merentur veteres ſeptentrionales, qvod bonorum ſuorum non exiguam partem terræ, tanqvam depoſitum in futuræ vitæ uſum, concrederent, cum contumelioſiſſimum ducerent, poſt mortem opum ſplendore & magnificentia ab aliis ſuperari. Nonnulla eorum, qvæ hac *intentione abdita* ſunt, humana induſtria poſtea occupavit, cum inſignes athletæ, animi coporisqve viribus *invicti*, gloriæ magis qvam opum ſtudioſi, complures ejusmodi theſauros poſſeſſoribus, Satanica ferocia adeo inflammatis, ut illiscum ſæpius manus conſererent, non absqve præſentiſſimo vitæ periculo eriperent. Hic non omittendum Doctiſſimi *Verelii* de hoc argumento judicium, in notis ad Hiſt. Hervorianæ cap. V. pag. 80. dicentis: Snorrium in præfatione operis ſui cenſuiſſe initium æræ νεκροκαυστίας ſeu *Brunaolld*, ultra Odinum non poſſe exaltari, cui deinde ſucceſſerit *Haugaolld* (tumulorum ætas): antea vero tam principes qvam plebem ı lana humo infoſſam, vel minoribus forte tumulis princi-

pes conditos. Cum autem (*addit*) ætatem *Brunaolld* ab
„ *Haugaolld* diſtingvunt, non eum habet ſenſum, qvod
„ tum primum tumuli congeri cœperint, cum deſiere
„ cremari corpora mortuorum; imò congerendis tumu-
„ lis initium præbuit ætas *Brunaolld*, cum collecti cineres
„ ſaxis primum, inde aggeſta humo contegebantur, ne
„ ulla injuria violarentur. Qvod qvia in uno eodemqve
„ loco ſubinde fiebat, hæreditaria enim erant ſepulchra,
„ creſcebant tumuli novâ pulveris lapidumqve aggeſti-
„ one. Hæc ita eſſe experimento cognitum habeo, &
„ qvi dubitabit, effoſſis tumulis ipſe experiri poterit. In
„ eo autem differunt *Brunaolld* & *Haugaolld*, qvod in illo
„ cineres & oſſa, in hoc integra & incombuſta cadave-
„ ra tumulis inferebantur. Qvod idem de ceteris rebus
„ tumulo illatis dicendum eſt. In ætate enim *Brunaolld*,
„ qvæ viventi domino chara fuerant, una in rogum in-
„ gerebantur, voracibus flammis conſumenda; in æta-
„ te vero *Haugaolld*, integra tumulis inferebantur cum
„ cadavere. Illud etiam hic obſervandum in ipſa ætate
„ *Brunaolld* principes & heroas integrum ſibi ſervaſſe, cre-
„ marine an integri tumulis inferri vellent; prout de In-
„ gvaro Frey liqvet ex Snorrone; de Olao Digrbein ex
„ Olafs Saga. Andgrimi item filios, qvamvis in ipſa æ-
„ tate *Brunaolld* vixerint, Odini tempora attingentes, non
„ crematos, ſed integros tumulatos ex auctore noſtro
„ probari poteſt.

Judiciorum ordinem ab Odino inſtitutum Eddæ *prologus his verbis memorat:* Skipadi hann þar haufdingium i þa li-
„ king ſem verit hafdi i Troja, ſetti XII. haufudmenn i
„ ſtadinum at dæma landzlaug, oc ſva ſcipadi hann ret-
„ tum aullum ſem fyrr haufdu verit i Trojo oc Tyrkir

voro

voro vanir. *Hæc ita vertit Magnus Olafi:* In urbe Sig- „
tunenſi Odinus principes conſtituit XII. ad imitatio- „
nem Trojæ, qvi leges tuerentur, & judicia exerce- „
rent ſecundum conſvetudines Turcicas. *Innuit idem*
Snorrius, *ita de Odino ſcribens.* Enn Odin oc þa hof- „
dingia XII. blotudu menn oc kolludu god ſin oc tru- „
du a lengi ſidan. i. e. *Odinus cum collegis duodecim ſacrificiis religioſè diviniſqve honoribus coli cæperat, Deusqve vocari, diuqve cultus eſt.* Hinc dimanaſſe videtur mos diu retentus in ſeptentrione, in cauſis gravioribus duodecim judices deligendi, qvem Rolfus Pedeſter, ſeu Robertus Primus Normanniæ Dux, in Galliam invexit, & poſt eum Vilhelmus Conqvæſtor in Angliam, teſte *Polydoro Vergilio* Hiſt. Anglic. Lib. IX. cum ibi antea non obtinuerit. Conſentit *Sheringhamus* in annot. ad Diſcept. de Orig. Angl. cap. XII. pag. 272. Qvod autem (*inqvit*) Wodenus „
dicitur duodecim regni proceres ſibi aſſumpſiſſe, iis- „
demqve jurisdicendi in populum provinciam dedis- „
ſe, hinc forte illa nunqvam apud nos ſatis laudanda „
conſvetudo invaluit, qvâ duodecim juratis viris, qvos „
patrio ſermone *a jurie* idcirco vocamus, tota juris decernendi & litium expediendi poteſtas conceſſa eſt.

Qvid de ſacrificiis Odinus ſtatuerit, *Snorrius* his verbis docet: þa skylldi blota imot vetri til ars, en at midi- „
um vetri blota til grodrar, et þridia at ſumri. þat var „
ſigrblot. *i. e.* Terna qvotannis ſacrificia ſolenniter ce- „
lebranda fuerunt; primum ſub initium hiemis, pro „
cœli temperamento & clementiâ: ſecundum media „
hieme, pro fertilitate terræ, & annonæ proventu: Ter- „
tium ſub æſtatem, pro victoria in poſterum retinenda. „

Præterea *Snorrius* memorat, incolas ſeptentrionis

liberis ſuis, recens natis, Aſarum nomina adaptaſſe, ut ex Odini nomine *Audun* profluxerit, ex Thoris *Thorer* vel *Thorarin*, & aliis appellationibus admiſtis *Steinthor*, *Hafthor*, & ſimilia. Hæc autem mihi minus probantur. Nam ab ipſis primis priſcisqve Diis, in qvorum majeſtatem perſonamqve hi invaſerunt, defluxiſſe, propius vero eſt, licet poſteritas aliter crediderit. Abſonum enim eſt, iſtorum Deorum nomina,qvos antea coluerunt,in uſum non fuiſſe recepta. Idem de diebus hebdomadis exiſtimo; qvamvis etiam ſuſtineri poſſit, hos poſteriores id in ſui gloriam inſtituiſſe.

His argumentis tandem eviciſſe videor, nullos Danorum aut Svecorum ſcriptores ultra Odini hujus epocham ſe extendere. Concludo igitur, non meis ſed antiqviſſimi libri, Rimbeglæ, verbis: Upphaf allra fraſagna i norrænni tungu, þeirra er ſannyndi fylgia, hefzt þa er Tyrkir oc Aſia menn bygdu nordrit. h. e. *Principium omnium hiſtoriarum in lingva Norvegicâ* (i. e. de populis Norvegica lingvâ loqventibus: Danis, Norvegis, Svecis.) *qvæ veris relationibus innituntur, incipit ab eo tempore, qvo Turcæ & Aſiani ſeptentrionem incoluerunt.* His aſtipulatur *Sturlaugi Laborioſi vitæ* initium, his verbis: Allir þeir „ menn ſem ſannfrodir ero oc þau tidinde vita at Tyr„ kir oc Aſia menn bygdu nordr lond, hofz þa tunga „ ſu er ſidan dreif um oll lond. Formadr þeſſ folks het „ Odinn, er menn reka ætt til. i. e. *Omnibus qvi in antiqvis memoriis verſati ſunt apprime conſtat, qvod Turcæ & Aſiani ſeptentrionem incoluerint: tunc illa lingva exorta eſt, qvæ deinde per omnes regiones ſe diſperſit. Princeps illius populi fuit Odinus, ad qvem poſteri genus referunt.*

CA-

CAPUT V.
Qvo Saxonis de Odino aſſerta expenduntur.

Binos tantum fuiſſe Odinos, qvi divinos honores in ſeptentrione noſtro adepti fuerint, ex vetuſtis noſtratium ſcriptis Cap. III. ſuperius aſſeruimus.

At, inqviet aliqvis, *Saxo*, qvi Islandicis ſimiliter antiqvitatibus ſua ſuperſtruxit, longè plures eo nomine inſignitos ac divinitatis opinione claros ſuppeditat. Primum, Hadingo Daniæ Regi coævum, Upſalis ſedem habuiſſe ſcribit, ac ob uxoris Friggæ impudicitiam exilium ſponte ſubiiſſe, tandemqve mortuâ conjuge reducem, divinum, qvo abſens caruerat, cultum plenè recuperaſſe. Hadingus, ſecundum *Svaningii* calculum, regnare cœpit anno ante Chriſtum natum DCCCXVI. qvo juvene Odinum hunc grandævum fuiſſe Saxo innuit, agnoſcente id *Stephanio* Not. pag. 47. Alter Mit-Othinus eſt; qvi priore Odino exulante, divinitatis fingendæ occaſionem arripuit, cæcosqve homines ad cultum ſibi perſolvendum præſtigiis adduxit: ſed mox impoſturarum pœnas luit, profligatus à priore Odino, poſt conjugis obitum ab exilio redeunte, ac in Fioniam latibuli qværendi cauſâ ſecedere coactus, tandemqve ab inſulæ illius incolis occiſus. Tertius Odinorum erit, qvem Hothero ſynchronum *Saxo* facit; cujus filium Balderum cum Hotherus occidiſſet, Odinus, ne cædis illius ultor deeſſet, Rindam, Ruthenorum Regis filiam, invitam compreſſit, atqve ex eâ Boum ſuſcepit, qvi Balderi necem poſtea in Hothero ultus eſt. Hotherus, ſecundum *Lyſchandri* & *Svanin-*

ningii calculum, regnare cæpit anno mundi MMMCDXXIII, qvi ex Lyſchandri mente annus eſt ante Chriſtum DXXXVIII, ex Svaningii vero DXXV. adeo ut, ſi vel maximè hunc Odinum in extrema ſenectute Rindæ ſtuprum intuliſſe velimus, attamen inter eum & priorem illum Odinum, Mit-Othini victorem, anni plusqvam ducenti intercedant. Odinus hicce, ob ſtuprum Rindæ illatum & alias contra numinis dignitatem patratas res, ceteris Diis inviſus eſſe cæpit; itaqve eum, abrogatâ divinitate, in exilium pepulere, ſuffecto in locum illius Ollero qvodam; qvem, ne qvid amplitudinis deeſſet, Othini qvoqve nomine vocaverunt. Ollerus iſte cum ſenatui Deorum decennio præfuiſſet, ab Odino, reduce, profligatus, in Sveciam conceſſit, tandemqve à Danis occiſus eſt: hic inter Odinos qvartum locum occupabit. Qvintus in eorum ordine erit Odinus, Frogeri pater. Frogerus ille coævus erat Frothoni Vegeto vel Secundo, qvi, ex *Lyſchandri* & *Svaningii* computatione, CCCX. poſt mortem Hotheri annis regnare cœpit. Frothone iſto Vegeto annis CLXXVII. ſecundum *Svaningii* Chronologicam, ex *Lyſchandri* calculo CXC. annis inferior erat Frotho IIII. cujus tempore Starcatherus Odini conſilio Vicarum Regem necavit. Poſt trecentos circiter exinde annos (*Lyſchandri* & *Svaningii* hic eſt computus) Odinus, Brunonis habitum & perſonam aſſumens, inter Haraldum Hildetannem Daniæ, & Ringonem Sveciæ Reges, odia conflavit, Bravallenſi pugnæ ſe immiſcuit, atqve ad ultimum Haraldum occidit. Idem, ut videtur, Odinus poſt triginta circiter annos Helleſponticos fratres, Jarmerici hoſtes, ferro inſecabiles, ſilicibus contundere

docu-

docuit. Itaqve ſi Saxonis *Odinorum* numerum ineamus, ſeptem hac ratione inveniemus.

Ad ea reſpondemus, Saxonem qvidem in operis ſui præfatione Islandicorum monumentorum mentionem facere, eaqve ſe ſecutum ſcribere. Verum ſatis diligentiæ in iis rimandis eum non adhibuiſſe, ſuperius libro I. Cap. VII. pag. 65. à nobis dictum eſt: & ſeriem illam Regum, qvam is proponit, parum concinnam eſſe, ex integro operis hujus libro III. conſtabit. Ad multitudinem illam *Odinorum* qvod attinet, ex Saxone colligere non poſſumus, eum præter unum ſolum Odinum agnoviſſe: (Mit-Othinum & Ollerum excipimus, qvos Odino abſente, divinitatem ſibi arrogaſſe expreſſè ait.) Imò plures non intellexiſſe, ex eo apparet, qvod diſtinctionis eorum ne verbulo qvidem ullibi meminerit; qvam absqve omni dubio alias non omiſiſſet. Certè is Odinus, qvem Hadingo coævum facit, cum Balderi & Boi patre unus idemqve eſt: ille nimirum, qvem nos Upſalenſem vulgo vocamus; qvod ex libri III. Cap. III. ubi de Hadingo, & ejusdem libri Cap. VII. ubi de Hothero ſeu Haudo loqvemur, manifeſtum fiet. Ollerum ſimiliter Odino Upſalenſi ſynchronum fuiſſe *Edda* teſtatur, qvæ eum *Ullum* nominat. Qvod autem Saxo Odino ſuo tam prodigioſam ætatem adſcripſerit, in eo illum parum circumſpectum fuiſſe fateri convenit: & nos iſtam ejus hallucinationem libro noſtro III. ulterius diſcutiemus. Qvæ de Odino, Starcatherum ad Vicarem occidendum ſubornante, Saxo ſcribit, de illo mortuo ejusve ſpectro intelligendum eſſe ex *Gothrici & Rolfi hiſtoria*, ubi eadem narratio legitur, abundè docemur. Idem de Odino, Haraldi Hildi-

ditannis occiſore dicendum eſt. Cum itaqve antiqviſſimus Saxonis Odinus ab Upſalenſi noſtro, uti mox diximus, alienus non ſit, iſtæ dicti ſcriptoris de Deaſtro illo relationes noſtram de Odino aſſertionem, aut migrationis Aſiaticæ æram ſuperius à nobis poſitam infringere nullo modo valent.

CAPUT VI.

Qvo Danielis Langhornii de immigrationis Odinianæ tempore ſententia examinatur.

Odini ſociorumqve illius ex Aſia in ſeptentrionales haſce terras transmigrationem circa annum, qvi ante æræ Chriſtianæ caput LXX. fuit, contigiſſe, ſæpius antea dictum eſt. Alia *Danieli Langhornio* ſententia arridet, qvi in Appendice ad Elenchum Antiqvitatum Albionenſium pagg. 18. 19. memoratam Odini irruptionem longe altius extollit, ac factam eſſe putat tempore, qvo Scipiones Romani Antiochum Magnum Aſiæ Regem, debellarunt. Verba ejus integra adſcribam: Scripſerant Johannes Martini & Chronici Sveo-„ Gothici concinnator, Romanos ea tempeſtate prædatum in alias provincias & regna procul exiiſſe, eademqve ſubegiſſe; & proinde virum providum Odinum, tanqvam ex ſpeculo proſpexiſſe, futurum aliqvando, ut populoſæ illæ gentilium provinciæ Romanum jugum ſubirent, ideoqve cum magna hominum multitudine, qvos eadem formido invaſerat, diſceſſiſſe. At longe aliis rationibus permotum abiiſſe, jam antea ex Eddâ & Chronico Snorronis Sturlæſonii

Nor-

Norvegico oſtendimus, qvibus nec ipſum Chroni- ”
con Sveo-Gothicum refragatur. Qvippe id, qvod ”
nunqvam factum eſt, qvo utiqve pacto Odinus præ- ”
videre potuit? cum Aſiaticam Sarmatiam Romani ju- ”
ris factam nullibi legimus. Interim in Europam ve- ”
niſſe illum, qvo tempore Romani victricia per Aſiam ”
arma circumferrent, haud diffitemur. Id vero non ”
cum Lucullus & Pompejus Mithridatem & Tigranem, ”
ſed cum Scipiones Antiochum Magnum debellârunt, ”
circiter annum ante Chriſtum natum centeſimum ”
nonageſimum, contigiſſe exiſtimamus. A *Paulo Dia-* ”
cono Godan appellatur; unde juxta *Sheringhamum* Sialan- ”
dia (prius Wetalla heeth) poſt ejus adventum *Goda-* ”
nonia ſive *Codanonia*, totumqve illud fretum, inſulis ”
circumfluum, ſinus *Godanus* ſive *Codanus* vocari cæ- ”
pit. Aliorum qvoqve locorum plurimorum in Ruſſia, ”
Scandia, Dania, Germania, Angliaqve nomina, par- ”
tim a ſe ipſo, partim à poſteris impoſita, ejus memori- ”
am hactenus conſervant. Filios habuit: Veldegium ”
(ſoli *Malmesburienſi* memoratum) Regum Cantiano- ”
rum, Caſeram Anglorum Orientalium, Vitelſgetam ”
Merciorum (*Malmesburienſi* Vitlegium, ni forſan ille ”
ejus ex filio nepotem Vitlegium intelligat) Vegde- ”
gum Deirorum, Beldegum Saxonum Occidentalium ”
Regum, & Vintam Regulorum Lincolnienſium ”
progenitores. Præterea Thorronem, Balderum, ”
Boum, Hemingum, Tyrum, Siggum, Scioldum, ”
Ingonem & alios. Ab Ingone (cujus poſteri Inglin- ”
gar dicti ſunt) pars Svevorum nobiliſſima lingvâ ”
vernaculâ *Inglings* & *Ingliſch* nominari videantur, un- ”

„ de a Romanis concinnata fuerit Latina *Anglorum* ap-
„ pellatio. Idem *Langhornius* Antiqvit. Albionenſ. pag. 340.
ſeqventia ſcribit: Sunt qvi illum (*Odinum vel Wode-*
„ *num*) appellant Bodonem, atqve Hengiſtum & Hor-
„ ſum verè ejus abnepotes fuiſſe, ſcilicet proximos,
„ volunt. Sed hoc *Antiqviſſimi* appellatio, à Malmes-
„ burienſi ei tributa, non patitur. Nec ſi vir tantus
„ illo, qvo Hengiſti abavus vixiſſe exiſtimandus fue-
„ rit, tempore Saxonibus imperaſſet, eaqve facinora,
„ propter qvæ tot populi divinos (ut Æthelwardus do-
„ cet) ipſi honores exhibuere, patraſſet, univerſos ſcri-
„ ptores Romanos penitus latuiſſe poterat. Svevorum
„ Saxonumqve Reges (præter illos Principes Saxoni-
„ cos, qvos ad id ſolum genuiſſe Saxo Sialandicus vi-
„ detur, ut Danis ſuis triumphandi materiam ſuppedita-
„ ret) memorantur: Artarius, Anſonaricus, Ariovi-
„ ſtus, Vilchinus, Maroboduus, Vannius, Vangio &
„ Sido, Vidichindus, Priſcus, Vilchinus & Marbodus.
„ Romanis Svevorum citius qvam Saxonum (remoti-
„ us habitantium) nomen innotuit. Arioviſtus, à Se-
„ natu Romano Rex & amicus appellatus, omnes Gal-
„ liæ civitates, ad ſe oppugnandum venientes, Ama-
„ getobrienſi prælio fudit ac ſuperavit, poſteaqve cum Ju-
„ lio Cæſare fortiter conflixit; qvi ex Odini filiis fuiſſe vi-
„ detur, ut & ille Rex Svevicus, qvi Indos naufragos
„ Metello Celeri, Galliam regenti, transmiſit. Ultima
hæcce de Arioviſto, cum Odini ærâ, priori loco à
Langhornio poſitâ, non ſatis conveniunt. Etenim Ario-
viſtus, Scipionum Antiochiqve temporibus longe infe-
rior fuit: qvippeqvi, ſupputante *Calviſio*, cum Iulio Cæ-

ſa-

ſare pugnavit anno ante Chriſtum natum LVI. ac itaqve Odini, centum triginta, ut vult Langhornius, annis vetuſtioris, filius eſſe non potuit. Niſi eum heic per *filios* nepotum vel poſterorum aliqvem intellexiſſe velimus. Qvicqvid ſit, iſta de Odini & Arioviſti ut & Svevorum Regis cognatione, merâ nituntur conjecturâ, nec, me judice, ullam fidem merentur. Ac deſunt omninò, ut mihi videtur, Langhornio argumenta, qvibus Odinum tot ante Chriſtum natum annis in ſeptentrionem veniſſe probet. Aliàs idem ſcriptor, præeunte Bryniolfo Svenonio, plures fuiſſe Odinos ſtatuit Antiqvitat. Albionenſ. pag. 339. eiqve ſuæ aſſertioni in *antiqviſſimi* voce, qvam Wilhelmus Malmesburienſis Odino adaptat, ſubſidium qværere videtur. Nos ex iſto Malmesburienſis epitheto nihil concludere poſſumus, nec illa qvæ de pluribus Odinis à Langhornio dicuntur fundamentum habere arbitramur. Sed neqve argumentum illud, qvod ad Odinum adeo exaltandum, à Romanorum de eodem ſcriptorum ſilentio petit, rem conficere putamus. Nam ſcriptores illos cis-Rhenanas maxime regiones cognitas habuiſſe, de ſeptentrione autem noſtro nihil fere ſciviſſe, monumenta eorum abundè docent. Et qvis exactam à Romanis expectabit earum rerum notitiam, qvæ LXX. annis ante Chriſtum (cum ſcilicet nullus eorum Rhenum tranſiiſſet) in Borealibus hiſce terris geſta ſunt, qvum Tacito graviſſimo auctori, & qvi, ut ipſe teſtatur, ſua ſcripſit poſtqvam cives illius Romani per CCX. annos cum Germanis bella geſſerant, de ſeptentrionalibus Germaniæ pauca tantum, de terris, qvas mare Balthicum à Germaniâ ſeparat, adhuc minus,

& de Ruſſiâ ac remotioribus in Boream regionibus plane nihil conſtitiſſe videamus? Stat itaqve noſtra de immigrationis Odinianæ tempore aſſertio, vetuſtorum ſcriptorum teſtimoniis ſuperius roborata: nempe immigrationem iſtam LXX. circiter ante æræ Chriſtianæ caput annis contigiſſe. Ceterùm Odinum, advenientis illius Aſianorum cohortis Ducem, Hengiſti & Horſi fratrum abavum, ſtrictè ſic dictum, non fuiſſe, Langhornio ſpontè concedimus: cum temporum ratio illius ſententiæ validè ſuffragetur. Neqve enim qvatuor generationes DXX. annis (tot circiter à prædicto Odinianæ immigrationis tempore ad dictorum fratrum in Britanniam adventum, qvi anno Chriſti CDXLIX. contigit, effluxere) occupandis ullo modo ſufficiunt. Credendum itaqve Hengiſtum illiusqve germanum ex Odini hujus poſteris fuiſſe, ſed pluribus, qvam vulgò ſcriptores tradunt, gradibus ab eo remotos.

CAPUT VII.

Qvo Rudbeckii de gentium Septentrionalium antiqvitate aſſerta expenduntur.

Olaus *Rudbeckius*, Profeſſor Upſalenſis, in *Atlantica* ſuâ, gentis Svedicæ originem a turris Babylonicæ ædificatione lingvarumqve confuſione repetit; tribus potiſſimum argumentis innixus. Horum primum dicti operis Cap. V. ducit à feſti Juliorum anniqve initio: qvod feſtum à XXX. die Decembris primitus cœpiſſe ait, tandemqve longo temporis decurſu, ætate Olafi Skautkonungi, qvi regnavit in Svecia circa annum

num reparatæ ſalutis milleſimum, in diem XXV. Januarii incidiſſe. Idqve ex neglectu redundantiæ unius diei in ſingulis MCCCII. annorum periodis, ex ſuperfluis ſex illarum horarum minutiis, qvæ ſingulis annis ſupra CCCLXV. dies adjectæ ſunt, & qvarto qvovis anno integrum diem intercalarem conſtituunt. Qvæ minutiæ ſingulis CXXXII. annis, integrum diem faciunt. Qvot igitur dies a primo illo feſti Juliorum anniqve novi termino, ſcilicet XXX. die Decembris ad eum diem qvo Juliorum feſtum tempore Olafi Skautkonungi celebrabatur, profluxerint, (ſunt autem dies XXV.) tot, CXXXII. annos, eo uſqve à primis illis Sveciæ Septentrionalis incolis, qvi anni rationem inire cœperint, elapſos eſſe aſſerit: nempe MMMCCC. Annus autem nativitatis Chriſti milleſimus erit ſecundum neotericorum computationem mundi circiter qvinqvies milleſimus, unde ſi auferantur MMMCCC. anni, remanet annus Mundi MDCC. ſeculumqve turris Babylonicæ. *Illo tempore*, extremæ Bothniæ cives cœpiſſe vult è montium cacuminibus Solis motum & anni initium indagare, feſtumqve Juliorum XXX. menſis Decembris die, qvo tempore ad Thornienſes averſus diu Sol cœperit reverti, in honorem ejus celebrare, annumqve novum ordiri: Aſſertionis ſuæ fundamentum facit *Procopii* locum, qvo de Thulenſibus traditur, qvod poſtqvam triginta qvinqve dies continuis in tenebris exierint, more veteri, in ſumma montium juga mittantur ſpeculaturi; qvi cum ab edito ſolem conſpexerint, nuncient infra manentibus, qvintum intra diem Solis jubar extiturum. Illi vero læti nuncio, qvanqvam in tenebris, conventus ſolennes celebrent, idqve tempus iis maxi-

me feſtum eſſe. Juliorum feſtum hic deſcribi vult *Rudbeckius*, idqve in eum diem incidere, qvi annum novum â veſpera XXX. Decembris auſpicetur, idemqve ante Procopii tempora, longa ſeculorum ſerie obtinuiſſe, eo qvod is *more veteri* ita conſveviſſe doceat. Mihi in tempore feſti manifeſtus error apparet; id enim â prima memoria in Februario celebratum traditur. Nec mihi magis probatur, totius ſeptentrionis incolas ab iſtis hominibus tempus moremqve feſti Juliorum celebrandi accepiſſe, Solemqve eo anni tempore iſtis tantum reducem, hac ſolennitate in perpetuum gratulari. Neqve enim patrem Japhetum, ſi vel maxime in Svecia unqvam habitaverit, ſedem præcipue iſtis in locis elegiſſe crediderim; nec ullas alias gentes, qvam qvas evidens neceſſitas eo compulit; qvas veriſimilius eſt aliarum gentium more, temporeqve aliàs recepto, ſua Julia celebraſſe: tanto etiam alacrius, qvod recurrente feſto, reditum ſimul Solis, jam diu expectatum, mutua lætitia expectarent. Et ſi ſingulis Scandinaviæ incolis, conſpectus in montibus redeuntis brumali tempore Solis, feſti illius cauſſa fuiſſet, non utiqve idem anni dies omnibus feſtus eſſet, ſed pro locorum diverſitate variaret. Qvod ſi qvædam vis ineſt argumento, ab annorum MMMCCC. computatione deſumto, certe non tam facit ad demonſtrandum, qvo tempore primùm Scandinavia culta fuerit, qvam ad anni, a XXX. Decembris veſpera incipientis, conſtitutionis uſusqve â gentibus, forte qvæ huc poſterioribus temporibus migrarunt, invecti antiqvitatem. Et ſi Sveciæ cultæ vetuſtatem inde metiemur, certè longè majorem eruemus. Neqve enim hæc feſta Juliorum dies in XXV.

men-

menſis Januarii, Olafi Skautkonungi tempore primum transferri cœpit, ſed maxima pagnaniſmi parte in uſu erat. Id qvod veterum ſcriptorum loca à Rudbeckio ipſo dicti operis memorato Capite pagg. 101. & 102. adducta evidenter monſtrant. Adducit præterea *Hiſtoria Hervorianæ* teſtimonium, de verre, qvem Heidrecus hoc eodem feſti tempore Freyæ (non ut prave vertitur Friggæ) immolare conſvevit. Ab Heidreki igitur ætate illos XXV. dies, ſi cum CXXXII. annorum periodis conferamus, certe turris Babylonicæ ædificationem, imo diluvii tempus, Sveonum illi primi annorum æræque Solaris conditores longe antevertent. Ætatem autem Heidreki, ex ipſius Rudbeckii chronologia infra annum Chriſti qvingenteſimum non deprimimus. Haraldum enim Senem ipſe ad annum DXXX. refert, qvi proneptem Heidreki, Hildem, uxorem duxit. Vixit ergo Heidrecus D. annis ante Olafum Skautkonungum, anno mundi MMMMD; ex qvibus ſi MMMCCC. demſeris, remanet annus mundi MCC. qvi qvadringentis annis diluvium anticipat; qvo tempore ſolis in montibus Bothnicis receſſum aut reditum, nemo ita obſervare potuit, ut annorum conſtituendorum ratio inde ad poſteros dimanaret.

Secundum Rudbeckii argumentum in tumulorum ſepulcralium antiqvitate, ex atræ humi incremento monſtranda, verſatur; qvam infinita prope experientia edoctus, tradit ſingulis D. annis ad unius tantum digiti craſſitudinem excreſcere, qvovis millenario ad duos, & ſic conſeqventer, nuſqvam autem octo vel novem digitorum craſſitiem excedere, qvam menſuram diluvii tempori qvatuor ab hinc circiter annorum millibus reſpon-

ſpondere docet, dariqve in Svecia tales colles ſepulcrales, aut iis ætate proximos, de qvibus prolixè cap: VI. diſſerit. Argumentum hocce incertum eſſe ſatis monſtravit *Bartholinus* Antiq. Danic. lib. III. cap. II. pag. 654. Imo colles iſtos ſepulcrales ceſpite tectos docet *Stephanius* cujus verba libri hujus Cap: IV. pag. 144. ſuperius attulimus. Idem *Aurvar Oddi hiſtoria* de Angantyris fratrumq; ſepultura teſtatur his verbis: þa dro Oddr berſerkina
„ ſaman i eina kos, oc ſveigir þar at utan mikla vidu,
„ þetta var skamt fra ſio, þar leggr hann hia þeim
„ vapn þeirra oc klædi, rænandi þa engo, ſidan bar
„ hann at torf, oc eys eptir þat ſandi at utan. i. e. *Oddus omnes Berſerkos, nec armis nec veſte ſpoliatos, in unum tumulum non procul a mari conjecit, congeſtisqve arboribus ſeptum, ceſpite texit, arenamqve ſuperinjecit.* Eodem ritu Eigill Skallagrimius fratri ſuo Thorolfo, in Anglia prælio cæſo, tumulum excitavit, terra lapidibusqve congeſtis. Notat qvoqve *Camdenus* in Ultoniæ deſcriptione, viris ſeptentrionalibus in uſu fuiſſe, ut ſinguli milites, prælio ſuperſtites, tantum terræ, qvantum caſſide capere poterant, in occiſorum tumulos aggererent. De ſepultura qvoqve Eigilis Ullſerki, qvi Haconi Adalſteini alumno militavit, in *Snorrii* Chronico Norvegico legere eſt. *Verelius* præterea, cujus verba ſuperius libri hujus cap: IV. pag. 146. exſcripſimus, mortuorum tumulos terrâ contectos fuiſſe fatetur. Nil itaqve mirum terram illam, collibus iniectam, profunditatis pingvedinisqve gradibus differre, prout unus eorum altero craſſiore pingvioreqve ceſpite tectus erat; qvæ proinde ad tumulorum antiqvitatem adſtruendam nihil momenti adfert.

Ter-

Tertia à Rudbeckio *allata ratio in expeditionum* ex Sveciâ ſuſceptarum profunda vetuſtate monſtranda verſatur; qvarum primum ad Saruchi tempora circa annum mundi MDCCCC. refert: ſecundam duce Hercule, innumera cum hominum multitudine, intervallo temporis inter annos mundi MMCC. & MMD. additqve inter primam hanc & ſecundam expeditiones, complures alias minores interveniſſe: Atlant. Cap. XXXV. qvod eſt de prima Deorum ſive Regum expeditione pag. m. 777. Aſſertionis hujus ſuæ fundamentum ſtatuit, Sveciam eſſe eam Atlanticam, de qva Plato, Apollodorus, Diodorus Siculus, aliiqve vetuſtiſſimi ſcriptores plurima commemorant. Inde qvicqvid de Atlantica dicitur, id Sveciæ jure convenire: inqve argumento hoc totus fere liber, qvem Atlanticam inſcripſit, occupatur. Ad cujus perſpicuum intellectum, præter auctorum, qvos ſeqvitur, diligentem cum antiqvitatibus ſeptentrionalibus collationem, etiam exactiſſima locorum Sveciæ notitia reqviritur; centum enim & ultra rationes, ex illorum ſitu petitas, congeſſit, fundamentiqve loco ſubſtruxit. Ne vero tanta gentis Svedicæ multiplicatio ſuſpecta redderetur, ad originem ejus demonſtrandam ſupponit: ab ipſa turris Babylonicæ ædificatione familias omnes in ultima terrarum diſperſas fuiſſe, migrationibus haud populoſis, qvatuor aut qvinqve paribus una euntibus, ad unum locum, ut orbis terræ tanto citius ab omni parte incolas nanciſci poſſet. Tot etiam, nec plures, illo tempore in Scandinaviam delatas exiſtimat, ſeminarium deinde totius ſeptentrionis incolarum factas. Verum cum Noachidarum primo illo annorum centenario, ab anno mun-

di MDCLVII. ad annum MDCCLVII. progeniem non ultra decem millium paria demonſtret, mirum ſpatio ſesqvi centum annorum, tantam tam infinitam proſapiam ex iſtis qvatuor aut qvinqve paribus pullulaſſe, ut non Scandinaviam modo vicinasqve regiones, vaſtiſſimas qvidem illas, repleverint, ſed etiam remotiſſimas interjacentesqve, bello obruerint & expugnaverint. Cum tamen haud ſex hominum paria, nedum qvinqve aut qvatuor, ultra triginta millia fæminarum totidemqve virorum, ſecundum ejus hypotheſin, tantillo tempore progenerare potuerint; id qood etiam Verelio ſcrupulum moviſſe conſtat. Sed nec immeritò dubitatur, an tam paucorum advenarum acceſſu terræ citius excoli potuerint, qvam multitudinis, tempore licet poſterioris, confluxu. Hanc de tantâ gentis ſuæ antiqvitate vetuſtâqve adeo in Sveciam hominum migratione aſſertionem, ſeqventibus argumentis Capite III. ſtabilire nititur. Primo: qvod ſacra ſcriptura dicat Deum diſperſiſſe eos ſuper faciem univerſæ terræ: At locum eum de eorum progenie ipſa ſcriptura alibi explicat, dum ex his, qvas recenſuit, familiis Noæ, diviſiſſe ſe gentes in terra tradit. Secundo: qvod *diſpergendi* vocabulum de remanentibus Babylone, vel binis aut ternis aut decem millibus paſſuum inde remotis, capi non poſſit, cum hoc pacto diſperſi eſſent conjunctiſſimi, ſed de ſexcentorum aut mille milliarium diſtantia intelligi neceſſe ſit: Ego autem neceſſitatem iſtam videre neqveo. Tertio loco affert incommoda, qvæ ſecutura erant, ſi ibi manſiſſent; annonæ nimirum caritatem, & promiſcuas cædes. Iſta vero brevioribus intervallis vitari poterant. Qvarto; qvod piſcibus in lacubus domini eſ-

eſſent præficiendi: Aſt in montanis & alibi plurima ſtagna ſunt piſcibus abundantia, qvorum curam hodieqve nemo gerit. Qvinto: qvod plurimæ gentes ſe indigenas agnoverint, hiſtorica qvippe fide, majorumqve ſuorum relatione deſtitutæ; At plurimi è vulgo, majorum ſuorum, præter parentum avorumqve nomina ignorant, qvi tamen eapropter pro aboriginum filiis non ſunt habendi. Deniqve idem perſvadere ait ſummam tranqvillitatem beatitudinemqve temporum, qvæ neglectui hiſtoriarum occaſionem dederit, cum hiſtoriæ cum bellis, qvæ maxime tractant, cœpiſſe videantur. Sed qvot bellicoſiſſimarum nationum geſta oblivione ſunt ſepultâ? Qveritur illud de Danis *Saxo* cauſamqve reddit. His poſitis ipſum Japhetum Sveciam incoluiſſe ſtatuit, eundemqve Neptunum & Atinum dictum, Saturni ſeu Noæ vel Boreæ filium Cap: VII. pag. m. 192. ut & pag. 365. pluribusqve aliis locis: à qvo deinde generationes omnes deducit, eas qvæ Edda a Japheto ad Trojanos indeqve ad Odinum ipſum recenſet, Verum non aſſeqvor, cum pro Neptuno Japhetum capiat, eumqve Dellingi nomine in Eddæ Mythol. VIII. adumbrari velit, peregrinumqve in Sveciam conceſſiſſe, uxoremqve ibi natam duxiſſe ſtatuat; qvomodo id de Japheto dici poſſit. Neqve enim verosimile eſt, neptes ſuas aut proneptes eum duxiſſe, qvod tamen concedendum, ſi hæc qvatuor aut qvinqve paria, qvæ huc primo migrârunt, originem ab ipſo duxerunt. Rudbeckio adverſatur nobisqve favet *Sheringhamus*, Diſceptat. de Anglorum Origine Cap. VII. pag. 147. ubi nullam tempore Sarugi ex Aſia in Septentrionem migrationem fieri potuiſſe his verbis adſtruit: Ericum, (*Go-* „

„ *thorum Regem*) Sarugi ſeculo inſulas prædictas (*Danicas*) occupâſſe, parum mihi probabile videtur. Orbis enim nondum hominibus adeo exuberavit, ut ex Scandia, regione latiſſima, in vicinas inſulas tranſierint; ſi dicant Getarum totam gentem intermediis regionibus relictis, uſqve Gothlandiam & Scaniam ad terram explorandam una proceſſiſſe, atqve ſolis amœnitate pellectos ſedes ibi poſuiſſe, ne ſic rationes ſuas admodum ſcitè conficient. Gothlandia qvidem ferax & amœna regio eſt, ſed a Babylone remotior, qvam ut Sarugi ætate, qvi mox a confuſione lingvarum obiit, in illam aditus pateret. Terra enim adhuc inculta &, putreſcente gramine, qvibusdam in locis paluſtris, qvibusdam ſentibus ſpinisqve aſpera, qvibusdam etiam ſylvis nemoribusqve obducta, homines tranſire qvo vellent, tam cito non permiſit: His adde impedimenta alia, fluminum varios anfractus & obliqvos curſus, ſtagnantes item & reſides aqvas, altos, ſalebroſos & præruptos montes, arenâ & lapidibus confragoſas & obſeptas vias. *Et cap. XVI. pag. 407*: Sed forte aliqvis objiciet, Magogum, Gomerum, Aſchenem aut Thogarmam, alias regiones Babyloniæ vicinas primum occupâſſe; qvemvis vero eorum ſecundas colonias in Germaniam aut Scandiam ducere potuiſſe. Qvis vero credat, ſi potuerint voluiſſe, cum Aſia, pars orbis ditiſſima, colonis paſſim caruit? Chanaan ſiqvidem regio perqvam exigua, a Babylonia non admodum remota, qvæqve blanditiis & ubertate ſoli, colonos ad ſe illexerit, Abrahami temporibus ex hominum inopia multis in locis vacua & inculta fuerit. Ecqvis putet

Ja-

Japetum & filios ſuos relictis in Aſia locis opimis, ad „ aſperas ſterilesqve regiones in Europa qværendas, „ magnos labores, magnaqve pericula adiiſſe? *Eodem Capite pag. 408. iſtiusmodi migrationis difficultatem his verbis oſtendit:* Illos (*Japhetum ejusqve filios*) inprimis vires „ deficiebant, qvi ſi ante diſperſionem gentium mortui „ non fuerint, id tum ætatis erant, ut inde ducendis „ coloniis in longinqvas terras impares omnino & in- „ habiles redderentur, cum à diluvio ad illa uſqve tem- „ pora, anni qvadringenti, aut non multo pauciores „ effluxerant. *Et pag. 435.* Sunt qvi diſperſionem gen- „ tium in nativitate Pelegi, id eſt annis 101. juxta chro- „ nologiam ſacram, à diluvio contigiſſe dicunt; ſed „ qvomodo tanta hominum multitudo, tam exiguo „ tempore coloniis in orbem deducendis ſufficerent non „ dicunt; Hebræi, ut in Seder Olam habetur, inter „ diluvium & diſperſionem gentium ter centenos & qva- „ draginta annos, Faſti Siculi ſexies centenos qvinqva- „ ginta & novem annos numerant. Ego de numero „ annorum nihil temerè ſtatuo, ſed propter rationes „ ſuperius allatas, ædificium Babylonicum non niſi „ poſt obitum Noachi extrui cœptum arbitror: cujus „ etiam rei non leve indicium eſt, qvod mox a confu- „ ſione lingvarum in ſacra ſcriptura de migratione A- „ brahami ex Chaldæa in Haran & promiſſione datâ a- „ gitur. Erat autem tum Abraham ſeptuaginta qvin- „ qve annos natus: Noachus vero, ut ex ſacra chro- „ nologia patet, jam dudum vita exceſſerat. Diviſio „ igitur orbis male cum diſperſione gentium a ſcripto- „ ribus confunditur: illa vivente adhuc Noacho, ejus- „ qve conſilio & arbitrio in nativitate Pelegi, hæc mul- „

„ tis poſt annis facta eſt; cum hominum genus nimi-
„ rum ita diffuſum eſt, ut poterant plures regiones oc-
„ cupare. Orbem certe diviſum eſſe ante ſtructuram
„ turris initam, illud ſatis innuit, qvod ſe mutuo ad
„ id operis peragendum excitarent, qvo nomen ſibi fa-
„ cerent, anteqvam in totius terræ ſuperficiem diſper-
„ gerentur; qvibus de coloniis aliorſum mittendis ſuſ-
„ ceptum eſſe conſilium manifeſte indicabant. *Idem*
„ *auctor pag. 411:* Terrâ à maris & fluminum ejecta-
„ mentis liberatâ, aëreqve â tetris odoribus ſatis ex-
„ purgato, per mundi rudera tranſitus inſuperabiles
„ prope moleſtias exhibuit; ædificiorum ruinæ, arbo-
„ res vi aqvarum ſubverſæ, vaſtiſſimi hiatus & lacunæ
„ humo earundem decurſu inducta, aliaqve impedi-
„ menta obſtabant. His conjunctim novæ difficultates
„ viam obſtruxerunt: tota planities, poſt annos pau-
„ cos a diluvio, aut ſtagnum erat, aut ſylva, vel a-
„ qvis ubiqve, vel teneris arboribus, rubis, fruticibus,
„ aſperisqve ſpinis recens exortis obducta. Ipſæ her-
„ bæ tenuiores ſe in ariſtas, ramos brachiaqve ſpar-
„ gentes, non leve negotium ſubminiſtrabant: Hanni-
„ bali certe per Alpes in Italiam qvam Noacho ad no-
„ vas ſedes facilior tranſitus aditusqve patuit; cui non
„ invenienda, ſed jugiter fabricanda via fuit. *Et paulo*
„ *poſt.* Hiſpani certe in America locis diu incultis, ut
„ Raleghus noſter (Hiſt. mund. lib. 1. cap. 8. ſect. 3.)
„ auctor eſt, decem annis vix decem milliaria in medi-
„ terraneis progreſſi ſunt, qvibus tamen abundè ho-
„ minibus atqve inſtrumentis omnibus neceſſariis pro-
„ viſum eſt. Qvomodo igitur ea tempeſtate poterant
„ homines cum gregibus citato gradu per loca difficilia

&

& inculta tranſire, qvi ſolis manibus pedibusqve ute- „ rentur; qvi inſtrumentis, qvibus opus erat, omni- „ bus ad foſſas lacunasqve implendas, ſylvas cædendas, „ aliaqve peragenda carebant? *Et paucis interjectis.* De „ reliqvo claſſes navesqve deerant, qvibus veherentur, „ & qvarum ſubſidio lati maris pericula ſubirent. Pri- „ mus omnium Danaus longa navi, qvæ â qvinqvagin- „ ta remis Penteconterus dicta eſt, ex Ægypto in Græ- „ ciam trajecit, cùm antea parvis admodum navigiis „ in rubro duntaxat mari navigaretur. Navigatio au- „ tem hæc juxta antiqviſſimas Græcorum epochas am- „ plius mille annos â diluvio ſuſcepta eſt, ſi qva fide „ marmora Arundeliana digna ſint, qvibus hiſtoria „ hæc, una cum tempore, qvo res gerebatur, inciſa eſt. „ *Subjicit deinde.* Parum ante hæc tempora (qvod ta- „ men poſt mille annos a diluvio factum eſt) Phœnix „ & Cadmus, Agenoris filii, ex Ægypto migrantes, in „ Phœniciam navigandi artem advexerunt; unde à „ qvibusdam inventi hujus gloria Phœnicibus tributa „ eſt, cum tamen ea laus Erythræ Regi potiſſimum „ debetur. De Erythrâ & Danao ita Plinius lib. VII. „ cap. LVI. *Navem primus in Græciam ex Ægypto Danaus* „ *advexit; ante ratibus navigabatur, inventis in mari rubro* „ *inter inſulas â Rege Erythrâ.* Poſt Penteconterum à „ Græcis Argo navis maximè celebratur; qvæ tamen „ tam exigua vilisqve erat, ut Græci fabulentur Argo- „ nautas eam per terras humeris portâſſe. Argonauta- „ rum ſanè temporibus naves tam raræ & inſolentes „ fuerunt, ut nemo Græcorum ante Herculem ad me- „ diterranei maris fauces penetraverit. Inter Hebræos „ autem Solomonis ætate ars navigandi, ſi non penitus „

igno-

„ ignota, adeò tamen inuſitata fuit, ut Solomon claſ-
„ ſem adornare aggreſſus. 2. Chr. 8. 18. tum naves,
„ tum etiam nautas a Phœnicibus conduxit. *Heic ſibi ipſi objicit Geneſ. Cap. X. verſ. 5. dici, inſulas gentium à Japheto*
„ *& filiis ſuis diviſas eſſe; Sed regerit*: Ita qvidem Latina
„ verſio habet; ſed vocabulum Hebræum אִי non ſo-
„ lum *inſulam*, ſed in univerſum qvamvis *regionem* aut
„ *provinciam* ſignificat, ut ex aliis ſcripturæ locis appa-
„ ret; Tremellius in hoc ipſo loco *regiones* vertit. Dein-
„ de ſacra ſcriptura inſulas gentium â Japeto & filiis
„ ſuis diviſas eſſe, id eſt in diviſione orbis hanc illis
„ hæreditatem obveniſſe teſtatur, ſed ê veſtigio uſuca-
„ ptas eſſe non teſtatur. Totus enim orbis in diebus
„ Peleg diviſus, ſed derepente totius uſucapio & poſſeſſio
„ acqviſita non eſt. Poſtremo deerant homines, qvi
„ una cum Japeto & filiis in regiones tam remotas mi-
„ grarent: ipſis enim viventibus, eorum in Aſia colo-
„ niæ nondum completæ fuerunt: ut ex ipſa ſacra ſcri-
„ ptura ampliſſima teſtimonia habemus. Abrahami ſi-
„ qvidem ætate terra Chanaan, qvamlibet ferax, colo-
„ norum inopia laboravit. Sic enim ille ad Lothum,
„ Gen: 13. 9. *Nonne univerſa hæc terra tibi eſt expoſita?*
„ qvibus in ea parte longè latèqve prædia fuiſſe vacua
„ innuit. Qvanta fuerit in terra Chanaan hominum
„ penuria, illud etiam ſatis magno argumento eſt,
„ qvod ducentos circiter poſt hæc annos Simeon & Le-
„ vi, bini homines, ſolis gladiis armati, totam ur-
„ bem attriverint. Dolor certe ê circumciſione tantus
„ eſſe non potuit, qvin viri, fœminarum & infantium
„ ejulatu excitati, ad arma ſe contuliſſent, niſi res ci-
„ tiſſime peracta, ſtragesqve edita fuiſſet. Eadem fe-

re

re tempeſtate Eſau cum familia ex terra Chanaan e- „
greſſus in transjordanas regiones cum paucis migra- „
vit, pulſisqve & occiſis Choræis, totam illam regio- „
nem in ſuam ditionem accepit; qvam de ſuo cogno- „
mine Edom vocavit. Cum Jacob etiam in Ægy- „
ptum proceſſit, tota terra Goshen inculta vacuaqve „
adhuc permanſit. Imo longe poſt hæc tempora Æ- „
gyptum ubivis locorum adeo incolis caſſam extitiſſe „
liqvet, ut unius Jacobi progenies Ægypti totius reli- „
qvos colonos omnes multitudine anteiret, qvorum „
tamen numerus, cum exirent, adeo exiguus tenuis- „
qve fuit, ut multo plures olim veterem Romam incole- „
bant, & hodie Londinum incolunt. Phœnices poſtea „
a Joſua ſuis agris ejecti, qvo vellent ad novas ſedes „
qværendas profecti ſunt, urbesqve plures in Aſia, A- „
frica & Europa, nullis renitentibus condiderunt. Re- „
liquiæ qvoqve Trojanorum, vaſtato Ilio, natale ſo- „
lum patriosqvé lares deſerentes, in Italia, præcipue „
autem in Britannia Galliaque, tunc quidem, ut tradi- „
tur, magna ex parte vacuis, res ſuas inſtaurârunt: „
multisqve poſt ſeculis Scoti Pictiqve, Gothicæ gentes, „
ex borealibus plagis migrantes, partem Irlandiæ, to- „
tamqve Scotiam, tum qvidem paucis in locis habita- „
tas occupaverunt. Multitudinem ſane hominum „
poſt bellum Trojanum nimium non increbuiſſe, hinc „
etiam apparet, qvod Reges & principes paſtores eſſent, „
& propter hominum inopiam non ſervis modo, ſed „
filiis etiam Regis cuſtodiendi greges provincia ſæpe „
data eſt. David certe, cujus pater inter Hebræos „
princeps erat, poſt bellum Trojanum ovium cuſtos „
conſtitutus eſt. Inter Græcos vero circa Argonau- „

„ tarum tempora Reges opiliones fuiſſe, & vitam pa-
„ ſtoralem egiſſe innuit Heſiodus.
„ *Alios qvidem ad ſeptiportes Thebas, Cadmeam terram,*
„ *Perdidit, pugnantes propter oves Oedipi.*
„ Adhæc Scholiaſtes (*Græcus*).
„ *Propter oves dicit: videlicet opes & regnum Oedipi ex*
„ *parte, olim enim Reges pecuariam & paſtoralem vitam*
„ *vivebant.* Satis itaque eorum rationem mirari nequeo,
„ qvi à data benedictione, genus humanum, ducentis
„ minus annis, in tantum auctum eſſe ſtatuunt, ut omnes
„ terræ angulos, omnesqve receſſus habitarent; cum
„ vix adhuc a montibus in planitiem exceſſerant: aut
„ certe ex inſtrumentorum defectu, ut in præcedenti-
„ bus a nobis confirmatum eſt, valde lentos progreſſus
„ fecerant. Sed dicat forte aliqvis. Noachum inſtru-
„ menta ſecum in arca detuliſſe. id qvidem veriſimile
„ non eſt. arcam enim ipſos homines & animalia vi-
„ ctusqvè in annum neceſſarios continere potuiſſe, qvi-
„ busdam miraculi loco habetur. Sed eſto verum: pa-
„ rum id qvidem hominibus conduxiſſet, cum brevi
„ omnia frangi, exedi & aſſiduo uſu conteri neceſſe
„ fuit: cumqve artifices deerant, qvi nova fabricarent,
„ & metalla inſuper, ex qvibus nova cuderentur. Artes
„ enim & opificia propemodum omnia, longe poſt di-
„ ſperſionem gentium inventa ſunt. Vulcanus omnium
„ primus, ut Pælephatus tradit, ferri uſum docuit, &
„ in Deorum cenſum idcirco relatus eſt. Inter Græ-
„ cas autem gentes Idæi Dactyli, Pandione Athenis
„ regnante, ferrum primi inveniſſe & cudiſſe dicuntur.
„ Benedictionem qvod attinet ea qvidem hominibus in
„ univerſum, non Noachi filiis & nepotibus unice da-

ta eſt. Non fuerunt homines olim qvam noſtra æ- „ tate fæcundiores, ſi ex ſacra ſcriptura rem æſtimare „ velimus. Sem enim qvinqve, Japhet ſeptem, Cham „ qvatuor duntaxat filios ſuſcepit. ſi qvis porro reliqvos „ omnes perpendat, nihil prorſus de fæcunditate homi- „ num explorabit, qvod non memoriâ noſtrâ uſu ve- „ nire ſolet. Poſt benedictionem communem, Abra- „ hamo peculiaris addita eſt, cujus tamen poſteri cum „ *ſeptuaginta*, juxta communem opinionem, Ægyptum „ *ingrederentur*, ducentis & qvindecim annis in tan- „ tam multitudinem vix dum excreverunt, ut poterant „ unam parvam regionem occupare, qvorum numerus „ præter Levitas & impuberes teneroſqve adoleſcentu- „ los tantum 603550. in ſacra ſcriptura memoratur. „ Qvota igitur multitudo ex tribus tantillo tempore, id „ eſt 215. annis naſci potuit? certè pene vicies prædi- „ cto numero minor erit. Qvota vero centum & tri- „ *ginta* annis? vix qvot tres parvas villas incolerent; „ qvo *tamen tempore Annius* colonias *totum* orbem „ pervaſiſſe *inſcitiſſime* finxit, *multiqve* figmentis ejus „ credunt. Qvi vero terram tam mox hominibus re- „ fertam eſſe contendunt, qvæ de Nino narrantur cre- „ bro objiciunt. Fuit is, ut Euſebius tradit, poſt du- „ centos & qvinqvaginta a diluvio annos Aſſyriorum „ Rex, duxitqve in exercitu, ut Diodorus Siculus refert, „ peditum decies ſepties centena millia, eqvitum millia „ ducenta, falcatorum curruum ſupra decem milla. Ita „ qvidem Euſebius & Herodotus. Si vero Herodotus „ de exercitu Nini vera refert, peſſimè qvidem Euſebi- „ us de tempore ſentit; cum centum penè annis poſt „ mortem Nini, juxta Euſebii chronologiam, Abra- „

„ ham Regem Aſſyriæ cum ſociis & fæderatis Regibus,
„ tercentenis tantum hominibus proſtravit, & exerci-
„ tus eorum delevit, qvos nunqvam tam exiguo nu-
„ mero perſeqvi auſurus eſſet, ſi tantas curruum, eqvi-
„ tum peditumqve copias contraxiſſent. Certe poſte-
„ ri ejus, numero 603550. Ægyptiorum falcatos cur-
„ rus ſuſtinere veriti ſunt, Ægyptiis tamen (ut ex præ-
„ dictis conjicere licet) multitudine ſuperiores, nec
„ minus armis cæteroqvin inſtructi; utpote qvi ma-
„ gnam pecuniarum vim, arma ad bellum cum Cananæis
„ gerendum neceſſaria, & qvicqvid vellent ex Ægypto
„ ferebant. Ex his, ut opinor, fidei conſentaneum
„ cuiqve videatur, Japetum cum filiis ſuis, tam diu ſu-
„ perſtites non fuiſſe, ut poſt regiones in Aſiâ occupa-
„ tas coloniisqve repletas,novas in Europâ qværerent,
„ in Germaniam, Britanniam Galliamve migrarent,
„ atqve ut primis in Aſia, ſic etiam novis in Europa
„ coloniis nomina ſua inderent. *Ulterius ſeſe laudatus au-
ctor explicat pag. 447. Euſebio (*inqvit*) aſtant contra
„ tam Græci qvam Romani Scriptores vetuſti. Juſti-
„ nus ex Trogo Pompejo, Tanaum Getarum in Scy-
„ thia Regem Nino antiqviorem fuiſſe narrat: Tanaus
„ autem Argonautas ætate parum anteceſſit. Rectius
„ igitur Euſebio, Illuſtriſſimus Uſſerius imperium Nini
„ ad annum mundi 2737. accommodavit: qvo tempore
„ Debora & Barak feliciter contra Siſeram, Jabini Re-
„ gis Ducem, pugnarunt. Græci vero qvidam Ninum
„ poſt bellum Trojanum vixiſſe, & imperium Aſſyrio-
„ rum condidiſſe prædicant. Euſtathius ad Dionyſium,
„ de Babylone: *Alii vero dicunt urbem hanc mille & octin-*
„ *gentis annis Semiramide vetuſtiorem eſſe.*

CA-

CAPUT VIII.

Qvo aſſeritur, nil de tantâ gentium ſeptentrionalium antiqvitate concludi poſſe ex nominibus propriis terrarum, locorum, gentium, moribusve hominum, qvæ orienti cum ſeptentrione communia apud vetuſtisſimos ſcriptores occurrunt.

Evicimus hactenus, nec Sarugi ætate, nec proximè ſecutis aliqvot ſeculis, ne orbis qvidem Aſiatici partes omnes uſqve ad Trojana tempora, incolis repletas fuiſſe: Unde concluditur, non potuiſſe ſeptentrionem illis temporibus adeo hominibus abundare, ut defectu terrarum, ad ſuſtentandam illam multitudinem habilium, ſolum verterint; imò, ut volunt, poſtqvam Germaniæ maritima, à ſe occupata, longo tempore inſediſſent, ſedes ad paludem uſqve Mæotim regnaqve Pontica transtulerint, expulſisqve aut devictis indigenis, potentiam viresqve ſuas in tantum extenderint, ut potentiſſimus Ægypti Rex metu eorum trepidâ ſugâ regnum ſuum repetierit: mox Aſiam populationibus attriverint, Amazonasqve propagaverint. At, inqvies, extant apud vetuſtiſſimos ſcriptores, gentium locorumqve orientis nomina, qvæ à ſeptentrionalibus hiſce populis derivata eſſe videntur, ac itaqve vetuſtiſſimas noſtratium in orientem migrationes ſatis monſtrant. *Scandia*, Græciæ urbs, Laconiæqve oppidum *Guthion*, occurrunt in Alexandrâ *Lycophronis*, poëtæ Græci, Ptolemæo Philadelpho æqvalis. *Gutheates*, Achaiæ ſinus, *Plinio* memoratur Hiſt. Nat. lib. IV. Cap. 5. Qvæ à Gothis ſeu Getis Scandianis denominata eſſe conjicit *Sheringhamus* ſæpius allegati libri

Cap. VIII. pag. 162. qvi, Zeuthe rerum potiente in Thracia, ipſam Græciam deprædati, plurimas civitates ſibi tributarias captivasque fecerunt, *Thucydide* teſte. Sed reſpondeo: conjecturis tantum iſta niti; unde pari ratione credi poteſt, Getas ad Cimmerium Boſphorum, qvos Gothis noſtris originem nomenqve dediſſe pro certo conſtat, ante Gothorum iſtorum ab iis diſceſſum, vel regreſſum ad eos, in Græciam infuſos, memoratis locis ex gentis ſuæ nomine, aut partis alicujus regionis ſuæ, Scandiæ, licet nobis ignotæ, uti ſunt Getarum plurima, nomina illa impoſuiſſe. Et qvantum ad Scandiæ nomen, illud antiqviſſimis Græcorum ſcriptoribus ignoratur, qvi, teſte *Cluverio* German. Ant. lib. III. Cap. XXXVIII. pag. 655. ſeptentrionales haſce terræ *Baltiæ* & *Baſiliæ* nominibus appellarunt. Ignotum autem eſſe non potuit, ſi Scandia illa Græca à noſtris Scandianis nomen traxiſſet. Neqve enim veriſimile eſt, illos, qvi nominis ſui ſplendore geſtorumqve gloria non modo Aſiam, ſed totam qvoqve Græciam repleviſſe, ipſiusqve illuſtrium ingeniorum monumentis celebrari meruiſſe traduntur, nullam regionis, unde originem traxiſſent, notitiam, ne nomen qvidem ſecum devexiſſe. Nec magis Gothorum nomen Græcis antiqvitus innotuit. Primus, qvantum ſcio *eorum* meminit *Pytheas Maſſilienſis*, apud Plinium, ſcriptor trecentis, aliis qvinqvaginta minus, annis, Chriſto nato antiqvior, qvi *Guttones* circa Pruſſiam littoraqve, Sveciæ ac Helſingiæ oppoſita, ſitu valde diffuſo collocavit, ut placet *Philippo Cluverio*; vel ex *Rudbeckii* mente ad Sveciæ marginem; qvòd parum refert, dummodo ſciamus mare illud, qvod vaſtiſſimas, ſive Sveciæ, ſive Pruſſiæ adjacentiumqve

ter-

terrarum oras alluit, *æſtuarii* nomine à Pytheâ vocatum eſſe.

Sed dices iterum: *Cimmeriorum* meminiſſe *Homerum*; qvos à Cimbris ſeptentrionalibus, ad Cimmerium Boſphorum migrantibus, prognatos eſſe, probatiſſimi ſcriptores innuant; inter eos *Strabo*, qvi libro VII. Poſidonium, integro ſeculo ſe antiqviorem, ſecutus ita ait: Non ineptâ conjectura colligit (*Poſidonius*) Cimbros, „ cum eſſent homines vagi ac latrones, ad Mæotim qvo- „ qve lacum usqve armis progreſſos; ab iis autem „ cognominatum Boſphorum Cimmerium, qvaſi Cim- „ bricum, qvum Græci Cimbros Cimmeriorum nomi- „ ne affecerint. *Straboni aſtipulatur* Stephanus *in voce* Ἄβϱοι. Cimbri, qvos qvidam Cimmerios vocant. „ *Nec diſſentit* Diodorus Siculus *lib. V. cujus hæc ſunt verba*: Eorum, qvi ſub Arcton habitant, qviqve Scy- „ thiæ ſunt propinqvi, utpote ceteris agreſtiores, non- „ nullos etiam ajunt humanis carnibus veſci. Horum „ fortitudine feritateqve divulgata tradunt eos, qvi priſcis „ temporibus omnem fere Aſiam diſcurrentes Cim- „ merii dicebantur, ipſos eſſe, qvi paulo poſt Cimbri „ ſunt appellati; jam priſco more dant latrociniis operam „ rapientes aliena, ceteris omnibus contemtis. *Accedit* Plutarchus *in Mario, his verbis*: Hos autem, qvod nul- „ lum haberent cum aliis commercium, atqve ex tra- „ ctibus advenirent longinqvis, nemo noverat, qvi mor- „ talium eſſent, aut unde profecti nubium modo in- „ cumberent Galliæ & Italiæ. Ex corporum tamen „ proceritate & cæſiis oculis maxime, Germanicas eſſe „ nationes conjectabant, oceanum ſeptentrionalem ad- „ colentium: & qvod Cimbros Germani nominent „

la-

„ latrones. Sunt qvi Celticam longitudine ac latitudi-
„ ne terrarum ab oceano ſeptrionalibus plagis ad orien-
„ tem, verſus lacum Mæotim vergere, & ad Ponticam
„ Scythiam pertinere perhibent, atqve inde illas com-
„ miſtas gentes. Has domo egreſſas, non uno neqve
„ perpetuo impetu, verum ſingulis annis, ſemper por-
„ ro progredientes, ſub ver arma circumferendo pera-
„ graſſe continentem Europæ. Qvapropter etſi diver-
„ ſa ſingulatim haberent vocabula, tamen communi
„ adpellatione Celto-Scythas vocaſſe. Alii autumant
„ Cimmerios, qvi primi qvondam à Græcis ſunt co-
„ gniti, partem exiguam fuiſſe univerſi, tantum cater-
„ vam qvandam profugorum vel ſeditioſorum, ab Scy-
„ this compulſam à Mæotide lacu in Aſiam duce Lyg-
„ damio trajicere; maximam eorum multitudinem, &
„ bellicoſiſſimam, in ultimis ad oceanum oris habere
„ ſedes, regionem incolere ob profundas ac denſas ſil-
„ vas, qvæ ad Hercynios usqve ſaltus introrſus perti-
„ nent, caliginoſam, nemoroſam & opacam. cœlum
„ ſortitos qvà polus ſeptentrionalis, ex parallelo-
„ rum inclinatione ſublimis, parum diſtare videtur
„ ab imminente incolarum vertici puncto, ubi di-
„ es brevitate & prolixitate pares noctibus in partes duas
„ ſecant anni tempus; unde argumenta ſuppeditaſſe Ho-
„ mero fabulæ, de inferis ſcribenti. Atqve inde hos bar-
„ baros in Italiam moviſſe; qvi primum Cimmerii, tunc,
„ non abſonè, Cimbri dicti ſunt. His innixus *Sheringhamus*
ſæpius allegati operis Cap. VIII. pag. 155. 156. diſertè ſta-
tuit Scandziæ populos, nativis in ſeptentrione ſedibus re-
lictis, in Scythiam, Duce Filimere, migraſſe, expulſisqve iis,
qvi ad Cimmerium Boſphorum tunc habitabant gentibus,
ſedes

ſedes earum occupaſſe, atqve exinde Cimmerios dictos fuiſſe: addit, hos Cimmerios eſſe, de qvibus ſcribat Herodotus. Sed reſpondet ad iſta *Cluverius* German. Ant. lib. III. cap. XXII. Cimmeriorum & Cimbrorum nomina perperam Græcos confudiſſe, gentem in omne genus fabularum ſemper pronam; occaſionem autem tam abſurda de Cimbris fabulandi ex eo deſumſiſſe, qvod populi qvidam temporibus antiqviſſimis ad Mæotim lacum & Ponticum mare fuerint, haut multum abſimili nomine, Cimmerii. Itaqve non niſi nuda conjecturâ, Cimbrorumqve & Cimmeriorum nominum nihil probante ſimilitudine niti eos, qvi iſta ſtatuant. Cluverio *Grotius*, ſuffragatur, Prolegom. in Scriptores Gothicos pag. 6. aſſeverans Græcos *Cimmerios cum Cimbris confudiſſe.* Et qvod Homeri Cimmerios attinet, ipſe fatetur *Sheringhamus* pag. 61. per eos intelligendos eſſe Italos in Campania ad ſinum Bajanum juxta Puteolos ſedentes, ubi lacus Avernus, qvem antiqvi ob tenebras, tetrosqve odores, inferni limen eſſe putabant.

Ad Gothos redibimus: Urgebis fortè, eos Scandiâ primum ortos eſſe, indeqve antiqviſſimis temporibus egreſſos, poſt varios itinerum anfractus, tandem in Scythiam perveniſſe, ibiqve notiſſimam celeberrimamqve Getarum gentem Amazonasqve progenuiſſe; prout hæc omnia conſtare poſſint ex ſæpedicto *Sheringhami* opere Capp. VII. & VIII. qvi & pagg. 137. 177. aſſerat Gothorum hunc in Scythiam ingreſſum contigiſſe diu ante Argonautarum tempora. imo, ne ulla dubitandi occaſio ſuperſit, integris tribus capitibus. IX. X. XI. tam præſtantiſſimorum ex antiqvitate Scriptorum teſtimoniis, qvam utriusqve gentis lingvâ moribusqve evidenter monſtret,

Gothos Getasqve unam eandemqve gentem fuiſſe. Adjicies, ſatis probaſſe *Grotium* Prolegom. in Scriptores Gothicos, habitare adhuc ad Mæotim paludem Gothos, qvi ſeſe hoc nomine vocent, terramqve ſuam Gothiam; Unde neceſſariò ſeqvatur non de nihilo eſſe eorum ſententiam, qvi examina hæcce hominum ante tot ſecula his è terris egreſſa eſſe velint.

Ego Gothos olim Scandiâ exiiſſe concedo; Id vero longe ſerius, qvam exiſtimat Sheringhamus, factum eſſe, inferius videbimus. Unde Getas Amazonasqve Gothorum noſtrorum progeniem non eſſe ſeqvitur. Fuiſſe autem Getas Gothosqve unam eandemqve gentem, ultrò fateor: ſed ea ratione, ut Gothos noſtros à Getis primitus ortos non dubitem. An Gothos iſtos, qvi ad Mæotim nuper vixerunt, & forte hodie vivunt, progenuerint, hic determinare nil refert. Itaqve vetuſtiſſima illa, qvæ Getæ per Aſiam & Græciam egiſſe ſcribuntur, non ad Gothos Scandianos, ſed majores horum Getas, vetuſtos Aſiæ incolas, eorumve poſteros, Gothorum noſtrorum cognatos, pertinere arbitror. Nihil igitur ex nominibus hiſce locorum populorumqve, moribusve gentium, de immenſâ illa ſeptentrionalium gentium antiqvitate concludi poteſt.

CAPUT IX.

Qvo antiqviſſimæ Scantianorum emigrationes expenduntur; oſtenditurqve, nihil ex illis de tantâ ſeptentrionalium gentium vetuſtate concludi poſſe.

Sic

Sic eorum argumenta diluimus, qvi cum locorum gentiumqve nomina moresve populorum, hic & in oriente ſimilia deprehenderent, inde concluſerunt, antiqviſſimis temporibus ex ſeptentrione noſtro emigraſſe populos, qvi nomina iſta conſvetudinesqve ſecum in orientem detuliſſent. Sed nondum omnia exhauſimus, qvæ de migrationibus iſtis dici poſſunt. Excutiemus ergo paulo uberius ea, qvæ de vetuſtiſſimis noſtratium in peregrinas terras expeditionibus vulgo traduntur; monentes interea, nihil ex incorruptis patriæ documentis adferre eos, qvi de expeditionibus illis ſcripſerunt; nec Saxonem qvicqvam de iis literis mandaſſe: qvod facere haud omiſiſſet, ſi tale qvid, ad gentis ſuæ gloriam propagandam, veritati conſonum deprehendiſſet. Tradunt igitur Gothos, antiqviſſimis temporibus Scandia egreſſos, ſub Rege eorum Eirico vicinas inſulas primo occupaſſe, qvæ tum ab ipſis uno communi nomine *Wetalabeth* appellatæ ſint. Exinde Cherſoneſum locaqve adjacentia acceſſiſſe, qvæ deinceps Cimbriæ vocabulo celebrata ſint. Alii Cherſoneſum primo inſeſſam occupatamqve volunt à Gomero Japheti filio, anno mundi MDCCCL. Poſtea Guthium, ſextum Cimbrorum judicem, Scaniam cum adjacentibus, ſuo regno adjeciſſe, filiumqve ejus Thielvarem Boringiam & Gotlandiam duce Bericone (qvem Jornandes Berig appellat: nomine ad *Barekr*, qvod viris proprium *Liber Originum Islandiæ* duobus locis, pag. nimirum 151. & 153. memorat, proximè accedente) terras circa Viſtulam mareqve Svevicum late occupaſſe, ibiqve conſediſſe. Poſt qvinqve deinde generationes ad paludem Mæotim, magnâ freqventiâ

tiâ provectos, ſedes ibi fixiſſe. Infuſos deniqve in trans-Danubianas regiones Thraciam Mœſiamqve inſediſſe: magnasqve res geſſiſſe. Ab hiſce Gothis, populos iſtos prcgnatos eſſe ſtatuunt, qvi Scythiam, Iſtrianas regiones, Thraciam & Pontum poſtea inhabitarunt, interqve eos decantatiſſimam Amazonum gentem. Videndum igitur qvo tempore primum patrio ſolo emigraverint: nam qvo id altius elevatur, eo major antiqvitas Scantiæ Aboriginibus vindicabitur, præſertim cum tradatur vulgo, exſuperantis populi multitudine gravatam patriam, in levamen ſui, tot hominum turmas, qvibus ſuſtentandis impar fuerit, emiſiſſe. Tempus iſtud proxime ſeqventes expeditiones planius oſtendunt. Filimeris nempe ſatis celebris, qvam *Johannes Lyſchander* Antiqvit. Danic. Serm. X. pag. 124. in annum mundi MMCCCCLXXXV. refert, (*Claudius Lyſchander* Filimerem annô mundi MMDCLII. regni XXII. mortuum ſcribit) & eam, ut volunt, ſecuta Veſoſem inter Ægypti, & Tanaum Scythiæ Reges cruenta pugna, qvâ ille attritus in Ægyptum rediit. De tempore auctores diſſentiunt. *Oroſius* lib. I. cap. IV. ad annum CCCCLXXX. ante conditam Romam refert, mundi ſcilicet MMDCCXXXII. *Claudius Lyſchander* operis ſui Genealogici Lib. IV. pag. 149. ad annum mundi MMDCCXXXIV. Juſtinus ſupra Nini tempora promovet; rcprehenſus hoc nomine ab eodem Lyſchandro, qvi Ninum hos Reges, intervallo annorum DCCCLXXII. præceſſiſſe putat, utpote qvi monarchiâ potitus ſit anno mundi MDCCCCVII. Qvo tempore Ninus imperaverit, magno ſcriptorum diſſenſu controvertitur. Euſebium ſecutus *Claudius Lyſchander* & plures

alii,

alii, impubere Abrahamo mortuum ſtatuunt, alii Trojano nòn tantum excidio, ſed mille etiam annis Abrahamo poſteriorem faciunt. Illuſtris *Uſſerius* Archiepiſcopus Armachanus, ad annum mundi MMDCCXXXVII. Deboræ nimirum & Baraki tempora, eum refert, teſte *Sheringhamo* loco à nobis pag. 172. ſuperius exſcripto. Verum hic parum intereſt, qvo tempore Ninus vixerit, cum in Veſoſis & Tanai tempore Chronologi fere conveniant, parumqve ultra annum mundi MMDCCXXX. illorum æram producant. *Johannes Magnus* hiſtoriæ Sveo-Gothicæ Lib. I. cap. XXIV. in anno MMDCLI. acqvieſcit.

Bericonis expeditionem Tanai Veſoſisqve ætatem longa annorum ſerie prævertere volunt: Rectè qvidem, ſi Filimer à Bericone ſexto gradu diſtans, Tanai pater fuerit, uti tradunt *Johannes Magnus* & *Claudius Lyſchander*. Diverſimode autem de tempore illius ſentiunt. *Jacobus Gislonis* ad annum mundi MMDXXIII. eam refert, *Johannes Magnus* & *Claudius Lyſchander* ad annum MMDXXXI. cum qvibus *Crantium* usqve ad XXX. annos recte conciliat *Rudbeckius* Atlanticæ cap. XXV. §. 3. pag. 773. *Johannes Lyſchander* expeditionem illam in anno mundi MMCCCLXXXVI. figit, æram autem expeditionis in orientem, fundatiqve ad Pontum imperii, in anno MMCCCCLXXXV. Nos Rudbeckii methodum ſecuti annos cum generationibus conferemus, Filimeriqve ac ſingulis ejus majoribus a Bericone XL. annos in ſingulas generationes impertiemur; Tanaoqve auctoritate Johannis Magni gradum ſeptimum aſſignabimus. Ea ratione CCLXXX. anni exhauriuntur, qvibus ab anno MMDCCXXX. Tanai Veſoſisqve ætate, demtis, an-

annus mundi MMCCCCL. Bericoni natalis conſtituitur; qvibus ſi XXXV, virilis nimirum ætas, adjiciatur, annus mundi MMCCCCLXXXV, relinqvitur, expeditionis iſtius famoſiſſimæ, ut ipſis videtur, apprime capax. Per hos gradus ad regni Gothici in Scania initium proceditur, cui *Johannes Lyſchander* aſſignat annum mundi MMCCLVII. Sermone X. pag. 125. Primum autem Cimbrorum, populorumq; gentis illius acceſſum in illas ſedes, qvas hodieqve tenent, in annum mundi MDCCCXLVII. refert; *Claudius Lyſchander* ad ann. MDCCCL. *Rudbeckius*, ut ante dictum, ab ipſo poſt univerſalem cataclyſmum reparati orbis exordio aut confuſione lingvarum æram illam orditur.

Tam profundæ antiqvitatis opinionem, hauſta ab Ablavio, Dexippo & Jornande doctrina, de Tanai majoribus ex Arctoo hoc orbe, terrisqve ſubjectis ſeptentrioni, profectis, hominum mentibus inſtillavit: imò Doctiſſimum *Sheringhamum* eò perduxit, ut ſæpedicti operis pagg. 135. 136. Filimerem Tanao Argonautisqve priorem faciat, eumqve aborigines Cimmerios ſcilicet antiqvos, qvos Hebræi Magogæos, Græci Scythas vocabant, ſuis ſedibus ejeciſſe tradat; ex qvo factum ſit, ut Getæ deinceps, tum Scythæ tum Cimmerii vocarentur. Verba ejus addam, qvibus nonnullos eorum, qvi Filimeri proximè ſucceſſerunt, recenſet: *Poſt Filemerum*, inqvit, *Tanaus Cimmeriis præfuit, qvos Juſtinus ex Trogo Pompejo Scythas, Valerius Flaccus antiqvo ſuo vocabulo Getas nominat.* Et paucis interjectis: *Poſt hos Cimmeriorum Auchus Rex erat, qvo tempore Argonautæ Colchidem petebant.* Et paulo poſt: *Poſt bellum Trojanum Madys & Lygdamius apud Cimmerios Getas*

tas imperium tractabant; Lygdamii meminit Plutarchus, Strabo utriusqve. Addit ſe hos Cimmeriorum Getarum Reges ad emendationem hiſtoriæ Geticæ potiſſimum retuliſſe, qvod neqve apud Jornandem, nec Johannem Magnum, præcipuos rei Geticæ ſcriptores, Auchi, Madyis, aut Lygdamii ulla mentio fiat; niſi forte Auchus ipſiſſus ſit, qvi Jornandi Augis appellatur.

Verum adfert rationes ipſe Sheringhamus, hac in re ſibi non ſatis conſtans, qvæ Tanai progenitores, ex Scandia aut ſeptentrione haut repetendos eſſe, perſvadent; qvi illo tempore vel nullos colonos, vel omnino raros habuiſſe videtur. Qvis enim credat Getas illo tempore, qvod vel cum Argonautarum expeditione coincidit, vel viginti circiter annis eam præcedit, ad Pontum Evxinum habitantes, piſcoſi maris accolas, nullam navium cognitionem habuiſſe, ſi parentes eorum aut majores ex his terris, ubi navium maximus & neceſſarius uſus, prodiiſſent. Tradit autem *Apollonius Rhodius* citante Sheringhamo pag. 176. *viſis Abſyrti navibus, qvi Argonautas, cum aureo vellere abeuntes, perſeqvebatur, Scythas paſtores, id eſt* (inqvit) *Getas, qvi ad mare vicinum greges paſcebant, metu perterritos, relictis mulctris gregibusqve aufugiſſe, monſtra marina ad littus approqvinqvare putantes, utpote qvi nullas ante hac naves viderint, nec cum Thracibus adhuc permiſcerentur.* Adeone navium uſum parentibus ſuis majoribusqve apprimè notum, eos dédidiciſſe credendum eſt, ut inter eas & monſtra marina diſtingvere neſciverint? Addit auctor hos ipſos Getas, illo tempore Thracibus miſtos non fuiſſe. Jornandes tamen Cap. V. hic eorum tertiam manſionem, poſtqvam Mœſiam Daciam Thraciamqve incoluiſſent,

ſent, collocat his verbis: *Qvorum manſionem primam eſſe in Scythiæ ſolo, juxta paludem Mæotidem. Secundo in Mæſia Thraciaqve & Dacia. Tertio ſupra mare Ponticum, rurſus in Scythia legimus habitaſſe.*

Aliud itaqve hominum genus hic deſcribit Jornandes, aliud Apollonius Rhodius: Ille Getarum poſteros, cum his, qvi Argonautarum tempore ibi conſederunt, confudiſſe videtur; hic majores eorum deſcripſiſſe; qvi Thraciam, Mœſiam & Daciam ignorarunt; qvos eadem loca, qvæ ſuo tempore tenuerunt, ab ultima memoria poſſediſſe teſtantur omnium vetuſtiſſimi hiſtorici Græcorum, qvi ſoluta oratione ſcripſerunt, qvorum opera apud nos hodie extant, ut Herodotus, Thucydides, Diodorus Siculus; uti alibi notat *Sheringhamus*. Sed de primo illorum acceſſu in eas regiones nullam mentionem faciunt, non alia de cauſâ, qvam qvod ipſos Aborigines ſeu indigenas eſſe crediderint. Qvod & gentes illæ absqve dubio ipſæ crediderunt: aliàs enim de antiqvitatis gloria Ægyptiis litem non moviſſent, nec ab his motam argumentis contrariis refellere aggreſſi eſſent, ſi aliunde qvam è Scythia Aſiatica, natali tunc ipſis ſolo, originem repetiiſſent. Neqve argumenta illa, qvibus antiqvitatem ſuam probare voluerunt, ullius momenti fuiſſent, ſi ſe Scantia primitus oriundos ſtatuiſſent. Qvid? qvod ipſe *Herodotus* lib. I. tempus definit, qvo Cimmerii à Scythis (qvorum nomine Getas illos, Filimeris milites, intelligi vult *Sheringhamus*) ſedibus ſuis ejecti ſint; nimirum tempore Ardyis, filii Gygis, Lydorum Regis. *Ardyis*, inqvit, *ejus* (Gygis) *filii faciemus mentionem, qvi poſt Gygem regnavit. Hic Prienenſes expugnavit & Miletum invaſit; qvo Sardium*

regno

regno potiente Cimmerii à Scythis Nomadibus ejecti è ſedibus ſuis in Aſiam tranſierunt, Sardisqve præter arcem ceperunt. Imperii Ardyis initium *Calviſius* ad annum mundi MMMCCLX-XII. (nobis MMMCCLXXXV.) ante natum Chriſtum DCLXXVI. refert; exactosqve ſedibus ſuis Cimmerios anno mundi MMMCCCXV. (qvi nobis MMMCCC-XXVIII.) DCXXXIII. annis ante Chriſtum natum: cui *Phrygio* aſtipulatur, qvi Ardyis Imperium ab anno mundi MMMCCCI. auſpicatur. *Dionyſius Petavius* Rationar. Temporum Part. II. lib. III. Cap. IV. pag. m. 173. primam hanc Scytharum eruptionem in Cyaxaris Medorum Regis tempora refert, inqve annum periodi Iulianæ MMMMLXXXI. qvi ei eſt annus mundi MMM-CCCLI. ante Chriſtum DCXXXII. remqve, ut geſta eſt, ex Herodoto exponit Part. I. lib. II. Cap. IX. pag. 105. Perperam igitur Sheringhamus ſupra Argonautarum tempora hæc refert, Filimeriqve adſcribit, deceptus auctoritate Jornandis, qvi hic falſus eſt, & Johannis Magni, qvi alios ſciens volensqve decepit; nec ſatis ipſe obſervavit, qvam laudati operis Cap. VIII. pag. 163. aliis præſcripſit, legem: Illud verò, *ait*, prætermittere non „ opportet, Getas, ut moris eſt in omnibus iſtis locis „ (*qvæ ante recenſuit*) pro ratione ſedis & populi ejecti, „ nominibus variis ex victoriis nobilitatos eſſe. In Cim- „ meria ſive Sarmatia Aſiatica & Scythia, Cimmerii, Sar- „ matæ & Scythæ, in Thracia Thraces, in Dacia Da- „ ci, in Mœſia Mœſi, ad Iſtrum Iſtrici, ad Mare Ponti- „ cum Pontici, prout in aliis locis, qvod ſupra monſtra- „ vimus, ex iisdem cauſis Cimbri & Saxones & Germa- „ ni & Celtæ & Galli & Galatæ appellabantur. Hujus „ rei cognitio in legendis hiſtoriis magni momenti eſt, „

„ ut unicuiqve genti ſua laus aut contumelia, ex rebus „ præclare aut contra geſtis habeatur: ut ſi qvid de Cimmeriis aut Thracibus occurrat, qvod præconio aut „ vituperio dignum ſit, perpendat lector, qvænam gens „ Cimeriam aut Thraciam eâ tempeſtate occupaverit: „ an illud de antiqvis Cimmeriis & Thracibus, an de „ Cimmeriis & Thracibus Getis referatur; qvia hæc „ nuperis qvibusdam ſatis perſpecta non ſunt, ab iisdem „ multa de gentium origine perperàm dicuntur. Hæc vir doctiſſimus accuratè ſatis aliis obſervanda præſcripſit, ſed in hanc regulam ipſe, ut dictum eſt, haut leviter impegit, cum ignorare non poſſet, Ardyim Cyaxaremqve poſt Amazonum originem, imo poſt Trojana tempora ſeculis aliqvot vixiſſe. Et Filimerem Tanao Veſoſiqve longe juniorem eſſe inferius evidenter patebit.

Sed redeamus ad expeditionem Bericonis. Ad illius epocham inveniendam facem nobis præferre videtur *Jornandes*; qvi ab illo ad Theodoricum Oſtrogothorum Regem, generis ſeriem qvatuordecim gradibus conſtantem (*Claudius* etiam *Lyſchander* ſingulos gradus recenſet) texit; filiosqve patribus ſemper ſucceſſiſſe, dum genuiſſe perhibet, teſtatur. Sed parum ſibi Scriptor ille heic conſtat, qvod facile apparet, ſi generationes iſtas cum Tanai ætate conferamus; Natus enim eſt Theodoricus anno Chriſti CCCCLV. mundi, ſecundum recentiſſimam computationem, MMMMCCCCLVII. Demus ſingulis generantibus annos XL. Univerſorum ætas annos DLX. complectitur. Hos ſi cum prædictis mundi annis contuleris, relinqvitur annus mundi MMMDCCCXCVII. natalem Chriſti CV annis prævertens, expeditioni Bericonis initialis: vel ſi mavis Lutheri aliorum-

qve

qve calculum ſeqvi, qvi a mundi primordio ad Chriſtum natum annos MMMDCCCCLXI. numerant: Adde annos CCCCLV, qvi inde ad Theodoricum effluxerunt; natus erit Theodoricus anno mundi MMMMCCCCXVI. Aufer inde ſummam annorum DLX. ab egreſſu Gothorum è Scantzia: incidit ille in annum mundi MMMDCCCLVI. qvi qvoq; eodem calculo centeſimus qvintus eſt ante natum Chriſtum. Si vero in ſingulos generantium gradus XXX. tantum annos, Rudbeckii methodum ſecuti, erogaverimus, univerſorum genealogia annos CCCCXX. conficit, qvos ſi ab anno mundi ſive MMMMCCCCXVI, ſive MMMMCCCCLVII. exemeris, in qvos ſecundum diverſam ſupputationem Theodorici nativitas referenda eſt, Gothorum illa migratio, ſive annum mundi MMMMXXXVII. ex noviſſima obſervatione ſibi vendicat, ſive ex Lutheri computatione MMMDCCCCXCVI. Qvicqvid horum ſeqvimur, Bericonem patriæ finibus XXXV. annis, poſtqvam ſe Chriſtus in carne manifeſtavit, exceſſiſſe deprehendimus. Id qvod parum aut nihil à calculo ipſius Rudbeckii diſcedit, qvi in tabula chronologica Halmalem Gapti, ut teſtatur *Jornandes* cap. XIV. filium, ejus, qvi Bericonis, teſte *Johanne Magno* Lib. I. cap. XVI. ſucceſſor, ſecundum *Lyſchandrum* filius fuit, in annum Chriſti CXL. collocat. Idem ſenſiſſe apparet *Eiricum Olai*, Upſalenſem qvondam Decanum, qvi in hiſtoria ſuâ, Filimerem qvarto loco ponit, poſt eum Regem, qvem circa Chriſti nativitatem in Svecia ſceptra geſſiſſe tradit. Imo de bello iſto, qvod Veſoſes cum Scandianis populis, eorumve poſteris, geſſiſſe dicitur, dubitaſſe eum videtur, ita enim ait: *Qvod vero qvidam de hoc Philemero referant, qvod Vezorem Regem Ægypti vicerit,*

& regnum ſuum ſibi ſubjugaverit, id non eſt verum, neqve enim Gothi, qvi de Svecia ſaltem eo tempore egreſſi ſunt, tranſiverunt in Ægyptum, neqve hiſtoria illa de bello Gothorum adverſus Vexorem, & eorum tranſitu in Ægyptum, ad hæc tempora, de qvibus hic agitur, reſpicit aut refertur.

Bericonis expeditionem *Grotius*, ſive ut ipſe apertè ſatis & expeditis verbis in Prolegom. ad Scriptores Gothicos pag. 41. loqvitur, primum Gothorum è Scantia egreſſum, trecentis aut paulo plus annis ante natum Chriſtum, (DCCCCXXX. annis poſt Tanai Veſoſisqve ætatem) contigiſſe autumat. Paulo rotundius eorundem Prolegomenωn pag. 20. idem auctor ſententiam ſuam profert, ubi primum illorum è Scantia egreſſum non Taciti tantum, ſed & Pytheæ temporibus multo antiqviorem eſſe ſcribit. Pytheam autem ipſe pag. 2. trecentis fermè annis ante adventum Chriſti vixiſſe dicit. Sed hæc pro diverſis non ſunt habenda.

Excuti & hic meretur Gothici regni epocha, qvam exhibet Chronicon metricum, à *Meſſenio* Sveticè editum: Ericus ibi primus Gothorum Rex Saruchi tempore fuiſſe traditur; cujus ætas inter annos mundi MDCCCXIX. & MMCXLIX. vertitur. Verum neqve hæc traditio ſibi conſtat, ſed falſitatis idem illud chronicon ſe ipſum convincit, dum ſeriem Regum generisqve ab Hernite ad Olafum Skautkonungum, triginta gradibus lineæ deſcendente deducit. Hernit autem Nordiano, Filimeri filio, æqvalis, Regum Gothiæ qvintus ei numeratur. Erit itaqve Olafus, qvi anno Chriſti M. floruit, à primo Gothiæ Rege ratione temporis, tanqvam ſucceſſione, trigeſimus qvartus. Demus ſingulis generantibus annos XL. univerſus annorum numerus MCCCLX. conficit, qvi-

bus

bus ab anno mundi MMMMDCCCCXLIV. ſubtractis, annus mundi MMMDLXXXIV. epocham Gothici imperii auſpicabitur, qvi Chriſti natalem annis CCCLXXVIII. præcedit, nec procul diſcedit ab æra Bericonis ſecundum memoratum Grotii calculum. Qvanta autem temporis intercapedo inter hunc annum & Tanai ſeculum? At ſi ſingulis generantibus XXX. annos dederimus, univerſorum periodus ſpatio annorum MXX. circumſcribitur. Qvos ſi ex anno mundi MMMMDCCCCXLIV. (qvi æræ Chriſtianæ DCCCCLXXXII. eſt) qvo Olafus natus videtur, ſubduxerimus, annus mundi præter propter MMMDCCCCXXIV. reſultabit, Gothici regni initialis, ante Chriſti nativitatem XXXVIII.

Sed videamus iterum Jornandem. Is penitius inſpectus ea, qvæ de vetuſtis adeo Scandianorum migrationibus ſcribit, falſitatis ipſe arguere videtur, ubi libri ſui de Getarum rebus Capite ultimo hæc de Vitigis deditione narrat: *Et ſic famoſum regnum, fortisſimamqve gentem diuqve regnantem, tandem deinde milleſimo & trecenteſimo anno, victor gentium diverſarum Juſtinianus Imperator per fidelisſimum conſulem vicit Beliſarium, & perductum Vigitim Conſtantinopolim Patricii honore donavit.* Hæc ex editione hiſtoriæ Gothorum, Vandalorum & Longobardorum Elſeviriana, qvæ Amſtelodami anno MDCLV. exiit, tranſcripſi. Aventinus autem loco annorum mille trecentorum, *ſupra bis mille* reponit, ipſius Jornandis auctoritate citata. Hic expendendum eſt, ad qvod principium qvemqve finem, Gothorum regnum Jornandes referat. De fine controverti non poteſt, cum de captivitate Vitigis agat, qvæ incidit in annum Chriſti DXL. De principio itaqve diſqviritur; an ſcilicet illud memoratus auctor re-

retulerit ad occupationem primam terrarum ſeptentrionalium, qvam *Joh. Lyſchander* Antiqvit Danic. Sermone VI. pag. 48. ad annum mundi MDCCCXLVIII. refert; an vero ad fundatum primum Getarum in Scantzia regnum, qvod in anno mundi MMCCLVII. idem *Lyſchander* Sermone X. pag. 124. collocat; an ad finem vitæ Filimeris, ut placet eidem *Lyſchandro* Sermone X. pag. 125. an ad Bericonis egreſſum ad Viſtulam, qvem ſæpe dictus *Joh. Lyſchander* Serm. X. pag. 125. ad annum MMCCCLXXXVI. *Claudius Lyſchander* & *Johannes Magnus* ad MMDXXXI. *Crantzius*, ad noſtrum calculum redactus, ad annum mundi MMDI. referunt; an ad Gothorum majorum (diſtingvuntur enim in majores & minores, hi ætatem Valentis Imperatoris, annumqve Chriſti CCCLXXVII. non anticipant, illi à prima gentis origine repetuntur) in Thraciam Iſtrianasqve regiones acceſſum, qvem reſpexit *Loccenius* Antiqvit. Sveo-Gothicarum cap. I. Hugonemqve Grotium in Prolegom. ad Scriptores Gothicos pag. 40. intellexiſſe autumat, contra qvam mihi videtur. Verba Grotii ita ſonant: Qvo primum tem-
„ pore è Scantzia egreſſi ſunt Gotthi, explicatius dicere
„ poſſemus, ſi Ablabium haberemus, è qvo ſua nobis,
„ non contracta tantum, ſed etiam confuſa, dedit Jor-
„ nandes; cur id factum arbitrer annis plus trecentis
„ ante Chriſti tempora, dixi ſupra; tunc Gotthi Scandz-
„ ſive Godanavia, qvæ Gothlandia nunc dicitur, inſula
„ mox in continentibus Germaniæ terris Ulmerug-
„ cum expuliſſent, ibi partem ſui reliqvere. Nulla hic Thraciæ Mœſiæ aut Daciæ mentio fit, ſed de prima Gothorum è Scantzia migratione ſermo eſt. Negat autem Loccenius, certum ingreſſus eorum in Thraciam tem-

pus

pus ſe poſſe aſſignare, ſilentibus hic priſcis rerum ſcriptoribus. Nos annos à deditione Vitigis MCCC. retrorſum numerabimus. Incidit autem annus ille, qvi æræ Chriſtianæ DXL. eſt, in annum mundi, ſecundum *Lutheri*, *Phrygionis*, *Philippi Melanchthonis* ſupputationem (qvi omnes nativitatem Chriſti ad annum mundi MMMDCCCCLXI. referunt) MMMMDI. Hinc MCCC. ſi demantur, remanet annus mundi, Gothici imperii initialis, MMMCCI, ante Chriſtum DCCLX. Hinc ſi Gothici regni exordium in Thracia deduxerimus, omnium Scriptorum teſtimonio deſtituimur. Longe enim antecedit M. Aurelii Antonini Philoſophi tempora, anno Chriſti CLXI. ad ſceptra evecti: cum qvo Aſtingi, gens Gothica, fædus inierunt: tradente ex Dionis excerptis *Cluverio* German. Antiq. lib. III. Cap. XXXIIII. pag. 632. Longius adhuc Philippi Arabis, qvi circa medium ſeculi poſt Chriſtum natum tertii vixit, anno nimirum mundi ſecundum Calviſum MMMMCXCII. poſt Chriſtum CCXLVII. cujus tempore *Jornandes* cap. XVI. Gothos duce Oſtrogotha tranſito Danubio Mœſiam Thraciamqve vaſtaſſe aſſerit. Imo Gothici iſtud regni initium Zamolxis, Pythagoræ diſcipuli, ejusdemqve ſervi, tempora excedit, qvem in Thracia Gothis numen fuiſſe memorant, anno mundi MMMCCCLXX. vel ſecundum alios MMMCCCLXII, cum ibidem ſecundam ſedem, tradente eodem *Jornande*, haberent. *Johannes Lyſchander* Antiqvit. Danic. Serm. X. initium regni Gothici ab obitu Filimeris Gothorum Regis deducit, cum ſecus Pontum ad Iſtrum usqve Gothi pergerent, aſſignatqve anno mundi MMCCCCLXXXV. periodumqve regni ultra bis mille annos, Aventini, Jornandem allegantis, auctoritate exten-

tendit. Ego id in nulla Jornandis editione vidi, Cluverium tamen ſecutum animadverto. *Crantzius* autem teſtem ſe habere profitetur, qvi confidenter Bericonis expeditionem ad Othnielis tempora, annum ſcilicet mundi MMMDCCXC, ante Chriſtum MCCCCLX. extendat. Inde ſi ad Vitigis captivitatem MM. annorum effluxerunt, captus erit Vitigis anno Mundi MMMMMDCCXC. ſecundum Lutheri calculum MMMMDI. Crantzius enim Græcorum rationes ſecutus, ab initio mundi MMMMMCCL. annos at nativitatem Chriſti numerat, qvibus ſi anni DXL. addantur, incidet Vitigis deditio in annum mundi MMMMMDCCXC. ablatis hinc MM. annis, habemus annum MMMDCCXC, qvem Bericonis migrationi aſſignavit, qvi nobis eſt mundi MMDI. ante Chriſtum MCCCCLX. Diſtant enim noſtræ rationes annis MDCLXXXIX. Verum nec cum Bericone Gothicum Imperium cæpit, illo certè antiqvius, nec à Bericonis tempore imperii Gothorum in Thracia æram ullus adhuc Scriptorum orſus eſt, neqve illo duce illuc traducti ſunt. Cum igitur nullum tempus, qvo Gothi Thraciam incoluerunt, huic regni eorum exordio conveniat, ſeqvitur Jornandem initium Gothici imperii in Cimbria aut Scantzia intellexiſſe, annum à nobis indicatum, qvi mundi eſt MMMCCI; prævertitqve Chriſtianam æram annis DCCLX, & cum Romuli ætate coincidit. Eſt autem alia Jornandis editio Lugduni annó Chriſti MDXCVII. apud Jacobum Chovet excuſa, qvæ in textu qvidem Gothicum regnum annis MCCC. ſtetiſſe tradit, in margine autem MXXX. ſubſtituit, fide digni alicujus exemplaris, ut credere par eſt, auctoritate. Hos ſi ab anno mundi MMMMDI. Vitigis deditione nobili, abſtuleris, initium

regni

regni Gothici in annum mundi MMMCCCCLXXI qvi ſpatio annorum CCCCXC. Chriſti natalem præcedit.

Hic jam ſingulas, tam Bericonis expeditionis, qvam ipſius fundati Gothici regni epochas, qvas modo erui, ſtrictim exhibebo; & qvidem eas prius, qvæ profundiſſimam antiqvitatem profitentur.

Egreſſus itaqve dicti Bericonis ex Scandiâ refertur

Johanni Lyſchandro - - -	in annum mundi	2386.
Nobis, ſeptem generationes à Bericone ad ætatem Tanai computantibus, -		2435.
Crantzio - - -		2501.
Jacobo Gislonis - - -		2523.
Claudio Lyſchandro & Joh. Magno -		2531.

Hæc ſi ſeqvamur, graduum paucitate convincimur; ſinguli enim generantes annos circiter CXLII. poſcunt, qvod conſtare nullo modo poteſt. Reliqvarum epocharum nulla ad Tanai ætatem pertingit. Numerentur in genealogiis gradus, dentur in ſingulos aut anni qvadraginta aut triginta, deinde omnes anni in ſummam reducantur, & referantur ad annum nativitatis Chriſti, tum ſecundum neotericorum calculum, qvi à mundi initio ad Chriſtum annos MMMMII. numerant, tum ſecundum Lutheri aliorumqve, qvi in anno mundi MMMDCCCCLXI. ſubſiſtunt. Ita ſæpius memorata illa Bericonis expeditio, ſi in ſingulos gradus ad Theodoricum Oſtro-Gothorum Regem, qvi ab eo qvatuordecim generationibus diſtat, qvadraginta anni expendantur, vendicat ſibi,

ſecundum recentium	calculum, ann. mundi	3897.	ante Chriſt.	105.
ſecundum Lutheri		3856.		105.

Si in ſinglas harum qvatuordecim generationum, qvæ inter Bericonem & Theodoricum Regem interſunt, triginta annos computemus, famoſus ille Gothorum ductu Bericonis in Pruſſiæ littora tranſitus reqvirit

ſecundum recentium	calculum,	4037.	poſt	35.
ſecundum Lutheri	ann. mundi	3996.	Chriſt.	35.

Epocha fundati regni Gothici, ex Meſſenii Chronico Rhythmico Svecico, incipiens ab Eirico, primo Gothorum Rege, ſi XXXIV. ſucceſſiones, qvæ ab eo ad Olaſum Skautkonungum, anno Chriſti DCCCCLXXXII. ut videtur, natum, factæ ſunt, cum temporibus conferantur, denturqve ſingulis qvadraginta anni, ſibi vendicat,

ſecundum recentium	calculum,	3625.	*ante*	378.
ſecundum Lutheri	ann. mundi	3584.	*Chriſt.*	378.

Si vero in ſingulas ſucceſſiones XXX. *anni expendantur,*

ſecundum recentium	calculum,	3965.	ante	38.
ſecundum Lutheri	ann. mundi	3924.	Chriſt.	38.

Johannes Lyſchander, Aventini calculum ſecutus, refert initia originemqve regni Gothorum

in Scania,	ad annum mundi	2257.	ante	1704.
ad Iſtrum,		2485.	Chriſt.	1476.

Jornandes regni Gothici exordium initiaqve refert, prout illius verba ſenſumqve exhibet editio

Amſtelodamenſis,	ad ann.	3201.	ante	760.
Lugdun. in margine,	mundi	3471.	Chriſt.	490.

Ex his tam diverſis, ſibiqve tanto intervallo repugnantibus traditionibus cui potiſſimum accedam, parum ſcio. Pleræqve enim ex uno fundamento, ab externis ſcriptoribus mutuato, exſtructæ ſunt; nimirum qvod Gothi antiqviſſimis temporibus ex Scantzia profecti Amazonibus

bus in Scythia deinde originem dederint; qvas antiqviſſimis ſeculis vixiſſe, inter omnes in confeſſo eſt. Eò tamen mens inclinat, ut periodum imperii Gothorum mille & trecentis annis computem, auctoritate editionis Elſevirianæ, illiusqve initium ad annum ante Chriſtum natum DCCLX. referam, ita ut cum Româ fundatâ concurrat.

Hic nonnihil mihi adverſari video *Philippum Cluverium*, multæ lectionis virum; qvi, præterqvam qvod Gothos, contra vetuſtorum recentiumqve ſcriptorum fidedigna aſſerta, Scandiæ penitus detrahit, ſatis eo nomine ab eruditiſſimo *Stiernhielmio* refutatus, Filimeris qvoqve migrationem ad M Aurelii Antonini Philoſophi tempora refert German. Antiqv. lib. III. Cap. XXXIV. pag. 632. *Qvo tempore*, ait, *vel prima illa Gothorum pars, duce Filimero, vel altera poſtea, duce Faſtida, à Viſtula profecti ſunt, parum in certo ponit Jornandes. Filimerum tamen longè ante Faſtidæ ævum ſuos ad Mæotim deduxiſſe, patet ex eo, qvod ante Oſtrogothum, ſub cujus imperium Faſtida demum, debellatis domi Burgundionibus, in Daciam pervenit, qvinqve nominantur ab Jornande, præter Filimerum reges.* Et mox: *Sed profectionis Gothorum* (illorum qvi Filimere duce patriam reliqverunt; de his enim loqvi Cluverium, contextus evidenter monſtrat; non de illis, qvos, poſterius emigrantes, Faſtida duxit, Claudio Imperatori æqvalis,) *è patriis ſedibus, adventusqve in Daciam, certiorem puto haberi poſſe ex aliis auctoribus hiſtoriam.* Hinc Jornandis auctoritate aſſerit Gothos iſtos anni ſpatio ex patriâ ſua in Daciam migraſſe; additqve: *factum id eſſe qvinqvaginta circiter annis poſt Taciti ævum ſub M. Aurelio Antonino* (Philoſopho) *imperatore.* qvod iterum ex Dionis hiſtoria probare allaborat.

Ego id qvod Cluverius ex adductis memoratorum ſcriptorum locis concludit, inde colligere neqveo. Et Filimeris qvidem egreſſum nimium ab eo deprimi, tum Regum ſeries ad Faſtidam, qvi poſt Filimerem qvintus à Jornande nominatur, tum etiam generis, ab Aurelii Antonini Philoſophi tempore, qvi anno Chriſti CLXI. Imperator factus eſt, ad captivitatem Vitigis, qvæ in annum Chriſti DXL. incidit, in tanta temporum brevitate arguit. Decem tantum generationes ab Oſtrogotho, qvi anno CCL. ſub Philippo Arabe, Faſtidæ æqvalis, tranſito Danubio, Mœſiam Thraciamqve vaſtavit, ad Mathaſventam Vitigis uxorem interfluxerunt, ſpatio annorum circiter CCLXX. (natam enim ponimus anno Chriſti DXX.) ſingulæ annos circiter XIX. reqvirunt. Faſtidæ & Oſtrogotho Antoninus Philoſophus vetuſtior eſt annis LXXXVIII. qvibus qvinqve Reges à Filimere floruiſſe Cluverius ſtatuit, qvi eâ ratione nimiis annorum anguſtiis hìc premitur, & ægre rationes ſuas conficit. Non igitur in Antonini tempora Filimerem detrudendum exiſtimo, ſed pro graduum ſpatio a Mathaſventa ad Oſtrogothum, periodoqve qvinqve Regum, qvi eum & Filimerem intercesſerunt, tempora dimetienda eſſe. Qvindecim gradus in univerſum reſultant. Horum periodum ſi pari ſpatio metimur, CCCCL. anni conflantur; qvibus ab anno Chriſti DXX. ſubductis, Filimer in annum Chriſti circiter LXX. captis Hieroſolymis celebrem, referendus erit. Poterit etiam ad æræ Chriſtianæ initium exaltari. Sex inde generationes à Bericone reſtant; ſi ſecundum Rudbeckii methodum ſingulæ, ut pote æra Chriſti antiqviores, XL. annos nanciſcantur, CCXL. annnos expoſcunt; à qvibus ſi LXX. auferas, annus CLXX. ante Chriſtum Bericonis æræ vel expeditionis

ca-

capax ſe offert: & ſi Filimerem ad nativitatem Chriſti transferamus, annus ante Chriſtum CCXL. Nec video qva ratione ſive Bericonis, ſive Filimeris ætas altius elevari poſſit, ſi genealogiis à Jornande traditis fidem habeamus. Verum ego in illis ingentem hiatum lacunamqve deliteſcere ſuſpicor. Certe Gothos ante Odini collegarumqve illius adventum in ſeptentrionem, hiſce terris exiiſſe, validè ex eo concluditur, qvod numinum illorum nulla in Gothicarum rerum ſcriptoribus mentio fiat. Nec literarum myſteria, ab Odino, ut antea diximus, in ſeptentrionem invecta, Gothis Iſtrianis aut Italicis, Theodorici Regis tempore innotuerunt, qvæ tamen ſingula majores eorum ſecum exportaſſent, ſi hic antè emigrationem illorum, in uſu fuiſſent; Sed de hac re ſatis.

Ceterum varias Gothorum è Scandia migrationes nobis exhibet *Trithemius*, & primam qvidem ad annum mundi MMMDCXXXIV, ante Chriſtum natum CCCXIV. *Gothi*, inqvit, *ex Scandia anno Dioclis Ducis Francorum duodecimo egrediuntur, vaſtantqve Germaniam. Germaniæ Reges & Saxonum Doringorum, Teutonum, Rugiorum, & Diocles Dux Francorum, exercitu millium CCLX. vincunt Gothos occiduntq; ad centum millia.* Item: *Anno MMMDCCCLXXXVIII. ante Chriſtum LX. Caſſander Sicambrorum Rex, cum annos XXI. regnasſet moritur. Hic Gothos, qvi iterum è Scandia in Germaniam eruperant, auxilio Doringorum vicit & repulit.* Adhuc: *Anno mundi MMMDCCCCXXV, ante Chriſtum natum XXIII. Francus Sicambrorum Rex, cum Gallorum ferociam repreſſiſſet, & parentis necem ultuseſſet, anno regni tertio à Saxonibus una cum Doringis evocatur contra Gothos, qvi è Scandia in Saxoniam eruperant, eamqve miſere vaſtabant.* Nec minus Gothos poſt Chriſtum natum Scandiâ emigraſſe tradit, his verbis: *Anno*

mundi

mundi MMMMXL. poſt Chriſtum XCI. Richimeri anno XII. Gothi ex Scandia iterum fines Saxonum vaſtant, contra qvos Widekind Rex Saxonum & Hermantrud Rex Doringorum & Richimer Rex Francorum, ex antiqvo fœdere exercitum educunt, Gothosqve vincunt, occiſis viginti millibus. Hæc Trithemius. Cujus tamen circa hæc tempora fides non parùm fluctuat, qvippe qvi ſua hæc debet Hunibaldo, ſcriptori, ut docti omnes judicant, vel nugaciſſimo vel penitus ſuppoſititio. De Trithemii fide qvicqvid hac in parte ſtatuatur, id ni fallor irrefragabiliter probavimus, vetuſtiſſimam, de qvâ conſtat, Scandianorum noſtrorum in orientem emigrationem longè inferiorem eſſe Tanai Amazonumqve temporibus: imò tam recentem, ut de ſeptentrionis populorum vetuſtate exiguum, de ingenti illa, qvæ iis vulgo aſcribitur, antiqvitate nullum omnino argumentum ex eâ peti poſſit.

CAPUT X.

Qvo Hibernicæ antiqvitates expenduntur, aſſeriturqve, nil certi de ſeptentrionalium gentium vetuſtate ex iis concludi poſſe.

Ita, ni fallor, reſponſum eſt iis, qvæ ex oriente adverſus nos depromi poſſunt argumentis. Sed erunt fortè, qvi ex viciniore nobis Hibernia auxilia petent, qvibus ingens illa ſeptentrionalium populorum vetuſtas ſuſtineri qveat: *A profundiſſima* autem *antiqvitatis memoria hiſtorias ſuas auſpicantur* Hiberni, *adeo ut præ illis omnis omnium gentium antiqvitas ſit novitas & qvodammodo infantia*; uti verè dicit *Camdenus* in Deſcript. Hibern. Et niſi perperam judicet

dicet *Rodericus O-Flaberty.* Proloqvii in Ogygiam ſuam pag. 34. *nuſqvam gentium alia natio antiqvitatum ab omni ævo obſervantior, exactius chronographias, genealogias, ſtemmatographias, majorum facta, propagationem, ditionum terminos, jura & omnem demum antiqvitatem cuſtodiit.* Imò nulla gens tantæ auctoritatis monumenta proferre poteſt, ſi vera ſunt qvæ citato loco ſcribit memoratus *O-Flaberty*: *Scoti*, inqvit, (Hibernos ita veteres vocarunt) *Scytharum progenies, vetuſtatem nominis, à majoribus hauſtam, in poſteris ſummâ obſervantiâ perennârunt; qvibusdam ad hoc deſtinatis in ſingulis ditionibus antiqvariorum familiis, opibus, prædiis ac honoribus remuneratis, qvi hujusmodi monumenta novis ſucceſſibus augebant, ſingulis ſeptenniis conferebant, in conſeſſibus publicis Doctorum examinabant, & judicum arbitrio corrigebant, nihil reliqvum facientes, qvod ad veritatis notitiam humanâ fide qvis poſſet deſiderare.* Nos omiſſis iis, qvæ de rebus in Hiberniâ ante univerſale diluvium geſtis annales eorum habent, utpote nihil ad nos pertinentibus, nec apud qvemqvam ſanæ mentis fidem inventuris, ea ſaltem ex remotiſſimis eorum antiqvitatibus ſeligemus, qvæ ſeptentrionales haſce terras qvoqvo modo ſpectant.

Primò autem ſeſe Partholanus offert, octo gradibus à Japheto linea deſcendente diſtans; qvem anno mundi MDCCCCLXIX. poſt diluvium univerſale CCCXII. in Hiberniam colonias adduxiſſe tradunt: E Scandiâ, gentium officina, eum accerſit *Daniel Langhornius*, *Nennii* & *Giraldi Cambrenſis* auctoritatem allegans. In eadem forte opinione fuit *Rodericus O-Flaberty*, Ogyg. Part. I. pag. 7. eorum aſſertionem improbans, qvi Partholanum ex Macedoniâ in Hiberniam veniſſe tradunt.

Partholani ex fratre Tatio pronepos fuiſſe perhibetur

tur Nemethus, qvi anno mundi MMXXIX. in Hiberniam cum coloniis venerit; qvem ſimiliter Scandiâ egreſſum *Langhornius* ſtatuit.

Antiqviores Nemetho, imo ipſo Partholano vel æqvales vel tempore priores fuiſſe volunt Fomorios, gentem Hibernis terribilem. Hos *O-Flaherty* Ogyg. Part. I. pag. 12. à Partholani tempore ad annum mundi MMMCCCLX. Hiberniam ex iisdem locis infeſtaſſe ait, unde Dani multis poſt ſeculis in eandem terram irruerunt: & pag. 13. eosdem Fomorios, ex eodem qvo Dani, Sveci & Norvegi tractu, catervatim in Hiberniam transfuſos colligit.

Nemethi pronepotem fuiſſe ajunt Ibathem, qvi anno mundi MMCCXLV. vixerit, progenueritqve Danannas, gentem ita dictam. Danannas iſtos, patriâ profugos, in Græciam abiiſſe tradunt, ibiqve magicas artes didiciſſe: mox in Scandiam & Boreales Europæ partes, qvà Norvegia Svedia & Dania patent, transgreſſos, urbes ibi incoluiſſe Faliam, Goriam, Finniam & Muriam: hinc in Aqvilonarem Britanniam trajeciſſe, indeqve anno mundi MMDCCXXXVII. Duce Nuado Argentimano, ab Ibathe ſeptimo, in Hiberniam irrupiſſe.

Scotos Venerabilis *Beda* ex Scythia in Septentrionales Hiberniæ oras intraſſe tradit. Iſtam Scotorum coloniam alii aſſerunt Mileſios, octo filios Militis Hiſpanici, cum affinibus & agnatis ex Scythia in Hiberniam transtuliſſe, anno mundi MMDCCCCXXXIV. primumqve eorum Regem fuiſſe Herimonem, dictorum Militis filiorum unum, qvo regnante Picti advenerint. Scotos Gothorum Scandianorum prolem eſſe, variis argumentis *Camdenus* aſſerit, qvæ *Langhornius* Antiqvitatum Albionen-

nen-

nenſium p. 309. paucis complexus his verbis exponit:
Illi (*Scoti*) nomine vernaculo Gajothel, eorum lingva „
Gajothlac appellantur; qvæ duæ voces à Gothorum no- „
mine haud multum abludunt. Et nomen Gatheli, „
qvo ſe ortos jactitant, à Gothila, uſitatiſſimo Regum „
Gothicorum nomine, qvàm parum diſcrepat? Inter „
utriusqve gentis lingvas, mores, veſtes, arma, qvan- „
ta affinitas & ſimilitudo? Ipſi ſuos majores partim è „
Scythia cum Nemedi, partim ex Hiſpania cum Ga- „
theli poſteris veniſſe in Hiberniam fatentur: Gathe- „
lum vero Phænii nepotem cùm ſuis è Scythia (ſcili- „
licet Germania, qvæ Scandia eſt) in Hiſpaniam tran- „
ſiiſſe, (lepida intertexta de filiâ Pharaonis Ægyptii, „
Scotâ nomine, fabella,) Nennius atqve alii prodide- „
runt. Scythas qvoqve in Hiſpania conſediſſe oſten- „
dit Poeta, ita de Maſſagetica Concanorum gente ca- „
nens: „

Et qvi Maſſagetam monſtrans feritate parentem „
Cornipedis fuſa ſatiaris Concane vena. „

Et alibi: „

— *Sarmaticos attollens Suſana mores.* „

At Gothos magnam Sarmatiæ partem incoluiſſe „
conſtat, à qvibus ipſam Sarmatiam dictam eſſe Scy- „
thiam colligere eſt. Unde in Hiſpaniam per mare „
Balthicum cum Scandianis navigare poterant. Sive i- „
gitur Nemedianos ſive Gathelianos reſpicimus, Scy- „
thæ Gothici Scotorum veri patres habendi fuerint. „
Et Thomas Valſinghamus ſicut à Getia Getas, Geti- „
cos, Gothos, Gothicos, ita à Scythia Scythas, Scythi- „
cos, Scotos, Scoticos deducit. Herodotus Scythas „

„ in univerſum Scolotàs nuncupatos ſcribit; unde Sco-
„ torum nomen facilè contrahi potuiſſe Seldenus arbi-
„ tratur. Certe Scotos olim, qvandocunqve rebus ſuis
„ maxime metuerent, Scandianorum opem implorare
„ ſolitos atqve à Romanis Albione eliminatos, partim
„ in Hiberniam, partim in Scandiam ſe recepiſſe, Britan-
„ nici pariterqve Scotici Scriptores retulerunt; qvod
„ qvandam patrum primorum, patriæqve priſtinæ re-
„ cordationem, haud obſcure indicat. Ac proinde mare,
„ Britanniam atqve Hiberniam interluens, Scythicæ (ſi-
„ ve Gothicæ) Scotorum, Hiberniam incolentium origi-
„ nis reſpectu, Gildas Vallem Scythicam nuncupat.

Pictos ſimiliter ex his terris arceſſit *Langhornius*, illosqve ex eâ majoris Germaniæ parte profluxiſſe vult, unde Gothi & Dani oriundi: qvæ hodie Dania, Daniam Sveciam & Norvegiam complexa, olim Scythia citerior & borealis dicta ſit. Factum id eſſe traditur tempore, qvo Herimon, primus Scotorum Dynaſtiæ Rex, in Hibernia regnaverit ab anno mundi MMDCCCCXXXV. ad annum MMDCCCCXLVIII. mille circiter annis ante caput æræ Chriſtianæ, Salomone Hieroſolymis regnante. *Hector Boethius* Pictos ex hiſce terris primo exiiſſe ſimiliter ſtatuit, ſed emigrationem illam ad longè inferiora tempora refert, qvippe qvam factam eſſe innuit paulo ante annum mundi MMMMDCCCLXVII, qvi, juxta ejus calculum, æram Chriſtianam annis CCCXXXII. antevertit. Nunc noſtram de relationibus iſtis ſententiam proferemus.

Partholanum qvod attinet, nobis annus qvo Hiberniam acceſſit, coloniasq; eò tranſtulit, certior haud videtur

tur regione unde venerit, qvam qvidam, uti dictum, Scandiam, alii Macedoniam fuiſſe contendunt. Et certè res ita ſe habere videtur: Rudioribus ſeculis plurimis nationibus origines ſuas, qvò auguſtiores apparerent, à Trojanis vel Græcis mutuari placebat. Eum Hiberni morem ſecuti, Partholanum huncce è Macedoniâ evocârunt; Qvod cum ſagaciores ineptum eſſe poſtea viderent, de aliâ propinqviori patriâ ei providere volentes, Scandiâ eum exiiſſe tradiderunt.

Idem de Nemetho dicendum. Ex Scythia illum non Scandiâ, in Hiberniam veniſſe, Scriptoribus Hibernicis vulgò creditum: & qvidem longa ac difficili navigatione per anguſtias freti ab oceano Boreali in Caſpium mare penetrantis; hinc è Caſpio mari per intermedios ſinus in Euxinum pontum: inde emenſis à dextra montibus Riphæis, Europam à lævâ legendo Hiberniam attigiſſe, qvæ navigatio qvam ſit fabuloſa, omnes vident, & ipſe *O-Flaherty* Ogyg. pag. 7. demonſtravit. Recentiores itaqve, ne Nemethus *iſte fictitius planè putaretur,* non ſecus ac de Partholano *conjecturam fecimus,* viciniorem magisqve credibilem *patriam ei dederunt*; qvam Hibernos illos unqvam aluiſſe, nos prius non credemus, qvam proborum vetuſtatis ſcriptorum teſtimoniis id firmari viderimus.

De Fomoriis & Danannis, omnia ſimiliter incerta, multa penitus fabuloſa nobis apparent. Nec facilè tam accurata rerum adeo vetuſtarum memoria conſervari potuit ſine adminiculo literarum, qvas Hiberni longè ſerius, cum Chriſtiana religione didiciſſe videntur, qvicqvid in contrarium ſtatuant *O-Flaherty* in fine proloqvii ad Ogygiam, aliive; qvi eos multis ante Chriſtum natum ſecu-

 lis

lis literarum uſum habuiſſe, perſvadere conantur, fidem tum demum inventuri, ubi probum ejusmodi monumentum, vel genuinæ antiqvitatis eâ de re teſtimonium protulerint.

Hic opportunè mihi in mentem veniunt ea, qvæ in præfatione ad Antiqvitates Hiberniæ ſcripſit vir genere & doctrina nobilis, *Jacobus Varæus*: Perexiguam, „ *ait*, ſupereſſe notitiam rerum in Hibernia geſtarum, „ ante exortam ibi Evangelii auroram, liqvidò conſtat. „ Neqve me latet à viris nonnullis doctis, pleraqve, qvæ „ de antiqvioribus illis temporibus, ante adventum S. „ Patricii in Hiberniam, à ſcriptoribus traduntur, „ tanqvam figmenta eſſe exploſa. *Addit porro Waræus*: „ Notandum qvidem deſcriptiones fermè omnium, „ qvæ de illis temporibus (vetuſtioribus dico) extant, „ opera eſſe poſteriorum ſeculorum.

De Scotis Pictisq; ex ſeptentrionalibus hiſce terris prodeuntibus, nos nulli litem movebimus. Tempus ſaltem exitus eorum deprimendum eſſe putamus. Etenim veriſimile non eſt, Boream noſtrum tum temporis hominibus ita abundaſſe, ut coloniis emittendis par fuerit. Nec navigandi artem, tantæ multitudini transferendæ neceſſariam, noſtri eâ ætate ſatis calluiſſe videntur: qvæ omnia libri hujus Cap. VII. prolixius diſcuſſimus. Cui nunc addimus ea, qvæ de navigationibus veterum commentatur *Sheringhamus* Not. ad Cap. XVI. Diſcept. de Orig. Angl. pag. 437. Joſephus, *inqvit*, „ Scaliger cum aliis viris eruditis propter nominis in „ Hebræo ſermone convenientiam, Erythram Regem,

(*qvem antiqvi navigandi artem inveniſſe tradunt*) Edo- „
mum Jacobi fratrem fuiſſe affirmat. Mihi autem hoc „
non ſit veriſimile. Certe Moſes, ſi ars navigandi ab „
Hebræis inventa eſſet, in honorem cognatæ gen- „
tis id retuliſſet. Navigia potius nulla, qvibus in „
mari rubro, aut magnis fluminibus navigaretur, „
Moſis ætate extitiſſe arbitror, cum is navigiorum „
nullam uſpiam facit mentionem. Nunqvam por- „
ro Hebræi Jordanem tranſituri miraculum expectâſ- „
ſent, ſi navigia ad ripas ejus aut aliunde comparari „
potuiſſent; nec opus erat ut Deus miraculum ede- „
ret, cum facilè poterant conqviſitis navigiis, ſine „
miraculo trajeciſſe. Maximam enim Transjordanæ „
regionis partem devicerant, qvâ plurima ſunt flumi- „
na, torrentes, lacus, ex qvo fluvius Jabboc, cujus „
mentio fit Deut. 3. 16. Jordani fluvio commiſce- „
tur. Poterant ab his ſatis navigiorum ſurripuiſſe, ſi „
ea tempeſtate in uſu fuiſſent, cum ad pontem facien- „
dum paucis admodum navigiis opus ſit. Hactenus
Doctiſſimi Sheringhami verba; qvibus ſubjungere libet ea, qvæ de exterorum in Hiberniam migrationibus ſcripſit antelaudatus *Jacobus Waræus*, qvibus noſtræ ſententiæ, ſuperius prolatæ, non leve robur addit. Ita ille, poſtqvam origines gentis ſucceſſionesq; expoſuiſſet, Antiqvit. Hibern. Cap. II. ait: Immigratio- „
num Partholani, Nemethi, ac demum trium filio- „
rum Militis Hiſpani cum CXX. ciulis (navibus ita „
dictis) meminit Nennius. Sed Partholanum & ſuos „
peſte aſſerit extinctos; Nemethum in Hiſpaniam re- „

„ diiſſe, & Militis filios manſiſſe ibi per ſpatium unius „ anni. Ex Nennio rectè colligit Doctiſſimus Camde- „ nus horum immigrationes ex profunda illa antiqvi- „ tate, qvam fabulantur, in recentiora tempora retra- „ hendas. Nec eſt cur miremur. Res etenim priſco- „ rum ſeculorum, velut qvæ magno ex intervallo loci „ vix cernuntur (ut recte Livius) vetuſtate nimia eſſe „ obſcuras, etiam ſæpè prorſus ignotas, è doctis qvis „ neſcit? Et ne longè digrediamur, conſtare videtur, „ pene omnia, qvæ de vetuſtis rebus Britannicis ante „ Cæſaris tempora à Galfrido Monumethenſi tradun- „ tur, ne dicam fictitia eſſe, certe ſpiſſis tenebris ob- „ ducta. In his porro qvæ deſumta ſunt ex hiſtoriis „ Hibernicis de Gentis origine, falſa veris mixta æ- „ qvo Lectori ſatis liqvet. *Et multis interpoſitis.* Deſig- „ nare tempus exactum, qvo Hibernia primum habi- „ tari cœperit, non eſt cur qvis à me expectet. Re- „ rum antiqvarum initia, niſi qvæ ex ſacris ſcripturis „ hauſimus, plerumqve admodum incerta eſſe non igno- „ tum. Cæterum ut veriſimile eſt & valde probabile „ primos ejus incolas è Britannia appuliſſe, proximâ „ nempe inſula, & à tenuibus, ut fit, initiis pedetentim „ novas inde colonias, puta Brigantes, &c. Hiberniæ „ partes qvasdam orientales (Britanniæ proximas) oc- „ cupâſſe, ita etiam non negandum alias nationes co- „ lonias poſtea in Hiberniam miſiſſe, licet de exacto „ tempore nihil ſuperſit.

De Scotorum coloniâ, à Mileſiis fratribus in Hiberniam transportatâ, notari præterea merentur, qvæ ſcribunt

Lang-

Langhornius & *Camdenus:* nempe fratres illos, coloniæ duces, Hiberniæ partem beneficio Gurguntii, Britanniæ regis, habitandam accepiſſe. Gurguntiū autem fuiſſe vulgò volunt filium Belini, fratris Brenni, Gallorum Senonum Ducis, ejus qvi Romam cepit anno mundi MMMDLXIII. ante natum Chriſtum CCCLXXXV. ſecundum *Calviſium*. Id qvod cum anno mundi MMDCCCCXXXIIII. qvo alii, uti ante dictum eſt, Scotos fratribus hiſce ducibus in Hiberniam veniſſe ſtatuunt, neutiqvam concordat, parum autem differt à tempore ingreſſus Pictorum in Hiberniam, ſecundum opinionem *Langhornii*; qvi poſtqvam univerſam Fordoni de Pictorum Regibus Chronologiam, qvam accuratiſſimè examinaſſet, hæcce ſcribit Elencho Antiqvit. Albion. pag. 307. Pictos in Albione regnaſſe per an- „ nos mille centum & eo plures Johannes Fordonus, per „ annos mille & ſeptuaginta (& juxta nonnullos mille tre- „ centos ſexaginta) Ranulphus Ceſtrenſis, per annos mille „ centum & unum ſupra ſeptuaginta Boethius, ultra octin- „ gentos annos Johannes Major prodidit. Nos in tanta „ ſcriptorum diſſenſione eo potiſſimum inclinamus, ut „ Pictos in Hibernia, ac deinde in Albania, ab initio „ Cruithnei Cameloni, mille centum ſeptuaginta qvin- „ qve, in Albania ſola, ab adventu Roderici, ſeptingentos ſe- „ xaginta qvatuor annos, usqve ad annum octingenteſimū „ triceſimum nonum, qvo ultimus eorum Rex Druſco „ juxta Fordonum & Boethium occubuit, regnaſſe cen- „ ſeamus. Occiſus autem eſt Druſcus anno DCCCXXXIX. unde ſeqvitur, initium regni Pictorum figendum eſſe in anno ante caput æræ Chriſtianæ CCCXXXVI. qvod iterum eorum aſſerta deſtruit, qvi Pictorum in Hiberniam migrationem

tionem mille circiter annis ante Chriſtum natum contigiſſe volunt.

Apparet *itaqve* parum præſidii in Hibernorum antiqvitatibus inventuros ingentis illius ſeptentrionalium populorum antiqvitatis aſſertores.

Ceterum illa, qvæ de noſtrorum emigrationibus libro hocce tam prolixè diſputavimus, eò omnia tendunt, ut appareat cuivis, nil ferè ſolidi de ſeptentrionis rebus conſtare, ante Odini Upſalenſis adventum; certe nullam rerum ſeriem illo vetuſtiorem monſtrari poſſe. Ab eo autem, uti *in* calce capitis IV. pag. 148. ſuperius diximus, certior ſeptentrionalium rerum notitia Regumqve ſeries incipit. Qvæ qvalis apud Danos fuerit, eâ qvâ poſſumus diligentiâ ſeqventi libro exponemus.

THORMODI TORFÆI
SERIES DYNASTARUM ET REGUM DANIÆ.

LIBER III.
De Catalogo ſeu Serie Dynaſtarum Regumqve Daniæ.

CAPUT I.
De fundamentis, qvibus integer hicce liber ſuperſtruitur.

Primo operis noſtri libro monumenta illa, qvibus tota vetuſtioris ſeptentrionis hiſtoria innititur, prolixè ſatis depromſimus, atqve de eorum nonnullis judicium noſtrum tulimus. Secundo tempus inveſtigavimus, à qvo ſolidior ſeptentrionalium rerum notitia regnantiumqve ſeries initium ſumunt. Tertio hocce libro ipſum Dynaſtarum Regumqve, qvi Regni Danici ſceptra ſum-

mâ cum poteſtate geſſerunt, ordinem exhibebimus; prout hic nobis viam monſtrant Islandorum monumenta, qvorum hac in re auctoritatem maximi, uti ſuperius dictum, ponderis eſſe arbitramur.

Extant autem in perantiqvo codice pergameno, (qvem una cum aliis remotioris ævi monumentis Bibliothecæ Academicæ Hafnienſi legavit beatæ memoriæ Petrus Reſenius, in curia urbis Hafnienſis Præſes qvondam dignisſimus, antiqvitatum ſeptentrionalium egregius fautor & conſervator,) Dynaſtarum Septentrionalium ſeries aliqvot: Una earum Regum Daniæ eſt, ab Odino uſqve ad Knutum Magnum, Daniæ & Angliæ Regem, *Sveni Admorſæ* barbæ, vulgo Tiuguskeggi, filium; & *altera* Regum *Sveciæ* ab eodem Odino uſqve ad *Norvegiæ Regulos*, *Haraldi* Pulchricomi, primi *terræ illius Monarchæ*, majores. Easdem Daniæ & Sveciæ Regum Series eodem modo continet membrana admodum vetuſta, qvam poſſidet & nobis communicavit Arnas Magnæus, amicus noſter inſignis. *Langfedgatal* vulgò appellari ſolent *iſti Dynaſtarum* Catalogi, & à *Verelio* in Notis ad Hervoræ hiſtoriam non ſemel adducuntur. Habetur inſuper in Bibliothecæ Regiæ codice membranaceo (qvi ab Occidentalis Islandiæ inſulâ, *Flatey* dictâ, ubi aliqvando conſervatus eſt, vel verius delituit, *Flateyenſis* vulgò nominatur) opuſculum, qvod *Origines Norvegicas* appellare ſolemus: inibi ſimiles Daniæ Sveciæqve Regum Series leguntur. Tandem *Snorrius Sturlæus* in Chronico ſuo Norvegico antiqviſſimos Sveciæ Reges enumerat, ordine eodem ac in prædictâ Regum iſtorum Serie recenſentur. Et ecce Serierum iſtarum ſchemata:

Vetuſtis-

Vetuſtisſimorum Daniæ Regum
Series, ex antiqviſſimo monumento Islandico, Langfedgatal *dicto, deſcripta.*

Odinus.
Skioldus filius ejus.
Fridleifus filius ejus.
Frodius Pacificus filius ejus.
Fridleifus filius ejus.
Havar Manufortis filius ejus.
Frodius filius ejus.
Vermundus Sapiens filius ejus.
Olafus Manſvetus filius ejus.
Danus Magnanimus; ab eo Dania nomen accepit.
Frodius Tranqvillus filius ejus.
Fridleifus filius ejus.
Frodius Vegetus filius ejus.
Ingialdus Starcadi alumnus, filius ejus.
Halfdanus frater ejus.
Helgius & Hroar filii ejus.
Hrolfus Krakius Helgii filius.
Hrærecus Hnoggvanbaugius, filius Ingialdi Starcadi alumni.
Frodius filius ejus.
Halfdanus filius ejus.
Hrærecus Slongvanbaugius filius ejus.
Haraldus Hilditann filius ejus.
Sigurdus Hringus.

Ragnar Lodbroch filius ejus.
Sigurdus Angvioculus filius ejus.
Haurda Knutus filius ejus.
Gormus Grandævus filius ejus.
Haraldus filius ejus.
Svenus admorſæ barbæ filius ejus.
Kanutus Dives filius ejus.

Valdar Munificus filius erat Hroaris Helgii filii.
Haraldus filius ejus.
Halfdanus Diſertus filius ejus.
Ivar Vidfadmius filius ejus.
Audur Prædives filia ejus.
Haraldus Hilditann filius ejus (*Auduris*); &
Randuer Radbardi filius.
Sigurdus Hringus filius ejus.

Anti-

Antiqvisſimorum Daniæ Regum genealogiæ binæ, deſumtæ ex Originibus Norvegicis, *qvas continet Codex Regius, vulgo Flateyenſis dictus.*

Prior genealogia.

Skioldus vocabatur filius Odini Aſianorum Regis.
hic erat pater Fridleifi,
patris Frodii Pacifici,
patris Fridleifi,
patris Havardi Manufortis,
patris Frodii,
patris Vermundi Sapientis,
patris Olafi Manſveti,
patris Dani Magnanimi,
patris Frodii Tranqvilli,
patris Fridleifi,
patris Frodii Vegeti,
patris Ingialdi Starcadi alumni,
patris Hrærechi Hnauggvanbaugii, *
patris Halfdani,
patris Hrærechi Slaungvanbaugii,
patris Haraldi Hilditanni.
Frater Haraldi erat Randver pater Sigurdi Hringi.

* *Deeſt hic* Frodius, *Hrærechi Hnauggvanbaugii filius, & Halfdani pater, qvi tamen omnino inſerendus eſt, uti inferius patebit.*

Poſterior genealogia.

Odini filius erat Skioldus.
ejus filius Fridleifus.

ejus filius Frodius Pacificus.
ejus filius Herleifus.
ejus filius Havar Manufortis.
ejus filius Frodius.
ejus filius Vermundus Sapiens.
ejus filia Olufa.
hæc mater erat ** Frodii Tranqvilli.
ejus filius Fridleifus.
ejus filius Frodius Vegetus.
ejus filius Halfdanus.
ejus filius Hroar.
ejus filius Valdar Munificus.
ejus filius Haraldus Grandævus,
ejus filius Halfdanus Diſertus.
ejus filius Ivarus Vidfadmius
ejus filia Audur Prædives.
ejus filius Randver.
ejus filius Sigurdus Hringus.
ejus filius Ragnar Lodbroch.
ejus filius Sigurdus Angvioculus.
ejus filia Aslaug.
ejus filius Sigurdus Cervus.
ejus filia Ragnhildis.
ejus filius Haraldus Rex Pulchricomus.

** *Incuria librarii hic omiſſus eſt* Danus Magnanimus, *qvem procul dubio in hac genealogia, non ſecus ac in priori, comparere voluit auctor. Itaq; ut omnia ſibi conſtent, hic reſtituendum erit*: hæc mater erat *Dani Magnanimi, patris* Frodii Tranqvilli.

Tabu-

Vetuſtiſſimorum Sveciæ Regum Genealogia, deducta ad Norvegiæ Regulos, Haraldi Pulcbricomi majores; ex antiqviſſimo monumento Islandico, Langfedgatal, *deſcripta, collataq; cum* Snorrio Sturlæo, *qvi eandem, ex antiqviſſimo carmine,* Ynglingatal *dicto, deſumtam, eodem modo exhibet, additis ſaltem iis, quæ hic notantur.*

Niordus.

Yngvifreyr.

Fiolner.

Svegder.

Vanlandius.

Visbur.

Domaldus.

Domar.

Dyggvius.

Dagus.

Agnius Skialfæ maritus.

Alrecus. — Eiricus, *ex Snorrio.*

Yngvius. — Alfus, *ex Snorrio.*

Jorundus. — Eiricus. — Hugleicus, *ex Snorrio.*

Aun Grandævus.

***

Egill

***

Egill Tunnicida.

Ottar Vendilcraca.

Adils Upſalenſis.

Eyſteinus.

Yngvarus.

Brautonundus.

Ingialdus Aſtutus.

Olafus Lignarius.

Halfdanus Albipes.

Eyſteinus.

Halfdanus Munificus.

Gudrodus Magnanimus.

Halfdanus Niger.

Haraldus Pulchricomus.

Regum Sveciæ Genealogia, qvam exhibent Origines Norvegicæ, *cum* Langfedgatale *omninò convenit; qvam itaqve hic ſeorſim ponere nihil attinet.*

His

His ſeptentrionis principum Catalogis genealogiisqve, tanqvam filo Ariadnéo per totum huncce librum utar, ſingula, qvantum fieri poteſt, illuſtraturus; Daniæqve Regum ſtemma ac ſucceſſiones cum Sveciæ Regum generationibus perpetuò collaturus, habitâ ubivis ratione ſynchroniſmorum, tum ſeorſim inter ſingulorum Regnorum Dominos, tum inter utriusqve Reges ad ſe invicem.

Magni has genealogias feciſſe *Stephánium*, ex eo colligere eſt, qvod Saxonem ad earum tenorem emendare non dubitaverit, Not. in Sax. pag. 106. Et ut nos illas, Saxonis ejusqve ſectatorum relationibus præferamus, (præter ea qvæ de monumentorum Islandicorum auctoritate libro I. ſuperius dicta ſunt,) ipſe Saxo facit; qvi ex Danorum Regibus in Catalogis illis recenſitis, uſqve ad Hrolfum Krakium præter unum non omiſit, licet diverſum ſervaverit ordinem; imò, qvod ex noſtris hiſce manifeſtum fiet, & ſuis locis, prout res poſtulat, annotabitur, adeo deviaverit, ut nonnullos ſupra Chriſti nativitatem per eum exaltatos videamus, qvi longo poſt Chriſtum natum tempore demum floruerunt: alios ad ſceptra Danica admiſſos, qvi extranei fuerunt, nec ullum inter Regni iſtius Dominos locum merebantur: & qvosdam in ſupremorum Daniæ Regum numerum adſcitos, qvi vectigales tantum reguliqve fuere, licet forte aliqvando Regibus ipſis potentiores. Conſtat enim ex *Hiſtoriâ Hervoranâ* etiam Comites Daniæ, Regibus ſuis aliqvando tributa extorſiſſe. Qvid vero Saxonem ad hiſtoriam ſuam ita digerendam impulerit, libro I. in calce capitis VII. conjectavimus. Poterit etiam in excuſationem illius dici: deceptum eum eſſe veteribus Odis Eddicis, aliisve fabu-

lis

lis, ſine ordine ſuo tempore circumlatis; forte etiam confuſis relationibus Arnoldi Thylenſis (i. e. Islandi), qvem libro XIV. pag. m. 316. Abſoloni Archiepiſcopo familiarem fuiſſe ait, & ab hiſtoriarum notitia commendat: Catalogus veterum Poëtarum, à *Vormio* editus, Arnhaldum Thorvaldi filium vocat, & Valdemari I. Daniæ Regis tempore vixiſſe perhibet. Et reverâ: multa certè Arnoldum illum, poëtam qvantumvis bonum, & in veterum mythologiis, ut credere par eſt (*id enim ad poëticam ejus profeſſionem reqvirebatur*) eruditum, in antiqvitatibus fugere poterant; præſertim cum privatæ ſortis eſſet, nec tanta apud cives ſuos Islandos, gentem tunc liberam ſuiqve juris, auctoritate, ut archiva eorum, tunc temporis admodum rara excutere liceret. *Præterea* indubium eſt, multis in Dania heroibus & Regulis magnifica ſepulcra & grandes tumulos exſtructos eſſe, etiam aliarum nationum hominibus, qvi aut bellum inferentes, aut in auxilium vocati, aut ultro venientes occubuerunt, cujus rei exemplum eſſe poteſt tumulus ille inſignis, qvi in Samo Balthica etiamnum admirationi eſt; qvi, etſi Regia ſepulcra qvoad magnificentiam vel æqvet vel ſuperet, non tamen Regi ulli Daniæ, ſed duodecim athletis extraneis ab Orvar Oddo, viro Norvegico, exſtructus legitur. Iſtiusmodi ſuperba gentilium heröum monumenta, nomen ſepultorum non raro ſervantia, ſi pro Danorum Regum ſepulcris Saxonis ætâte ſumebantur, is eâ ratione facilè decipi, atqve ingentem Regum catervam in hiſtoriam ſuam fruſtra referre potuit. Qvicqvid horum ſit, meritò nobis Saxonem gratulamur, qvod multas vetuſtatis hiſtorias, qvæ temporum incuria apud Islandos interciderunt, nobis conſervaverit, licet earum ſeriem tem-

po-

porumve rationem parum obſervaverit; qvod & ei difficile fuiſſe videtur, qvippe qvi hiſtoriam ſuam ſolidis ſatis fundamentis non ſuperſtruxit.

CAPUT II.

Qvo antiqvisſimorum ſeptentrionis Principum Chronologia continetur.

Sic ſecuturæ de vetuſtioribus Daniæ Regibus diſſertationi fundamenta ſubſtruendo, Regum iſtorum ſtemma & ordinem aliqvomodo monſtravimus, inferius ſingula luculenter expoſituri. Succedet nunc illorum Chronologia; qvæ reliqvo operi præmiſſa, dicendis poſtea præluceat. Sunt autem veterum Daniæ & Sveciæ Regum tempora mutuò ſibi in tantum innexa, ut abinvicem ſeparata concinnè vix digeri qveant. Hinc Sveciæ Regum Chronologiam unà adjiciemus. Labor hicce noſter, qvem, nemine præeunte, primi exantlavimus, ſi abſurditatis tantum vitio careat, qvod voluimus habemus; ceterum ut in ſingularum calculi hujus numerorum veritatem juremus, non eſt qvod qvis à nobis expectet. Etenim, ut qvod res eſt dicamus, in digerendis hoc modo Regum annis, nullius, uti mox diximus, Chronologi veſtigia premimus, non extante qvoqvam, qvi tempora illorum ante nos certis annis alligaverit. Qvæ enim Svaningius aliive Danorum Chronologi in ſimili materia ſcripſerunt, nihil huc pertinent, qvippe ad longè alium, (uti conferre volenti obvium fiet,) aptata regum ordinem, & à noſtris hiſce penitus aliena. Interea ne qvis nos Chronologiam hanc noſtram ex proprio cerebro effingere, ac itaqve fumos hìc vendere ſuſpicetur, ſciendum, noſtrum in illâ adornandâ fun-

damentum eſſe genealogiarum ſeriem, & hominum in illis memoratorum ſynchroniſmos.

Genealogias ſi qvis in Chronologiæ uſum convertere velit, incipiendum ei omnino eſt à certo aliqvo anno, qvo hunc vel illum hominem vixiſſe, indubiè conſtat; ac deinde deſcendentium vel aſcendentium generationum gradus cum tempore conferendi, datis unicuiqve tot annis, qvot ad generationes iſtas perficiendas ſufficere vel omnino reqviri, notiorum temporum genealogiæ monſtrant. Hac ratione, niſi alia impedimenta interveniant, ſatis tutò conjici poteſt, qvem circiter annum huic vel illi genealogiæ gradui adaptare conveniat. Exemplo res clarior fiet. *Haraldum Pulchricomum Norvegiæ Regem, circâ ſeculi IX. medium natum eſſe conſtat.* *Sunt vero ab Haraldo*, ſi maternum illius genus ad Ragnarem Lodbrochem, indeqve per aviæ illius Auduris Prædivitis majores usqve ad Odinum (qvem ab eodem Haraldo nongentorum circiter annorum ſpatio diſtare, æqvè notum eſt) retro computemus, generationes viginti ſex. Harum ſingulis ſi XXXV. annnos dederimus, omnia convenient, & iſtorum Haraldi majorum unusqvisqve ad certa tempora referri poterit. Similiter paternum Haraldi genus à Niordo Sveciæ Dynaſtâ, Odini æqvali, per viginti octo gradus deſcendit, in qvorum ſingulos ſi XXXII. annos computaverimus, nongentorum circiter annorum ſummam conficiemus, & una videbimus qvo circiter anno hic vel ille progenitorum Haraldi vixerit. Hac ratione qvævis vetuſta genealogia certis annis veriſimiliter adaptari poteſt, modo genuina ſit & à graduum defectu immunis; id qvod non difficultèr dijudicari poteſt ex collatione ſtemmatum numeroqve graduum, qvi vel à

com-

communibus principiis ad ejusdem ævi homines, vel à coævis majoribus ad æqvales tempore poſteros deducuntur. Iſte enim ſi valde differat, præſertim in brevioribus genealogiis, vitium alicubi ſubeſt. Si omnia ritè conveniant, genealogiam à fraude alienam, errorisqve immunem cenſere debemus. Non tamen ubiqve ſingulis generationibus æqvè multos annos aſſignare licet; etenim aliqvando hominum ſynchroniſmi, aliave impedimenta id prohibent, qvemadmodum in Sveciæ Regum ſtemmate Aunii Grandævi prodigioſa ætas, atqve cum Daniæ Regibus ſynchroniſmi, nos cogunt, ut qvibusdam gradibus plures qvam univerſalis eorum proportio ſvadet, aliis pauciores annos adſcribamus.

Sæpius talia, niſi diligenter obſervata, chronologiam turbant, & calculum ferè evertunt. Ita in Regum Daniæ genealogiâ circumſpectionem reqvirunt duo rami, qvi à binis Frodii IV. filiis, Ingialdo & Halfdano, deducuntur, ad Hrærecum Slaungvanbaugium alter, alter ad *Audurem Prædivitem*, dicti Hræreki uxorem; unde *Daniæ, Norvegiæ, ut & Sveciæ* Regum ſtemmata deinde fluxerunt. Hrærecus a Frodio IV. qvintus eſt, uxor illius Audur ab eodem Frodio ſeptima. Qvæ differentia qvamvis exigua videatur, ſynchroniſmi tamen intervenientes, plures, easqve non leves difficultates pariunt; qvemadmodum nos hæc & alia iſtiusmodi luculenter poſtea demonſtrabimus.

Sicut autem ſynchroniſmi iſti numeros noſtros aliqvando turbant, ita viciſſim nobis lucem utplurimum præferunt, viamqve monſtrant, cui firma infigamus veſtigia, qvæ ſine illis lubrica forent, nosqve hic divaricantibus qvam rectà incedentibus ſimiliores redderent. Ex re igitur erit, ſingulos eorum diſtinctè annotare, qvi ve-

tuſtiſſimorum Daniæ Regum tempora cum certorum Sveciæ Regum ætatibus connectunt, ut, monſtratis evidenter coætaneis illis utriusqve regni dominis, de reliqvorum temporibus facilius veriſimilem poſſimus facere conjecturam.

Itaqve certorum Daniæ & Sveciæ Regum tempora uſqve ad Ivarem Vidfadmium & Ingialdum Aſtutum ſepties inter ſe ſcriptores noſtri committunt.

Primus illorum Synchroniſmorum verſatur inter Skioldum Daniæ, & Niordum Sveciæ dominos; qvorum uterqve ex Odini comitatu erat, eiqve, uti ex *Edda* & *Snorrio Sturlæo* conſtat, alter vivo, alter mortuo, in Daniæ & Sveciæ regnis ſucceſſerunt.

Secundum nobis idem *Snorrius* in Chronico ſuo ſubminiſtrat, inter Frodum I. Danum, & Freyrem ac Fiolnerem Svecos, qvi nativitatis Chriſti tempore vixerunt.

Tertii Synchroniſmi ſpeciem exhibent Olafus Manſvetus ac Danus, Daniæ Reges, & Domar, Rex Sveciæ, qvi Dani ſororem, teſte *Snorrio*, eandemqve, ut apparet, Olafi privignam, uxorem duxit; etiamſi, ſi noſtro ſtandum calculo, Domar Dano vetuſtior fuerit; imò hoc in puerili adhuc ætate conſtituto obierit; ut eâ ratione magis conveniat, Danum ab hoc ſynchroniſmo excludere, eumqve inter Domarem & Olafum figere, qvorum hic à Skioldo ſeptimus, ille per totidem gradus à Niordo deſcendit.

Qvartum *Snorrio* etiam debemus. Intercedit vero ille inter Halfdanum I. & Olium, Fridleifi III. filium, Danos: & Aunium Grandævum Sveciæ Regem; qvorum hic à Niordo decimus qvartus, ille à Skioldo undecimus, & iſte decimus in linea deſcendente computantur.

Qvin-

Qvintum *Snorrius* adhuc ſuppeditat; qvi verſatur inter Egilem Tunnicidam ac Ottarem Vendilcracam, Svecos, & Frodium Danum; qvi absqve dubio Qvintus eſt, Frodii IV. filius, licet *Snorrius* eum *Vegeti* cognomine inſigniat, qvi inter Frodios Qvartus eſt. Hic notandum, Frodium V. qvinto gradu ab Olafo Manſveto removeri, Ottarem à Domare Olafi æqvali nono; unde neceſſariò ſeqvitur, omnes illos Daniæ Reges, filios, regni *ſucceſſores, in* provectâ admodum ætate procreaſſe; *præſertim* cum *ingens* illud Aunii ævum Svecorum Regum annos hic non parum multiplicet: niſi forte unus aliqvis inter Daniæ Reges, Aunium annis æqvaverit vel ſupergreſſus fuerit, qvod tamen teſtimoniis deſtituti ſtatuere non audemus.

Sextum Synchroniſmum ex unâ parte conſtituunt Adils & Eyſteinus Sveciæ Reges; ex alterâ Helgius, qvi Adilſi, & Hrolfus Krakius, qvi utriqve coætaneus erat. Hæc ex *Hrolfi Krakii hiſtoria* diſcimus, ut & *Snorrio*; qvi Hrolfum regnante Eyſteino cæſum addit: & hi duo *fratres uterini* fuiſſe videntur.

Septimus Synchroniſmus eſt inter Ivarem Vidfadmium, Daniæ, & Ingialdum Aſtutum Sveciæ Reges, qvorum ille hunc ad fatum ſibi accelerandum compulit, Sveciaqve potititus eſt, teſtante *Snorrio* in Chronico ſuo Norvegico.

Hic in Synchroniſmis iſtis, qvi ſeqventem noſtram Chronologiam hactenus non parum ſtabiliunt, recenſendis ſubſiſtere cogimur; cùm prædictus Chronici Norvegici auctor Sveciæ Regum geſta ulterius non perſeqvatur. Interea bene eſt, qvod idem auctor ad Norvegiæ Regum ſtemma tranſiens, illud ab Olafo Lignario, Ingial-

di Aſtuti filio, haud interrupta generis ſerie ad Haraldum Pulchricomum pertexuerit; qvam Norvegiæ Regulorum genealogiam, dum ſubſeqventium Daniæ Regum annos computamus, nos, methodo ſuperius oſtenſâ, ad uſum noſtrum transferemus.

His ad faciliorem ſeqventium intellectum præmisſis, ad ipſam Chronologiam nos nunc convertimus. Invenientur ibi vetuſtiſſimorum, ac maximè hucuſqve controverſorum Daniæ Regum, genealogicâ tabellâ ſuperius pag. 215. exhibitorum, tempora, certis annis alligata: diceturqve diſtinctè, qvo ante vel poſt Chriſtum anno qvisqve natus ſit, qvo æræ Chriſtianæ & ætatis anno regnare cœperit, qvo ſucceſſorem genuerit, qvot annos regnaverit, & deniqve qvo Chriſti ætatisqve ſuæ anno mortuus ſit. Interſerentur ubiqve antiqviſſimorum Sveciæ Regum, ſuperius pag. 216. recenſitorum, tempora, methodo eâdem in certos annos digeſta.

Incipiet vero noſtra hæcce Chronologia ab Aſianorum in has terras transmigratione, qvâ antiqviorem rerum ſeriem in ſeptentrione non dari, ſuperius libro II. ſæpius dictum, ſatisqve, ut credimus, probatum eſt.

Aſiaticæ iſtius coloniæ, prout ex ſuperioribus abundè conſtat, dux fuit Odinus, inſignis magus: Cujus è patriâ ſuâ Syndicâ emigrationem ad annum ante Chriſtum natum LXX. libro II. pag. 105. ſuperius retulimus. Decennium in Ruſſiâ, Daniâ, Norvegiâ, Sveciâ, interjectisqve regionibus ſubigendis conſumſiſſe ponamus, adeo ut anno ante Chriſtum LX. filium Skioldum Daniæ præfecerit.

Skioldum illum in Aſiâ natum ſtatuimus LXXX. ante Chriſtum natum annis; Daniæ regno à patre Odino

no præfectum, anno ante Chriſtum LX. ætatis ſuæ XX. eodemqve anno Fridleifum I. progenerâſſe. Si deinde decennio regnavit, diem ſuum obiit L. anno ante natum Chriſtum, ætatis ſuæ XXX.

Fridleifus I. eâ ratione natus erit anno ante Chriſtum LX. Patri in regno Daniæ ſucceſſerit anno ante Chriſtum L. ætatis X. Frodium Pacificum anno ætatis XXX. genuiſſe ſupponimus, id eſt ante Chriſtum XXX. Vixerit exinde ſeptennio, imperaveritqve XXVII. annis. obiit itaqve anno ætatis XXXVII. ante Chriſtum XXIII.

Frodium Pacificum natum ſtatuimus anno ante Chriſtum natum XXX. Septennem regnum adiiſſe *Saxo* tradit, id eſt, ſecundum noſtrum calculum anno ante Chriſtum XXIII. Fridleifum II. genuiſſe ponimus annos natum XXX. hoc eſt æræ Chriſtianæ anno I. Imperaverit annos LVIII. deceſſeritqve anno ætatis LXV. poſt natum Chriſtum XXXV. *Saxo* eum ætate provectum obiiſſe innuit, & *Rimbegla* (vetuſtus liber) tempore paſſionis Dominicæ ſenem fuiſſe tradit.

Nunc ad Sveciæ Dynaſtas tranſitum facientes, eorum qvoqve ſingulis certos adſignemus annos; ut conjunctim poſiti Chronologiam mutuò illuſtrent.

Niordum Odino in Sveciæ regni gubernatione ſucceſſiſſe ex *Snorrio* conſtat. Et juvenilem ætatem in Aſiâ transegiſſe, ex eo colligitur, qvod Odino ante emigrationem illius obſes datus ſit, & mox inter intimos Conſiliarios adſcitus; unde nihil obſtat, qvominus eum centum annis ante Chriſti nativitatem in lucem editum ſtatuamus; ita ut qvadragenarius fuerit, cum in Odini comitatu huc perveniret, anno ante Chriſtum natum LX. Cum vero poſt exceſſum demum Odini in Svecia im-

perare

perare cœperit, ſinguli autem Odini filii, illo vivo, ſuis qvisqve regnis præfecti fuerint, ad ſceptra Svecica aſcendiſſe eum ſupponimus, anno ætatis ſuæ LXX. ante Chriſtum natum XXX. Decimo octavo ætatis anno Freyrem procreaſſe potuit, qvi eſt ante Chriſtum LXXXII. ut XII. annorum Freyr fuerit, anteqvam Aſia emigraret, potueritqve ſacerdotio inter Aſianos ritè fungi, (fuiſſe enim Sacerdotem *Snorrius* refert). Si Niordum imperaſſe velimus annos X. mortem oppetiit octogenarius, anno ante Chriſtum XX.

Freyrem natum eſſe poſuimus anno ante Chriſtum LXXXII. Succeſſerit patri in imperium anno ante Chriſtum XX. ætatis ſuæ LXII. procreaveritqve Fiolnerem anno ætatis ſuæ XXXIX. ante Chriſtum XLIII. Imperaſſe eum ſtatuimus annos XXX. ut mortuus ſit anno ætatis XCII. poſt Chriſtum natum X. Etenim Sveci illi, perinde ut Dani Frodio, aureæ pacis commoda, inuſitatamqve annonæ ubertatem, qvæ Chriſti nativitatem ſecuta eſt, acceptam retulerunt. Ad nonaginta annos pervenire, nec hodie inſolens eſt, & ego in hac vicinia tantæ ætatis haud paucos novi, qvosdam etiam, prope centenarios.

Fiolnerem natum eſſe conjecimus anno ante Chriſtum XLIII. Succeſſerit patri anno Chriſti X. ætatis ſuæ LIII. Genuerit Svegderem anno ætatis XXX. ante Chriſtum natum XIII. Imperaverit annos IV. deceſſeritqve anno Chriſti XIV. ætatis LVII.

Sic in Septentrionis Regum temporibus digerendis ad Salvatoris noſtri tempora pervenimus. Seqventes nunc videbimus.

Poſt Chriſtum natum primus Daniæ ſceptra adeptus eſt Fridleifus II. Hunc anno æræ Chriſtianæ I. natum

ſu-

ſuperius poſuimus. *Succeſſerit* patri Frodio I. vel Pacifico, anno Chriſti & ætatis ſuæ XXXV. genuerit Havarem Manufortem anno ætatis XXIV. Chriſti qvoqve XXIV. regnaverit annos XII. deceſſerit anno ætatis XLVII. Chriſti XLVII.

Havar Manufortis natus anno Chriſti XXIV. cœperit regnare anno ætatis XXIII. Chriſti XLVII. genuerit Frodium II. anno ætatis XX. Chriſti XLIV. imperaverit annos XII. mortuus anno Chriſti LIX. ætatis XXXV.

Frodius II. natus anno Chriſti XLIV. ſucceſſerit patri anno ætatis XV. Chriſti LIX. procreaverit Vermundum Sapientem anno ætatis XVIII. Chriſti LXII. regnaverit annos XVIII. deceſſeritqve anno Chriſti LXXVII. ætatis XXXIII.

Vermundum Sapientem, natum anno Chriſti LXII. regno admotum ponimus anno Chriſti LXXVII. ætatis XV. Olafumqve Manſvetum eodem anno genuiſſe. Si annis XLIII. regnaſſe velimus, deceſſit anno Chriſti CXX. ætatis LVIII.

Olafus Manſvetus natus anno Chriſti LXXVII. *cœperit* regnare anno *Chriſti* CXX. ætatis XLIII. genuerit Danum Magnanimum anno ætatis XLIX. Chriſti CXXVI. regnaverit annos XXVI. deceſſeritqve anno Chriſti CXLVI. ætatis LXIX.

Nunc ad Sveciæ Reges redibimus.

Primus in Svecia poſt Chriſtum Svegder regnavit; natus, uti ſupra poſuimus, XIII. annis ante Chriſtum. Ad ſceptra admotum ponimus anno poſt Chriſtum XIV. ætatis illius XXVII. genuerit Vanlandium anno Chriſti XVI. ætatis XXIX. regnaverit annos XX. deceſſeritqve an-

no Chriſti XXXIV. ætatis XLVII. De annis illius id ſolum traditur, qvod qvinqvennium immoratus ſit itineri Scythico, ad qværendum Odinum inſtituto, & qvod redierit, iterumqve eò profectus fuerit.

Vanlandius anno poſt Chriſtum XVI. natus, patri ſucceſſerit anno Chriſti XXXIV. ætatis ſuæ XVIII. genuerit Visburem anno ætatis XXII. Chriſti XXXVIII. regnaverit annos XIV. mortuus anno Chriſti XLVIII. ætatis XXXII.

Visburem anno Chriſti XXXVIII. natum, ſceptris admotum ponimus anno Chriſti XLVIII. ætatis X. procreaverit Domaldum anno Chriſti LX. ætatis XXII. regnaverit annos XL. deceſſeritqve anno Chriſti LXXXVIII. ætatis L.

Domaldus natus anno Chriſti LX. cœperit regnare anno Chriſti LXXXVIII. ætatis XXVIII. genuerit Domarem anno ætatis XXIV. Chriſti LXXXIV. imperaverit annos XXII. mortuus anno Chriſti CX. ætatis L.

Domar natus anno Chriſti LXXXIV. regimini admotus ponitur anno Chriſti CX. ætatis XXVI. procreaverit Dyggvium anno ætatis XXII. Chriſti CVI. imperaverit annos XXII. mortuus anno Chriſti CXXXII. ætatis XLVIII. Hujus uxor erat Drotta, Dani Daniæ Eponymi ſoror (uterina ut apparet), qvam Danpo natam eſſe ſtatuimus anno Chriſti XCII.

Abſolutis ita tribus ſynchroniſmis, ad Daniæ Reges iterum nos convertemus. Horum à nobis intermiſſum ordinem Danus continuat Magnanimus, natus ex noſtra hypotheſi anno Chriſti, uti dictum eſt, CXXXVI. Patri Olafo ſucceſſiſſe eum ponimus anno ætatis XX. Chriſti CXLVI. Frodiumqꝫ Tranqvillum genuiſſe anno ætatis LVI. Chri-

ſti CLXXXII. Danum ad multam ætatem perveniſſe *Snorrius* ſcribit; regnaverit itaqve annis LXXVI. deceſſeritqve anno ætatis XCVI. Chriſti CCXXII.

Frodium Tranqvillum vel III. anno Chriſti CLXXXII. natum, patri ſucceſſiſſe ſtatuimus anno Chriſti CCXXII. ætatis XL. procreaverit Halfdanum I. anno ætatis LXII. Chriſti CCXLIV. Fridleifum vero III. anno ætatis LXXXII. Chriſti CCLXIV. imperaverit annos L. mortuus anno Chriſti CCLXXII. ætatis XC.

Halfdanum I. anno Chriſti CCXLIV. natum eſſe ſtatuimus. Hic, ut *Snorrius* in Chronico ſuo tradit, Aunium Sveciæ Regem qvadragenarium (aliud exemplar *XLV. annorum* habet) expulit, anno Chriſti, ut conjicimus CCLXXVIII. ætatis ſuæ XXXIV. Præfuiſſe eum Svecis XX. annos *Snorrius* ait (aliud exemplar XXV. habet). Mortuus itaqve erit anno Chriſti CCXCVIII. ætatis LIV.

Fridleifus III. Halfdani frater, natus anno Chriſti CCLXIV. patri in regno Daniæ ſucceſſerit anno Chriſti CCLXXII. ætatis VIII. genuerit Olium Vegetum anno Chriſti CCXCII. ætatis XXVIII. Frodium autem IV. anno Chriſti CCCXL. ætatis LXXVI. regnaverit annos LXXVI. deceſſeritqve anno Chriſti CCCXLVIII. ætatis LXXXIV.

Olius Vegetus, natus anno Chriſti CCXCII. Aunium Sveciæ Regem, teſte *Snorrio*, octogenarium (aliud exemplar *nonagenarium* habet) expulit; qvod nos ad annum Chriſti CCCXVIII. referimus, ætatis ejus XXVI. *Snorrius* XX. annos (ſecundum aliud exemplar XXV.) Svecis præfuiſſe dicit, atqve à Starcado occiſum eſſe; qvod nos factum eſſe conjectamus, anno ætatis illius XLVI. Chriſti CCCXXXVIII.

 Nunc

Nunc Sveciæ Regum ſeriem proſeqvemur.

Dyggvium Domari anno Chriſti CVI. natum eſſe ſuperius poſuimus. Mortuo parenti anno Chriſti CXXXII. ſucceſſiſſe conjicimus, ætatis XXVI, procreaverit Dagum anno Chriſti CXXVIII. ætatis XXII. regnaverit annos XX. deceſſeritqve anno Chriſti CLII. ætatis XLVI.

Dagus, natus anno Chriſti CXXVIII. cœperit regnare anno Chriſti CLII. ætatis XXIV. genuerit Agnium anno Chriſti CL. ætatis XXII. imperaverit annos XX. mortuus anno Chriſti CLXXII. ætatis XLIV.

Agnius natus anno Chriſti CL. regno admotus erit anno Chriſti CLXXII. ætatis XXII. eodemqve anno Alrecum procreaverit. Regno præfuerit XX. annos, mortuus anno Chriſti CXCII. ætatis XLII.

Alrecus natus anno Chriſti CLXXII. regnare cœperit anno Chriſti CXCII. ætatis XX. genuerit Yngvium anno Chriſti CXCIV. ætatis XXII. imperaverit annos XX. deceſſeritqve anno Chriſti CCXII. ætatis XL. Cum Alreco Eiricus frater in Svecia regnavit; verum nulla ejus in Regum Sveciæ genealogiâ ratio habetur, unde annos illius apponere neglexímus.

Yngvius natus anno CXCIV. regnum occupaverit anno Chriſti CCXII. ætatis XVIII. Anno ætatis XXII. qvi eſt Chriſti CCXVI. Jorundum genuerit; regnaveritqve per XXXV. annos, mortuus anno Chriſti CCXLVII. ætatis LIII. Yngvii frater erat Alfus, qvi cum eo in Sveciâ rerum potiebatur. Illius annos hic apponere nihil attinet, cum ſubſeqventium Regum ſtemma ab Yngvio derivetur. Id ſaltem hic locum meretur, qvod eodem, ac Yngvius, temporis momento occubuerit, teſte in Chronico ſuo *Snorrio Sturlæo.*

Jo-

Jorundum Yngvio patre procreatum ſtatuimus anno Chriſti CCXVI. Regni gubernacula ſuſceperit anno Chriſti CCXLVII. ætatis XXXI. Anno Chriſti CCXXXVIII. ætatis ſuæ XXII. Aunium procreaverit. Regnaverit XI. annis: deceſſeritqve anno Chriſti CCLVIII. ætatis XLII. Jorundi imperium in Svecia parum qvietum fuiſſe *Snorrius* innuit, regiam poteſtatem primum uſurpante Hugleico, Alfi prædicti filio; ac deinde Hakio pugile extraneo per triennium. Nos, ad vitandam confuſionem Jorundo totum hoc temporis ſpatium adſcripſimus, nulla Hugleiki vel Hakii hic ratione habitâ, præſertim cum inferiorum Regum genus à Jorundo unicè deſcendat.

Aunium Grandævum anno Chriſti CCXXXVIII. natum eſſe ſtatuimus. Regnare cœperit año Chriſti CCLVIII. ætatis XX. progenuerit Eigilem Tunnicidam anno Chriſti CCCLXXXVIII. ætatis CL. Imperii illius tempus CXC. annos fuiſſe, vitæqve ejus periodum CCX. annis conſtitiſſe, ex *Snorrio* colligitur, ut eâ ratione mortuus ſit anno Chriſti CDXLVIII. Aunius hicce qvid ab Halfdano I. & Olio Vegeto Danis paſſus ſit, & qvomodo per eos ſucceſſivè regno deturbatus, apud *Snorrium Sturlæum* in Chronico illius legere eſt. Et nos ſuperius, ubi dictorum Regum annos digeſſimus, mentionem illius, ſed breviſſimè uti locus poſtulabat, injecimus.

Qvartum nunc emenſos ſynchroniſmum Daniæ Reges hinc avocant, & ſuam continuare ſeriem jubent.

In ea ſe primum nobis hic offert Frodius IV. vel Vegetus, Fridleifi III. filius, qvem ſuperius natum eſſe ſtatuimus anno Chriſti CCCXL. Octennem ad ſceptra

 per-

perveniſſe ponimus, anno videlicet Chriſti CCCXLVIII. fuiſſeqve annorum XLVIII. cum Ingialdus ei naſceretur; anno Chriſti CCCLXXXVIII. deinde anno ætatis LVII. Chriſti CCCXCVII. Halfdanum II. procreaſſe, & poſtremo Frodium V. anno ætatis LXVII. Chriſti CDVII. Imperaverit annos LIX. deceſſeritqve anno Chriſti CDVII. ætatis LXVII.

Ingialdus, Frodii filiorum natu maximus, *Starcadi Alumnus* vulgo dictus, natus anno Chriſti CCCLXXXVIII. regnum poſt obitum patris adierit anno Chriſti CDVII. ætatis XIX. genuerit Hrærecum Hnoggvanbaugium anno Chriſti CDXLIV. ætatis LVI. imperaverit annos XLIX. deceſſerit anno Chriſti CDLVI. ætatis LXVIII.

Halfdanus II. Ingialdi frater, natus anno CCCXCVII. cœperit regnare anno Chriſti CDXII. ætatis XV. genuerit Hroarem anno ætatis XLVII. Chriſti CDXLIV. Helgium vero CDXLVI. ætatis XLIX. imperaverit annos XXXV. à fratre Frodio cæſus anno Chriſti CDXLVII. ætatis L.

Frodius V. Frodii IV. filiorum tertius, natus anno Chriſti CDVII. cœperit regnare anno CDXIV. tum ſeptennis: à Hroare & Helgio Halfdani filiis, (illo XVI. hoc XIV. annos nato,) occiſus, anno Chriſti CDLX. imperii XLVI. ætatis LIII. Hic Frodius nullibi præterqvam in *Hiſtoria Hrolfi Krakii* occurrit. Fuiſſe autem Frodii IV. filium inde manifeſtum eſt, qvod Halfdanum fratrem ſuum de medio ſuſtuliſſe, atqve in illius ultionem à Hroare & Helgio, Halfdani filiis, occiſus eſſe, in eadem hiſtoria perhibeatur. Fuit autem Halfdanus ille, Hroaris & Helgii pater, In-

Ingialdi Starcadi alumni frater, & Frodii IV. filius, uti ex genelogiis, libri hujus cap. I. exhibitis, abunde conſtat. Hic eſt ille Frodius, ejus nominis V. qvi Eigili Tunnicidæ opem tulit, Ottaremqve Vendilcracam occidi curavit. Et nos hic ad Sveciæ Reges calamum transferentes, ad hunc ſynchroniſmum properemus.

Eigilis Tunnicidæ nativitatem ad annum Chriſti CCCLXXXVIII. ſuperius retulimus. Regnare eum cœpiſſe ponimus anno Chriſti CDXLVIII. ætatis LX. Ottarem procreaſſe anno ætatis XXII. Chriſti CDX. regnaſſe annis VII. deceſſiſſeqve anno ætatis LXVIII. Chriſti CDLVI.

Ottar Vendilcraca natus anno CDX. Regnum poſt patris mortem occupaverit anno Chriſti CDLVI, ætatis XLVI. procreaverit Adilſem anno Chriſti CDL. ætatis XL. imperio præfuerit annos IV. mortuus anno Chriſti CDLX. ætatis L.

Sic qvintum abſolvimus ſynchroniſmum, ſeqvitur ſextus; in qvo ab una parte verſantur Helgius & Hrolfus *Daniæ*, & ab altera *Adils & Eyſteinus Sveciæ Reges. Nos cœptâ methodo binorum illorum Daniæ Regum primum, & deinde duorum horum Sveciæ Regum tempora excutiemus.*

Helgium, Halfdani II. filium, anno Chriſti CDXLVI. natum eſſe ſuperius conjecimus. regnum in Daniâ acceperit anno Chriſti CDLX. ætatis XIV. genuerit Hrolſum Krakium anno ætatis XL. Chriſti CDLXXXVI. imperaverit annos XXXIV. deceſſeritqve anno Chriſti CDXCIV. ætatis XLVIII.

Hrolfus Krakius natus anno Chriſti CDLXXXVI. ſucceſſerit patri anno Chriſti CDXCIV. ætatis ſuæ VIII. Re-

Regno præfuerit XXVIII. annos, deceſſeritqve ætatis anno XXXVI. Chriſti DXXII.

Adils, Ottaris Sveciæ Regis filius, anno Chriſti, uti ſuperius dictum, CDL. natus, regnum adiiſſe præſupponitur anno Chriſti CDLX. ætatis X. Eyſteinum procreaſſe anno Chriſti CDLXXVI. ætatis XXVI. imperaſſe XLV. annos, deceſſiſſe anno Chriſti DV. ætatis LV.

Eyſteinus, natus anno CDLXXVI. cœperit regnare anno Chriſti DV. ætatis XXIX. procreaverit Yngvarem anno Chriſti D. ætatis XXIV. imperaverit XXVI. annos, deceſſeritqve anno Chriſti DXXXI. ætatis LV.

Nunc ad Daniæ Reges tranſitu facto, eorum qvoqve tempora metiemur.

Hroarem Halfdani II. filium anno Chriſti CDXLIV. natum eſſe ſuperius poſuimus. regnum acceperit anno Chriſti CDLX. ætatis XVI. genuerit Valdarem Munificum anno Chriſti CDLXX. ætatis XXVI. Imperii illius & mortis annos hoc loco definire opus non eſt, cum ſuam regni Danici partem fratri Helgio vendiderit, ac extra Daniam mortem oppetierit.

Valdar Munificus natus erit anno Chriſti CDLXX. Regiam dignitatem aſſumſiſſe eum ponimus anno Chriſti CDXCV. ætatis XXV. procreaverit Haraldum Grandævum anno Chriſti CDXCIII. ætatis XXIII. Imperio præfuerit XVII. annis, deceſſeritqve anno Chriſti DXII. ætatis XLII.

Haraldus Grandævus, natus anno CDXCIII. cœperit regnare anno Chriſti DXII. ætatis XIX. genuerit Halfdanum Diſertum anno Chriſti DXXIX. ætatis XXXVI. imperaverit annos XLIX. deceſſeritqve anno ætatis LXVIII. Chriſti DLXI.

Half-

Halſdanus Diſertus natus anno DXXIX. cœperit regnare anno Chriſti DLXI. ætatis XXXII. procreaverit Ivarem Vidſadmium anno Chriſti DXLIV. ætatis XV. imperaverit annos XIX. deceſſeritqve anno Chriſti DLXXX. ætatis LI.

Ivarem Vidſadmium, natum anno Chriſti DXLIV. regnum adiiſſe ſtatuimus anno Chriſti DLXXX. ætatis XXXVI. genuiſſe Audurem Prædivitem anno Chriſti DLXIV. ætatis XX. imperaſſe annos XX. deceſſiſſe anno Chriſti DC. ætatis LVI.

Hinc ad Sveciæ Reges, prædictis Daniæ Regibus coævos, transibimus.

Eyſteino, qvem anno Chriſti DXXXI. deceſſiſſe ſuperius poſuimus, in Sveciæ regno ſucceſſit Solvius de Niardeya Norvegus, fortis bellator; ac eâ ratione ad ſceptra aſcendit dicto anno DXXXI. Tempore non exiguo rerum ſummæ præfuiſſe *Snorrius* tradit. Regnaverit itaqve decennio, mortuus anno Chriſti DXLI.

Yngvar Eyſteini prædicti filius illi ſucceſſit; qvem anno Chriſti D. natum eſſe ſuperius ſtatuimus. Cœpit itaqve regnare anno Chriſti DXLI. ætatis XLI. Brautonundum genuiſſe ponimus anno Chriſti DXX. ætatis XX. Si IV. annos imperavit, deceſſit anno Chriſti DXLV. ætatis XLV.

Braut-Onundus natus anno Chriſti DXX. cœperit regnare anno Chriſti DXLV. ætatis XXV. Ingialdum procreaverit anno Chriſti DXL. ætatis XX. regnaverit XX. annos, deceſſeritqve anno ætatis XLV. Chriſti DLXV.

Ingialdus Aſtutus natus anno DXL. cœperit regnare anno Chriſti DLXV. ætatis ſuæ XXV. eodemqve an-

no Olafum Lignarium procreaverit. Si XV. annis imperaſſe eum velimus, obiit anno Chriſti DLXXX. ætatis XL.

Atqve ita ſeptem illos Daniæ & Sveciæ Regum ſynchroniſmos, ſuperius à nobis recenſitos, abſolvimus; eâqve ratione in utriusqve regni Chronologia ad ſexti circiter ſeculi finem pervenimus. Compulit autem nos cœptæ ratio methodi ut nonnullos Daniæ Dynaſtas, qvi aliis è communi ſtirpe oriundis Daniæ Regibus, collaterales regnârunt, in hoc annorum recenſu omitteremus. Ad eos nunc retrocedentes illorum qvoqve tempora digeremus.

Eſt autem illorum primus Hræerecus Hnoggvanbaugius, qvem Ingialdo Starcadi Alumno anno Chriſti CCCCXLIV. natum eſſe ſuperius poſuimus. Patri in regno ſucceſſiſſe ſtatuimus anno Chriſti CCCCLVI. ætatis ſuæ XII. Frodium VI. genuiſſe anno Chriſti CCCCXCII. ætatis XLVIII. imperium illius LVI. annis circumſcribimus, ut obierit anno Chriſti DXII. ætatis LXVIII.

Frodius VI. anno CCCCXCII. natus, anno Chriſti DXII. ætatis ſuæ XX. regnare cœperit. Halfdanum III. procreaverit anno ætatis XXXVIII. Chriſti DXXX. imperaverit annos XXXVI. mortuus anno Chriſti DXLVIII. ætatis LVI.

Halfdanus III. anno Chriſti DXXX. natus, regnum adierit anno ætatis XVIII. Chriſti DXLVIII. progenuerit Hræerecum Slongvanbaugium anno Chriſti DLX. ætatis XXX. regnaverit annos XXII. mortuus anno Chriſti DLXX. ætatis XL.

Hræerecum Slongvanbaugium natum anno DLX. regnum inchoaſſe ponimus anno Chriſti DLXX. ætatis X. Hic Ivaris Vidſadmii filiam, Audurem Prædivitem, an-

anno, ut conjicimus, DLXIV. natam, uxorem duxit; ex qvo conjugio natus eſt Haraldus Hilditann, anno, ſecundum noſtram conjecturam DLXXXV. cum pater illius XXV. ageret ætatis annum. Hrærecum ſocer Ivar occidit, qvod factum ponimus anno Chriſti DLXXXVIII. ætatis XXVIII. regni illius XVIII.

Hi qvatuor Reges, Hroari & ſubſeqventibus Regibus, *uſ*qve ad Ivarem Vidfadmium, uti ex noſtro calculo & genealogiarum ratione manifeſtum eſt, coævi fuere, & partem Daniæ in ditione habuerunt. Nos in ſubſeqventium Daniæ Regum generationibus illuſtrandis pergemus.

Haraldum Hilditann, qvem anno Chriſti DLXXXV. natum eſſe poſuimus, qvindecim annorum, ad ſceptra Danica perveniſſe teſtatur *Fragmentum* hiſtoricum de pugna Bravallenſi, qvod & addit, factum id eſſe ſtatim poſt mortem Ivaris Vidfadmii, avi illius materni. Nos iſtud regni illius initium ad annum Chriſti DC. referimus. Centum qvinqvaginta annorum fuiſſe Haraldum, cum decederet, idem *Fragmentum* perhibet, ut eâ ratione obierit anno Chriſti DCCXXXV. regnaveritqve in univerſum CXXXV. annos.

Hilditanni frater uterinus, Radbardiq; Ruſſiæ Regis & Auduris Prædivitis filius erat Randuer, qvem natum eſſe ſtatuimus anno Chriſti DCX. matre tum XLVI. ætatis annum agente. Sigurdum Hringum procreavit anno Chriſti, ſecundum noſtram conjecturam, DCLXXX. ætatis ſuæ LXX. nec fortè diu exinde ſuperſtes fuit.

*S*igurdum Hringum, natum anno Chriſti DCLXXX.

 pa-

patruo Hilditanno in regno Daniæ ſucceſſiſſe ponimus anno Chriſti DCCXXXV. ætatis ſuæ LV. Ragnarem Lodbrochem genuiſſe anno ætatis XL. Chriſti DCCXX. Daniæ Regno præfuiſſe annis XV. ut mortuus ſit anno Chriſti DCCL. ætatis LXX.

Ragnar Lodbroch natus erit anno DCCXX. regnum inchoaverit anno Chriſti DCCL. ætatis XXX. genuerit Sigurdum Angvi-oculum anno Chriſti DCCLXX. ætatis L. imperaverit annos XL. mortuus anno Chriſti DCCXC. ætatis LXX.

Sigurdus Angvi-oculus anno DCCLXX. natus, regnare cœperit anno Chriſti DCCXC. ætatis XX. genuerit Hordaknutum anno Chriſti DCCCX. ætatis XL. regnaverit annos XXX. obieritqve anno Chriſti DCCCXX. ætatis L.

Hordaknutum natum anno Chriſti DCCCX. ſub tutela Gormi in regnum ſucceſſiſſe ponimus anno Chriſti DCCCXX. ætatis X. Gormum genuiſſe anno Chriſti DCCCXXX. Ætatis XX. imperaſſe annos XX. mortuumqve eſſe anno Chriſti DCCCXL. ætatis XXX.

Gormum Grandævum natum eſſe ponimus anno DCCCXXX. cœperit regnare anno Chriſti DCCCXL. ætatis X. progeneraverit Haraldum Cærulidentem anno Chriſti DCCCXCV. ætatis LXV. imperaverit annis XCV. mortuus anno Chriſti DCCCCXXXV. ætatis CV.

Haraldus Cærulidens, anno Chriſti DCCCXCV. natus, patri ſucceſſerit anno Chriſti DCCCCXXXV. ætatis XL. Svenum procreaverit anno ætatis XLV. Chriſti DCCCCXL. imperaverit L. annis, obieritqve anno Chriſti DCCCCLXXXV. ætatis XC.

Sve-

Sveni Tiuguskeggi, i. e. *admorſæ barbæ* (alii *furcatæ barbæ* vocant) qvem anno Chriſti DCCCCXL. in lucem editum eſſe ſtatuimus, chronologiam hoc loco ulterius adferri haut attinet, cum noſtrum hocce opus ad illius ævum ſeſe non extendat. Nos alias ejus & patris illius Haraldi Cærulidentis tempora peculiari ſcripto, typis nondum commiſſo, ſtudioſè illuſtravimus, qvod chalcographi beneficio brevi in publicam lucem proditurum ſperamus.

Hic Daniæ Regum chronologiâ relictâ, ad eorum nos tempora conferemus, qvi antiqviſſimum tam Daniæ qvam Sveciæ Regum ſangvinem ad Haraldum Pulchricomum, primum Norvegiæ monarcham, derivârunt. Danicum ſtemma primò examinabimus.

Sigurdum Angvi-oculum, Ragnaris Lodbrochis filium & Hordaknuti patrem, Aslaugem qvoqve filiam genuiſſe conſtat.

Aslaugis nativitatem ad annum Chriſti DCCXC. referimus, qvi paternæ ætatis XX. erit. Hanc Helgius, cognomine Acutus, uxorem duxit, atqve ex eâ Sigurdum Cervum ſuſcepit, anno, ut conjicimus, DCCCX. ætatis illius XX.

Sigurdus Cervus natus anno Chriſti DCCCX. Ragnhildem procreavit anno Chriſti DCCCXXXIII. ætatis XXIII. Hringarikiæ, Norvegicæ provinciæ, præfuit annis XXX. mortuus anno Chriſti DCCCL. ætatis XL.

Ragnhildis anno Chriſti DCCCXXXIII. nata, & Halfdano Nigro anno ætatis XVIII. Chriſti DCCCLI. nupta, Haraldum Pulchricomum peperit anno ætatis ſuæ XX. Chriſti DCCCLIII.

Nunc Sveciæ Regum progeniem ad certos annos referemus.

Ingialdum Aſtutum, Sveciæ Regem, Olafum Lignarium progenuiſſe ſuperius diximus, ejusqve nativitatem ad annum Chriſti DLXV. retulimus.

Olafus itaqve Lignarius regium nomen ſumſerit anno Chriſti DLXXX. ætatis XV. genuerit Halfdanum Albipedem anno Chriſti DCXXV. ætatis LX. regnaverit LX. annis, mortuus anno Chriſti DCXL. ætatis LXXV.

Halfdanus Albipes natus anno DCXXV. cœperit regnare anno Chriſti DCXL. ætatis XV. procreaverit Eyſteinum anno Chriſti DCLXXX. ætatis LV. imperaverit annos LX. obieritqve anno ætatis LXXV. Chriſti DCC.

Eyſteinus natus anno DCLXXX. regnum inchoaverit anno Chriſti DCC. ætatis XX. procreaverit Halfdanum Munificum anno Chriſti DCCX. ætatis XXX. imperaverit annos XXX. obieritqve anno Chriſti DCCXXX. ætatis L.

Halfdanus Munificus, natus anno Chriſti DCCX. cœperit regnare anno Chriſti DCCXXX. ætatis XX. genuerit Gudrodum Magnanimum anno Chriſti DCCLXII. ætatis LII. imperaverit annos LIV. deceſſeritqve anno Chriſti DCCLXXXIV. ætatis LXXIV.

Gudrodus Magnanimus, natus anno Chriſti DCCLXII. imperio potitus ſit anno Chriſti DCCLXXXIV. ætatis XXII. genuerit Halfdanum Nigrum anno Chriſti DCCCXXIII. ætatis LXI. imperaverit annos XL. deceſſeritqve anno ætatis LXII. Chriſti DCCCXXIV.

Half-

Halſdanus Niger, natus anno Chriſti DCCCXXIII. cœpit regnare anno Chriſti DCCCXLI. ætatis XVIII. genuit Haraldum Pulchricomum anno Chriſti DCCCLIII. ætatis XXX. mortuus anno regni ſui XXII. ætatis XL. Chriſti DCCCLXIII.

Hic Chronologiæ noſtræ finis eſto; qvam omnibus numeris abſolutam eſſe, nec ipſi credimus, nec ulli perſvadere conabimur. Qvis enim in tali materia, niſi documentis inſtructiſſimus, punctum collineabit? Itaqve nos redargui vel erroris convinci non putamus, etiamſi qvis poſthac, ſingulis ſcrupuloſiſſimè ponderatis, uni aut alteri Regum alios aſſignet annos, vel tempora convenientius paulò partiri videatur. Nobis enim hic tantum propoſitum erat monſtrare, qvo circiter tempore hic vel ille vixerit, non vero cujusvis annos exactè definire, aut avthenticam conficere chronologiam; qvod in hac materiâ impoſſibile eſſe ſcimus. Interea profiteri liceat, nos, qvâ potuimus diligentiâ, ſcriptorum teſtimonia, genealogiarumqvè & rerum geſtarum circumſtantias ubiqve obſervâſſe, ut dicere audeamus, noſtra hæcce veriſimiliora eſſe aliorum in hac eâdem materia aſſertionibus. Qvi enim de vetuſtioribus Daniæ Regibus hactenus ſcripſerunt, aut eorum tempora digeſſerunt, tot nobis obruſerunt Reges, ut multis eorum ne naſcendi qvidem, nedum regnandi ſpatium ſuppetere, temporum ratio evincat. Nunc ad ipſam Regum ſeriem fuſius exponendam nos accingemus.

CAPUT III.

De Skioldo primo Daniæ Dynaſta.

Odi-

Odinum ex Aſiæ tractu, circa Syndicam ad Boſphorum Cimmerium ſito, urbe Asgardo, cum magnâ hominum multitudine per immenſa terrarum ſpatia in ſeptentrionem noſtrum migraſſe ex veridicâ ſcriptorum noſtrorum relatione diſcimus. Hic poſtqvam magnam interjacentium terrarum partem, ac noviſſime Saxoniam ſibi ſubjeciſſet, filium ſuum Skioldum, non Jutiæ, ſeu Reidgotalandiæ ſolum præfecit (qvod ex Edda colligit *Sberinghamus* pag. 363.) ſed, uti ex *Snorrii Sturlæi* Chronico Norvegico diſcimus, univerſo territorio, qvod Daniæ nomine poſtea venit. Poſtea inqvam; nam Daniam prius *Gothiam* dictam fuiſſe, libro II. cap. I. ſuperius ſatis probatum dedimus. Singulas tamen provincias, proprias appellationes ſortitas eſſe, documento eſt Jutia, qvæ *Reidgotalandia* vocabatur. Et Odinum ſingulis nova nomina impoſuiſſe apparet. Nam Sveciam *Sviþiod* de gentili ſuo nomine *Sviþrir* nominavit; ipſe, congeſtis hinc indè circiter centum qvadraginta titulis clarus, falſam ſibi divinitatem aſſeruit, prudentiâqve alios ſupergreſſus, totius ſeptentrionis uſurarium & frivolum numen evaſit, Deorumq; collegium Sigtunis in Svecia inſtituit.

Skioldus igitur commiſſum ſibi a patre Regnum omni cura & diligentia exornavit; Lethranam arcem, nobis *Hleidra*, condidit, Gefionemqve Deam in uxorem duxit. QvamRegno non leviter conſuluiſſe, colligere licet ex fabula *Eddæ* prima, qvam etiam *Snorrius* Chronico ſuo Norvegico inſeruit. Narratur ibi Gefionem Sælandiam, ex Svecia aratro evulſam, boum beneficio in locum, qvo jam ſita eſt, tranſtuliſſe; atqve in narrationis probationem promontoriorum in Sælandia & ſinuum in lacu Stockholmiæ

miæ contermino, ſimilis proportio allegatur. Qvâ mythologia Reginæ hujus laudes, ob curam in Regno adornando ſuſceptam, grata antiqvitas absqve dubio adumbrare voluit, & exoptatiſſimæ Reginæ memoriam ſub fabularum involucris poſteritati commendare, qvod talia, utpote vulgò acceptiora, veris & nudis narrationibus diuturnius fatum habitura, ſagaci conjectura præVideret.

Ab hoc Skioldo *Skioldungorum* familia deſcendit, *Skioldungi*qve nomen primum Daniæ Regibus commune, deinde ſingulis Monarchis & Principibus titulus honorarius & encomiaſticum epithetum evaſit; qvo & Regum ſinguli etiamnum apud Islandos poëticè cenſentur. Nec aliter ſcriptori Vitæ S. Cuthberti *Scaldingorum* nomine eos vocari exiſtimem, qvi in Angliam irruentes, Eboracum civitatem fregerunt, terram vaſtarunt, omnesqve propè Anglos in meridiana & aqvilonari parte occiderunt, ac eccleſias ſpoliarunt: nam à fluvio *Scaldi* denominati non videntur hi homines; neqve inde tanta vis ingruebat. Ad hujus Skioldi poſteros nihil omninò pertinet illa *Skioldungorum*, alias *Skilfingorum*, familia, qvam à Skioldo, Haldani Grandævi nepote, in Norvegiâ ortum ducentem *Origines Norvegicæ* exhibent, atqve ad Haraldi uſqve Pulchricomi ætatem deducunt. Skioldi, Odini filii, ejusqve ſucceſſorum hiſtoria, *Skioldunga Saga* dicta, inter venerandæ antiqvitatis documenta in Islandia qvondam reſervabatur, qvæ non ſine ingenti Danicæ hiſtoriæ detrimento dudum periit. Inter Odini ſeu Wodeni, Skioldi hujus patris, progenitores, *Wilhelmus Malmesburienſis* lib. II. Cap. 2. *Fabius Ethelwerdus*

lib. III. ac *Simeon Dunelmenſis* in prolegom. ad hiſtor. Dunelmenſis Eccleſiæ, *Sceldium* qvendam exhibent, filium Sceaf, illius, qvi miraculoſe in Scandzam, (Ethelwerdus *Scani* habet, Malmesburienſis *Scamphtam*) inſulam Germaniæ, dormiens, navi ſine remige puerulus, poſito ad caput frumenti manipulo, appuliſſe, ac poſtea Sleſwici regnaſſe traditur. Qvæ de Sceaf narrantur, fabulam olent; interea credibile eſt, inter Odini majores Sceldium qvendam vel Skioldum fuiſſe, cujus nomen hicce noſter, Odini Aſiatici filius, geſtaverit. Skioldo iſti, Odini filio, inter Dynaſtas Daniæ primum in ordine locum communi conſenſu aſſignant *Edda*, Chronicon Norvegicum *Snorrii Sturlæi*, & Genealogiæ, qvas ſuperius Capite I. hujus libri attulimus. *Eddæ* verba, qvæ ſuperius libro II. Cap. I. pag. 87. adduximus, Latinè tantum heic repetere libet: *Odinus, ſuſcepto* (ex Saxoniâ) *itinere, in aliam migravit regionem, qvam Reidgotalandiam* (hodiè *Jutiam*) *vocârunt, atqve ibi qvicqvid placuit ſibi vendicavit. Huic terræ præfecit filium ſuum Skioldum, qvi Fridleifum genuit; Inde Skioldungorum familia ortum ducit. Hi ſunt Daniæ Reges.* Skioldum huncce (vivumne an poſt mortem incertum) divinis honoribus cultum fuiſſe, inde colligitur, qvod Sanctus Olafus, Norvegiæ Rex, illius ſimulacrum inter alia gentilium idola confregiſſe tradatur.

Qvartum inter Daniæ Reges locum *Saxo* Skioldo, Lotheri ut vult filio, tribuit, eiqve Danum, Humlum ac Lotherum anteponit. In qvibus licet à noſtris ſcriptoribus multum abeat, in eo tamen cum iis qvodammodo conſentit, qvod Skioldum in prima Daniæ Re-

gum

gium tempora referat. Fuiſſe autem Odini filium, ex iis, qvæ hucusqve prolixè diximus, manifeſtum evadit; & nos nullum in Daniâ Dynaſtam eo antiqviorem agnoſcimus. Hæc aſſertio adeo firma eſt, ut absqve Saxonis periculo infringi non poſſit, cum eam tanqvam baſin & fundamentum rebus Danicis hiſtorici noſtri ſubſternant, ex qvibus Saxo haud parvam operis ſui partem ſeſe contexuiſſe, iisqve arbitris uſum eſſe fatetur. Sed nec *Sveno Aggonis*, ſcriptor Saxoni æqvalis, ipſeqve, ut profitetur, Saxonis contubernalis, ſed qvi prior gentis ſuæ hiſtoriam abſolvit, ideoqve primus gentis Danicæ hiſtoricus celebratur, alium Daniæ Principem Skioldo priorem invenit. Scribit enim in hiſtoriæ ſuæ limine: *Skiold Danis primum didici præfuisſe.* Ceterùm Danum primum Daniæ Regem, Regumqve anteſignanum, ea propter fecit Saxo, qvod idem ſemper Regno nomen fuiſſe vellet.

Humlium genuinis Daniæ Regibus haudqvaqvam accenſendum reor, qvippe qvem *Hiſtoria Hervoriana* Hunnorum Regem fuiſſe, irruptionemqve Heidreki Cimbriæ Regis fugâ evitaſſe, opumqve ac ſuppellectilis domeſticæ jacturam feciſſe tradit, & inſuper filiæ, qvæ capta ab Heidreko, filium ei peperit nomine Lodum ſeu Lotherum, cum qvo ad patrem remiſſa, atrociſſimi belli inauditæqve ſtragis cauſa fuit. Qvæ omnia ad longe inferiora tempora pertinent. Hinc Lotherum ſuum Saxonem deſumſiſſe crediderim. Interea Lotheri cujusdam Saxonici Scriptores meminerunt, qvem Saxonum Regem faciunt, & Wodani (Odini) fratrem fuisſe affirmant. Iſta forte traditio cum Saxone conciliari

poterit, ſi hunc eundem Lotherum, Skioldi patruum, eiqve tutorem vel, ſi mavis, *συνεργὸν* à patre Odino datum velimus, eumqve, qvod omnia Regni munia Regia plane poteſtate præditus obierit, in Regum numerum inſertum, Skioldiqve patrem à poſteritate exiſtimatum eſſe. Fuerit etiam Humlius qvidam Skioldo in regimine adjunctus, (nam poterant plures ſimul adjungi,) qvi ob Lotheri inſolentiæ conjunctam potentiam, ſe tam ſublimi & pene Regio officio abdicaverit. Iſta conjectura ſi cuiqvam placeat, noſtris annalibus nihil adverſatur. Loduri cujusdam meminit vetuſtiſſimum carmen *Voluſpa* his verbis: Ond gaf Odinn, Od gaf Hænir,
La gaf Lodurr, oc litu goda.
id eſt, vertente *Gudmundo Andreæ*: *Animum dedit Odin, λόγον Hænir, vegetationem Lodur & colores eximios.* Sed iſte nihil huc pertinere videtur, cum eum inter humani generis creatores dictum carmen recenſeat.

Itaqve tribus hiſce à Danici imperii ſceptris remotis, in Skioldo tandem convenimus. Illud vero obſervandum, Daniæ Regnum à principio fuiſſe hæreditarium; error vero, qvo electivum creditum eſt, ex homagiorum ritu & cæremoniis, in ſolemni inauguratione uſurpatis promanavit, qvod hic tanqvam in principio obiter innuiſſe placet.

Gramum Skioldo patri ſucceſſiſſe vult Saxo, qvod noſtræ antiqvitates ignorant. Interea cum majorum induſtria, poſt amiſſam Skioldungorum hiſtoriam, nihil nobis præter nudam ſupremorum Daniæ Regum ſeriem reliqverit, præfracte negare non audemus, Gramum & Hadingum, nonnullosqve alios Saxoni memoratos, ab

hoc eodem Skioldo deſcendiſſe, aut territoriis præfuiſſe; ſed eos in ſupremorum Dynaſtarum numerum unqvam veniſſe, hoc eſt qvod nos antiqvitatibus noſtris innixi negamus. Et certe, diſſimulandum hoc loco non eſt, Grami & Haddingi noſtros ſcriptores mentionem facere, qvæ à Saxonis relatione in nonnullis haut parum diſſentire videtur. Itaqve qvid de iis & nonnullis aliis, qvæ apud Saxonem occurrunt principibus, habeant, breviter expediam.

Halfdani cujusdam Hringarikiæ & Valdreſiæ in Norvegia Reguli, ſed longe bellicoſiſſimi, meminerunt tum *Edda*, tum *Origines Norvegicæ*. Is Diis ſuis vitulam immolaſſe legitur, impetraturus ut trecentos annos in imperio viveret. Reſpondit oraculum, eum humanæ naturæ convenientem ætatem non exceſſurum, ſed proximo trecentorum annorum intervallo, nec fæminam nec ignobilem ullum in ejus proſapiam irrepturum, qvod & eventus comprobaſſe dicitur. Hic Halfdanus numeroſa, nec minus generoſa prole beatus, unum inter octodecim filios, Gramum dictum, ſuſcepit, cujus nomen in vetuſtiſſimis noſtratium carminibus, omnibus indifferenter regibus, honoratiſſimi inſtar nominis crebro applicatur. Ejus rei qvinqve exempla *Stephanius* protulit Not. in Saxonem pagg. 32. 33. & longe plura adhuc extant. *Snorrius* qvoqve *Sturlæus* in Prolegomenis ad Chronicon ſuum Norvegicum in vita Dagi, Sveciæ Dynaſtarum undecimi, idem aſſeverat, his verbis: I þann tima var ſa hofdingi gramr kalladr er „ heriadi, enn hermenn gramir. h. e. *Illo tempore* (ſc. qvo Dagus in Svecia regnavit) *princeps qvi bello præfuit,*

Gramus *dictus eſt, milites vero* Grami. Neqve Grami modo, ſed plurium Halfdani filiorum propria nomina in Regia epitheta & grandes titulos, poëtis præcipuè uſurpatos, tranſierunt; prout ex innumeris vetuſtorum ſeptentrionis poëtarum carminibus etiamnum monſtrari poteſt. Unus eorum Lofdius erat, qvi Cimbriam, ſeu Jutiam, bello expugnavit, poſterisqve ſuis poſſidendam reliqvit, qvi ad qvartum uſqve, nomine Eylimium, vel potius qvintum, nomine Gripum, recenſentur. Ab hoc Lofdio veteres Poëtæ qvosvis Reges *Lofdungos*, qvaſi *Lofdi poſteros* vel *nepotes*, denominarunt. De ſuo Gramo *Saxo* hæc habet: *Tantum magnitudini ejus à poſteris tributum eſt, ut in vetuſtisſimis Danorum carminibus ipſius vocabulo regia nobilitas cenſeatur.* Qvod cum iis qvæ de noſtratium Gramo nuper dicta ſunt, examuſsìm convenit, ut vel inde appareat eundem Gramum utrisqve deſcribi. Hos omnium ſeptentrionalium celeberrimos Reges, præ reliqvis ſui ſeculi principibus inclaruiſſe, magnamqve carminum in ipſorum honorem confectorum copiam ad poſteritatem deveniſſe veriſimile eſt. Nec minus credi poteſt Gramum ſæpius apud fratrem Lofdium in Daniâ animum bellis intentum relaxaſſe. Hinc forſitan Saxo occaſionem ſumſit Gramum Danorum Regibus annumerandi, qvod tam clarum & illuſtre in patria nomen niſi indigenæ Regi non potuiſſe competere exiſtimaret. Forte & errorem in perſona commiſit, Gramum in Lofdii locum ſubſtituendo, qvamvis neuter eorum univerſæ Daniæ Rex fuerit, aut Chriſtianam æram anteverterit, qvod ex hac genealogia paulo altius repetita manifeſtum evadet.

For-

Fiorniotus Finnlandiæ Rex, Odino ſynchronus.

Karius. Logius. Hler, qvi Odinum & Aſas epulis excepit, & inſulæ Leſſöæ nomen dedit.

Jocull, alias Froſtius.
Snær.
Thorrius.
Nor, Norvegiæ eponymus.
Raumus, a qvo Raumarikia Norvegiæ provincia nuncupatur.
Hringus, a qvo Hringarikia alia Norvegiæ provincia denominatur.
Halfdanus Grandævus, qvi ſacrificium iſtud inſtituit & multos filios reliqvit.

Gramus, qvem Saxonem intelligere credo. Lofdius Jutiæ Rex. Budlius qvi Saxones debellavit.

Lofdius Jutiæ Rex. — Skylius. — Egder. — Hialmthier. — Eylimius.

Budlius qvi Saxones debellavit. — Attill. — Virver. — Lefus. — Budlius.

Eylimius: Hiordiſa, Sigmundi Franconiæ Regis uxor. Griper.

Hiordiſa: Sigurdus Faſnericida.

Budlius: Brynhilda. Atlius.

Sigurdus Faſnericida — Brynhilda: Aslauga, Ragnaris Lodbrochis uxor.

Svib-

Svibdagerum Norvegiæ Regem Gramo ſucceſſiſſe Saxo perhibet; qvem noſtrates, non ſuarum modo antiqvitatum, ſed plurium aliarum nationum, fideliſſimi ac curioſiſſimi ſcrutatores, penitus ignorant; nec Saxones magis Henricum Regem, cujus hic fit mentio, agnoſcunt. Non immerito igitur ſuſpecta videtur hæc relatio. Aliàs nonnullos, Svipdagi nomine inſignitos, magni commatis viros, antiqvitates ſuggerunt, ac inter eos Hrolfi Krakii Daniæ Regis athletam fortiſſimum; qvorum tamen nullus Danicam tiaram unqvam geſtavit; nec magis Guthormus, qvem tributarium Saxo inſerit, & à *Lyſchandro* annos qvatuordecim in imperio illo precario vixiſſe memoratur. Sed nec annales Islandorum Hadingum inter Daniæ Reges genuinum agnoſcunt, cum tamen Haddingos nullo modo ſileant, qvos provinciarum Haddingiadali & Thelamarchiæ in Norvegia Reges perhibent. Horum primus Raumi filius, Noris nepos memoratur, cujus filius & nepos Haddingi qvoqve dicti ſunt. His ſucceſſit Hognius, qvem tres Haddingi ſucceſſivo ordine exceperunt, à qvorum uno nomen traxit celeberrimus & Regius ille heros, Helgius Haddingiaskatius, de qvo oda pervetuſta extat, in codicem illum carminum, qvem vulgo *Sæmundi Eddam* vocamus, relata. Horum Haddingorum alicui ſi qvis nonnulla eorum adſcribat, qvæ Saxo de ſuo Hadingo refert, ego non refragabor. Nonnulla inqvam; nam occurrunt hic alia, qvæ in Haddingi tempora nullo modo qvadrant; præcipuè illa, qvæ de Odino ejusqve cultu habet. Ita enim verba illius jacent, ut Odinianam immigrationem Haddingi tempore contigiſſe voluerit. Et ne alium hic

Odi-

Odinum à *Saxone* deſcribi credamus, qvam qvi à ſcriptoribus noſtris in Pompeii tempora refertur, uxoris ejus Friggæ, ut & Fró Dei (qvi nobis Freyr eſt) mentio ſatis luculenter injecta facit. Qvæ omnia ad Odinum Upſalenſem pertinere ex *Eddâ* & *Snorrii* Chronico notum eſt. Perperam igitur Saxo Odinum huc transtulit Skioldoqve juniorem fecit. Nec magis cohærentia retulit, ubi Hadingum Odino coævum fuiſſe, & tamen Svecis *bellum* intuliſſe memorat. Nam Odinum in Svecia ſedem fixiſſe ipſe agnoſcit. Qvorſum ergo Hadingus Deo ſuo & numini tutelari arma inferret, à qvo omnem victoriam dependere credidit? A noſtratibus etiam Saxo diſſentit, ubi verſus recitat, qvos Ragnhildem Hadingi uxorem, ſylveſtrium locorum amœnitate captam compoſuiſſe ait. Hos enim *Edda* Skadæ uxori Nordi de Noatunis adſcribit. Hæc eadem Skade gigantis filia fuiſſe ſcribitur, qvæ, teſte *Snorrio*, cum marito ſuo Niordo divortium fecit, & Odino nupſit, eiqve Semingum, magni nominis in Norvegia Regem, perperit. Aliàs Saxo Hundingum Sveciæ Regem Hadingo coævum tradit, qvo aſſertionibus Islandorum maxime ſuffragatur. Nam Hundingus, licet non Sveciæ, attamen Rex fuit, & Haddingorum uni ſynchronus, occiſus ab Helgio, Hundingsbanio dicto, qvi Sigurdi Fafnericidæ, Ragnaris Lodbrochis ſoceri, frater fuit. Cum itaqve Haddingi æra ab Hundingo illuſtretur, liqvidum evadit, illum longe poſt Odinum vixiſſe, Ragnari Lodbrochi qvam Odino propriorem, id qvod ulterius ipſe Saxo confirmat, dum Hadingum in Helſingiam confugiſſe tradit. Etenim Helſingia coli cæpit à Thorere Helſingo nepote Ketillis Jamtii, Jamtiæ eponymi; qvi Ketillus, uti ex *Snorrii* Chronico

Norvegico conſtat, coævus erat Eyſteino Aſtuto, Noris pronepoti, temporibus iis, de qvibus Saxo loqvitur, longè inferiori. De mortis genere, qvod Hadingo Saxo tribuit, notandum, id de Fiolnere referri in *Snorrii* Chronico Norvegico, uti inferius annotabimus. Hinc manifeſtum evadit, obſcuram rerum Norvegicarum famam Skioldiqve & Grami ac Haddingi, arcto cognationis nexu inter ſeſe conjunctorum, nomina Saxoni confuſionem perperiſſe.

Frodium ſeu Frothonem, Hadingo natum, patri ſuceſſiſſe Saxo tradit, eumqve Haldani, Roii & Scati patrem facit, reclamantibus noſtratium monumentis. Fuit qvidem Frodius Frodii & Halfdani pater, avusqve Roaris & Helgii; ſed ille Frodio Pacifico tempore multo ſeqvior, ac in Frodiorum ordine qvartus, uti ex inſeqventium Regum hiſtoriis patebit. Unius igitur temporis hiſtoriam Saxo hic in partes diſſecuit, atqve ad diverſa retulit tempora, facilè ex *Hrolſi Krakii hiſtoria* refellendus, qvod inferius monſtrabimus. Cumqve noſtræ antiqvitates hunc ipſum Frodium utet ceteros Reges, qvos Saxo uſqve ad Frodium ſibi Tertium, enumerat, Fridleifo tantum excepto, poſt Chriſti tempora vixiſſe nos doceant, nec niſi paucos eorum è Regum catalogo excludant, breviter tantum ſingula hìc attingemus, inferius omnia latius diducturi, ubi Regum iſtorum cuivis debitus locus aſſignandus erit.

CAPUT IV.

De Fridleifo I. Frodio I. ſeu Pacifico, Fridleifo II. Havare Manuforti & Frodio II. Daniæ Dynaſtis.

Exa-

Examinatâ hactenus Saxonis relationum parte, ad noſtratium aſſertiones nos convertemus. Diſcimus inde, Skioldum, primum Daniæ dynaſtam, filium habuiſſe Fridleifum, patrem Frodii Pacifici, qvi nobis Frodiorum primus eſt; de qvo ſolo, ſed aliter qvidem, legitur, qvod ſuo Frodio Primo Saxo tribuit, ſcilicet qvod contuſis commolitisqve auri fragminibus, cibos reſpergere ſolitus fuerit, licet illud hyperbolicè, molâ contuſum, non eſum, vetuſtum carmen *Grottaſaungr*, & ex eo *Edda* Mythologia LXVI. fabuloſè exponant. De hoc Frodio noſtri etiam commemorant, qvod magni ponderis annulum aureum in campis Ialangrenſibus exponi curaverit, edictæ à ſe innocentiæ (ut Saxo loqvitur) experimentum tam inſignis prædæ documento daturus. Qvod vero eum Saxo legem de exeqviis, eqvo & armaturæ inſignibus condecorandis, primum tuliſſe ait, illud à *Snorrii* Chronico Norveg. diſſentit, ubi ritus illius inſtitutio Dano Daniæ eponymo tribuitur, ut deinceps dicetur.

Multa hic apud Saxonem occurrunt, manifeſtè ab Islandis mutuata, qvibus ille Frodi, ſibi Tertii, nobis Primi, vitam prolixiorem fecit; etiamſi iſta huic æræ applicari nullo modo poſſint.

In iis primo loco recenſeri merentur illa, qvæ de Alrico Sveonum & Geſtiblindo Gothorum Regibus commemorat. Alricum iſtum noſtrates Heidrecum vocant, illiusqve antagoniſtam Geſtum cognomine Blindum, ɔ: cæcum, hominem qvidem privatum, ſed multum opulentum, qvem Svecos Regum ſuorum albo inſcripſiſſe video. Extat de hac re integra hiſtoria, à noſtratibus conſcripta, typorumqve beneficio in Sveciâ evulga-

ta. Fuit autem Heidrecus non Sveciæ Rex, ſed Jutiæ tantum terminis Regnum ipſius circumſcriptum eſt. Is cum eſſet prudentiſſimus, magnum ſapientum numerum aluit, tantiqve ſcientias habuit, ut vel graviſſimi criminis reo impunitatem promitteret, ſi modo ænigma proponeret, qvod Rex ſolvere non poſſet. Cum itaqve Geſtus Blindus criminis cujusdam reus condemnari deberet, cum Odino, qvi longo jam temporis decurſu mortuus ipſi apparuit, pactus eſt, ut ſuo vultu & forma acceptâ, ad Regem proficiſceretur, eiqve qvæſtiones intricatiſſimas proponeret. Dictum factum; vultum Geſti Blindi aſſumit Odinus, Heidrecum Regem accedit, parabolas promit, Rexqve eas ſolvit. Cum autem perſonatus ille Geſtus ultimo loco interrogaret, qvid Odinus Baldo in aurem inſuſurraſſet, anteqvam rogo imponeretur? Regem qvidem conſtrinxit, ſed ab illo pro Odino agnitus, mucrone petebatur. Ille vero in accipitrem converſus, per feneſtram evolavit, Regiqve in hujus facti vindictam ignobiliſſimum mortis genus impoſuit, ut ſcilicet à ſervis ſuis interficeretur, qvod & ſic eveniſſe dicitur. Spinoſæ illæ qvæſtiones, qvas Regi propoſuit Odinus, in memorata hiſtoria, qvam hic ſub *Hiſtoriæ Hervorianæ* nomine ſæpius allegamus, legi poſſunt. Vixit autem Heidrecus hicce aliqvot poſt Frodii I. vel Pacifici, (qvi Saxonis Tertius eſt) tempora, ſeculis; qvod ex genealogiis liqvet. Nam Haraldus Grandævus, deſcendenti linea à Frodio tertius decimus, Heidreki hujus proneptem uxorem duxit.

Arngrimum, Sveticum pugilem, ex Oſurâ, Frodii hujus filiâ, Angantyrem & undecim illius fratres ſuſtuliſſe Saxo ſcribit. Qvod cum noſtris antiqvitatibus nihilomelius convenit.

venit. Etenim Eyſura (unde Saxo, vel potius librarius aliqvis, Oſuram formavit) qvæ gigantes iſtos, aut ſi aliud vocabulum mavis athletas furioſos, (qvibus cum Aurvaroddus congreſſus, ad unum omnes fudit,) peperit, Frodii filia neutiqvam fuit; nec conflictus ille ſub Frodio, ſed longe ſerius contigit. Patet illud evidenter ex Arngrimi, athletarum iſtorum patris, genealogia, qvam ex *Originibus Norvegicis* deſumtam hic ſubjungimus:

Nor, Norvegiæ Eponymus.
Raumus.
Hringus.
Halfdanus Grandævus.
Dagus.
Arngrimus. ——— Eyſura.
Angantyr.

Angantyri iſti, ut ex carmine antiqviſſimo, qvod *Hyndluliod* (alias *Voluſpa hin skamma*, ɔ: *Voluſpa brevior*) inſcribitur, colligi poteſt, coævus erat Ottarus Stultus. Hujus itaqve genealogia rem præſentem haut parum illuſtrat; qvam magnâ ex parte nobis memoratum carmen conſervavit. Ibi fœmina qvædam inducitur, Deam ex gigantum ſtemmate oriundam ſollicitans, ut ad Ottaris & Angantyris, de ſucceſſionis jure & adeunda hæreditate diſceptantium, litem dirimendam, veteres genealogias retexat: Deaqve memorata, ſtemmata illa recenſens. Carminis exordium & locum huc competentem adſcribam, ut artificium, qvod antiqvitas in ſuis carminibus condendis obſervavit, unà eluceſcat.

Vaki mær meyia
vaki min vina

Hyndla ſyſtir
er i helli byr:
nu er rauckr rauckra
rida vid skulum
til valhallar
oc til veſs heilags.
Bidiom herians faudur
i hugum ſitia
hann gelldr oc gefr
gull verdugum:
gaf hann Hermodi
hialm oc bryniu
enn Sigmundi
ſverd at þyggia.
Gefr hann ſigr ſoniom
en ſumum aura
mælsko morgum
oc mannvit ſirum:
byri gefr hann braugnum
en brag skalldom
gefr hann manſemi
morgum recki. *h. e.*

„ Vigilet qvæſo tenerrima virgo, vigilet amica mea,
„ ſoror mea Hyndla, qvæ antrum inhabitat; jam veſpe-
„ raſcens crepuſculum inſtat, nos ad aulam Valicam
„ (*Odini*) & virum ſanctum eqvitabimus.
„ Oremus patrem exercituum (*Odinum intelligit*) ut
„ animis noſtris illabatur; is cuiqve pro meritis aurum
„ impertit, hic Hermodum caſſide & loricâ, Sigmun-
„ dum vero enſe donavit.
„ Filios ſuos victoria beat, alios autem opibus, alios
elo-

eloqventiâ, alios ſapientiâ; aliis de ſecundo vento pro- „
videt; poëtis ſingularem venam & genium ſuggerit, „
multorumqve pectoribus heroicum animum inflat. „
Hinc ad propoſitum feſtinat, & Deam hoc modo alloqvitur:

Sennum vid or ſodlum
ſitia vid skulum
oc um Jofra
ættir dæma:
gumna þeirra
er fra godum kvomu.
þeir hafa vediat
vala malmi
Ottar ungi
oc Angantyr:
skyllt er at veita
ſva at skati enn ungi
faudurleifd hafi
eftir frændr ſina.
Haurg hann mer giordi
hladin ſteinum
nu er griot þat
at gleri vordit:
raud hann i nyiu
nauta blodi
æ trudi Ottar
a Aſyniur.
Nu lattu forna
nidia talda,
oc upp bornar
ættir manna:
hvat er skioldunga,

hvat

hvat er skilfinga,
hvat er ylfinga,
hvat er hauldborit,
hvat er hersborit,
meſt manna val
und midgardi? *h. e.*

„ Colloqvamur ex ephippiis,ſedeamus, & Regum pro-
„ ſapias examinemus, heroum à Diis genus ducentium.
„ Nam juvenis Ottar & Angantyr divino metallo
„ (*auro*) pignoris loco certarunt: oportet ſuccurrere,
„ ut Regius juvenis patrimonii à cognatis relicti com-
„ pos fiat.
„ Is mihi delubrum exſtruxit ex lapidibus, qvi jam
„ in vitrum converſi ſunt, recentiboum ſangvine rora-
„ vit; ſemper Ottar Aſiatis Deabus fidebat.
„ Antiqva igitur ſtemmata recenſe, & hominum ge-
„ nealogias deprome; qvinam Skioldungorum, qvinam
„ Skilfingorum, qvinam Ylfingorum, qvi ex nobilita-
„ te, qvi baronibus oriundi præſtantiſſimi in orbe ſint.

Ad hæc Dea illa inter alia reſpondet:

þu ert Ottar
borinn Innſteini,
enn Innſteinn var
Alf enum gamla,
Alfr var Ulfi,
Ulfr Sæfara,
enn Sæfari
Svan enum Rauda. *h. e.*

„ Tu Ottar natus es Innſteino, Innſteinus vero Alfo
„ Grandævo, Alfus Ulfo,Ulfus Sæfario, Sæfarius autem
„ Svano Ruffo.

Con-

Confirmant hæc *Origines Norvegiæ*, & Innſteini genealogiam altius hoc modo retexunt:

Nor Norvegiæ Eponymus.
Raumus.
Alfus vel Finnalfus.
Svanus Ruffus.
Sæfarius.
Ulfus.
Alfus.
Innſteinus.

Ex hiſce, ni fallor, evidenter patet, Arngrimum & ejus filios, Frodii, Saxoni Tertii, nobis Primi, tempore non vixiſſe, ſed longe ſerius.

Sed nonnihil difficultatis hic nobis parit *Hiſtoria Hervoriana*, qvæ Arngrimi genus longe aliter recenſet, patrem illius vocando Eygrimum Bolmum, Halogiæ (non Smalandiæ ut vult Clariſſ. *Verelius*) civem, avum Hergrimum ſemigigantem, proavum Arngrimum, Odino circiter coævum. Eyfura ſimiliter Arngrimi uxor, longè altius, ſi deſcendentis lineæ graduum rationem habeamus, elevatur; qvippe qvæ in prædictâ hiſtoriâ filia fuiſſe dicitur Svafrlamii, filii Sigrlamii: ut eâ ratione Odini proneptis fuerit: nec pluribus gradibus Gylfio (Sveciæ Regi) inferior, prout in tabella genealogicâ, ſuperius pag. 216. exhibitâ, videre eſt. Hic ea repetemus, qvæ lib. II. Cap. IV. pag. 126. ſuperius attigimus: nempe dictam genealogiam lacunæ vel defectus graduum ſuſpectam nobis eſſe. Aſſerit qvidem Hiſtoriæ Hervorianæ auctor primos illos ſibi memoratos homines ad ingentem ſenectutem perveniſſe. Sed vix eorum ætas in tantum protrahi potuit, ut huic defectui ſupplen-

do ſufficiat; præſertim qvum ex genealogiarum, ab inferioribus tempore ad majores retrò textarum monſtratâ nuper harmoniâ certò concludi poſſit, Arngrimum & Eyfuram, Angantyris parentes, aliqvot poſt Chriſtum natum ſeculis vixiſſe. Valde igitur metuo, ne dicti Arngrimi & uxoris ejus progenitorum nonnulli, longo temporum decurſu, vel librariorum incuriâ in oblivionem venerint, ac itaqve prædicta genealogia primâ ſui parte aliqvid vitii contraxerit. Clariſſimi *Verelii* aſſertionem, Not. in Hiſt. Hervor. pag. 49. qvâ ſæpedictus Arngrimus Frodio antiqvior & Odino æqvalis ſtatuitur, prolixè diſcutere non eſt opus; iſta enim hallucinatio non niſi feſtinanti calamo imputanda eſt, Eyfuræ marito ea aſcribentis, qvæ proavo ejus, cognomini, aſſignari debebant.

Hithini (qvem noſtrates Hedinum vocant) & Hógini (nobis Hognii), filiæqve illius Hildæ hiſtoriam ad hæc qvoqve tempora Saxo refert. Noſtrates eos longè poſt Frodium huncce vixiſſe innuunt; qvorum relationes, aliàs ſecum invicem parum cohærentes, in qvantum Saxoni ſuffragentur aut ab illius relatione diſſideant, nos ad calcem operis hujus luculentius exponemus.

In Frothonem huncce Saxonem, qvicqvid in veterum hiſtoriis magnificum & admirandum repererit, congeſſiſſe autumat *Verelius* Not. in Hiſtor. Hervor. Cap. III. pag. 49. idqve ut eum non modo Regem, ſed etiam heroëm, priſcis illis heroibus ac ſemideis parem, exhiberet. Nos nonnulla à Saxone ad Frodii tempora referri, qvæ aliò pertinent, nec diſſimulavimus; at eum id ſcientem volentemqve feciſſe, meritò dubitamus. Qvicqvid ſit, Frodium illum, omnibus ſui temporis ſeptentrionis Re-

gi-

gibus palmam præripuiſſe, opibusqve, magnificentia & majeſtatis ſplendore incomparabilem fuiſſe, noſtrates, qvotqvot illius meminerunt, unanimi conſenſu perhibent.

Ad Sveciæ ſceptra Fiolner tunc ſedebat, qvi, ut *Snorrius* teſtatur, à Frodio in Daniam ad convivium invitatus regaliqve magnificentia exceptus eſt; cumqve per noctem, heſternâ crapula madens, cubiculo egrederetur, in eximiæ capacitatis, qvod ex infima domus parte ad tabellatum usqve pertigit, dolium, mellitâ aqva repletum, incidit, ubi ſtagnantis liqvoris abundantia præfocatus animam efflavit.

Hunc eundem caſum *Saxo* Hundingo, Sveciæ Regi, adſcribit, ac Hadingi Daniæ Regis temporibus contigiſſe vult; verba illius hæc ſunt: Interea Rex Sve- „
onum Hundingus, occaſum Hadingi falſi acceptum „
nuncio inferiis excepturus, optimatibus contractis, „
eximiæ capacitatis dolium Cereali liqvore completum, „
delitiarum loco medium convivis apponi præcepit: & „
ne qvid celebritatis deeſſet, ipſe miniſtri partibus aſ- „
ſumtis pincernam agere cunctatus non eſt. Cumqve „
exeqvendi officii gratia regiam perluſtraret, offenſo „
gradu in dolium collapſus, intercluſum humore ſpi- „
ritum reddidit. Addit Saxo Hadingum, ne amico ſupereſſet, ſuſpendio ſemetipſum necaſſe.

De Haddingo nuper ſcripſimus, & eum ad longè inferiora tempora, qvam qvæ ei à Saxone tribuuntur, pertinere, evidenter monſtavimus. Idem de Hundingo nunc dicimus. Etenim uti Haddingi exitum ignoramus, ita dicti Hundingi, celeberrimi Regis, necem elegantiſſimo carmine celebratam, novimus. Nam Helgii Hundingsbanii, patris ſui Sigmundi Volſungii cædem ulciſcen-

ſcentis, gladio occubuit. Carmen illud cum veterum qvovis elegantiâ certans, *Helgaqvida Hundingsbana* ɔ: *Helgii Hundingsbanii Oda* inſcribitur, & de hac re ita loqvitur:

Skamt let viſi
vigs at bida
þa er fylkir var
fimtan vetra
oc hann hardan let
Hunding veginn
þann er lengi red
laundom oc þegnom. *h. e.*

„ Rex (*Helgium intelligit*) in longum tempus cædem non
„ diſtulit, nam cum qvindecim annos natus eſſet, ge-
„ neroſum Hundingum occidit, qvi regnis & populis
„ per longum tempus præfuerat.

Neutiqvam igitur in tantum exaltari debet Hundingi æra, qvi multis poſt Chriſtum ſeculis vixit. Sed neqve ullum inter genuinos Speciæ Reges Hundingi nomine novimus.

Hic locum inveniet integrum caput, qvod ex libro, qvi *Rimbegla* inſcribitur, deſumtum ſuperius aliqvoties allegavi, eò qvod memoratos hactenus Dynaſtas compendio exhibeat: Uphaf allra fraſagna i Norrænni tungu,
„ þeirra er ſannyndi fylgia, hefzt þa er Tyrkir oc Aſia-
„ menn bygdu nordrit. þvi er þat med ſonnu at ſeg-
„ ia, at tungan kom med þeim nordr hingat, er ver kol-
„ lum Norrænu, oc geck ſu tunga um Saxland, Dan-
„ mork oc Sviþiod, Noreg oc um nockurn hluta Eng-
„ landz. Hofudsmadr þeſſa folks var Odinn ſon
„ þors. Hann atti marga ſonu. Til Odins telia margir

gir ættir ſinar. Hann ſkipadi ſonum ſinum til lan- ,,
da, oc giordi hofdingia Einn af ſonum hans er ,,
nefndr Skiolldr, ſa er land tok ſer þat er nu heitir Dan- ,,
mork. En þa voru þeſſi lond er Aſia menn. bygdu ,,
kollut Godlond, en folkit Godiod, þar voru ſett endi- ,,
mork milli Skialldar oc Yngvifreys brodur hans, er ,,
þat riki bygdi, er nu kalla menn Sviariki. Odinn oc ,,
hans ſynir voru ſtorum vitrir oc fiolkunnigir, fagrir at ,,
alitum oc ſterkir at afli. Margir adrir i þeirra ætt vo- ,,
ru miklir afburdarmenn med ymiſligum algiorleik; ,,
oc nockura af þeim toku menn til at blota, oc trua a, ,,
oc kolludu god ſin. Skiolldr var miok agætr oc hafdi ,,
undir ſer mikit riki. manna riki var oc mikit oc fridr ,,
godr. Hann atti einn ſon er Leifr het, þviat hann leyf- ,,
di honum lond oc lauſafe. A hans dogum var ſva ,,
godr fridr, at i hans riki vard ecki vig, oc fyrir þvi ,,
var hann kalladr Fridleifr. hann var hinn meſti ſpe- ,,
kingr. Hans ſon var Frodi. hann var ſva vitr oc marg- ,,
kunnigr, at af hans nafni er ſa hver frodr kalladr er ,,
vitr er. A dogum Froda var ſva mikill fridr, at engi ,,
villdi mann drepa, þoat hann ſæi fyrir ſer bundinn ,,
fodurbana ſinn eda brodur. þa laugduzt nidr ran oc ,,
ſtuldr, ſva at gullhringr la marga vetr a þiodleid a Ja- ,,
langrs heidi. þat er ætlan manna þa er Fridfrodi var, ,,
at i þann tima væri i Romaborg Auguſtus Keiſari, ſa ,,
er frid ſetti um allan heim. þa var Kriſtr borinn. þa ,,
er Fridfrodi red rikinu, var ar ſva mikit at akrar ur- ,,
du ſialfſadir oc þurfti eigi vid vetri at buazt, oc þa ,,
fannzt i jordu allzkonar malmr. þat var a einu ari þa ,,
er Frodi var gamall, at reidarþrumur komu ſtorar oc ,,
elldingar. þa hvarf ſol af himni, oc ſkalf iord, ſva at ,,

 biorg

„ biorg hrutu or ſtadi oc þa kvomu biorg or iordu,
„ oc villtuzt allir ſpadomar. *hoc eſt*: Omnes hiſtoriæ
„ in lingvâ Norvegicâ (i. e. *qvæ agunt de populis Norvegica lingva loqventibus, ut ſunt Dani, Norvegi, Sveci.*) qvæ
„ veris relationibus innituntur, incipiunt ab illo tempore,
„ qvo Turcæ & Aſiatici Septentrionem inhabitare cæperunt. Verè autem traditur lingvam, qvam Norvegicam appellamus, una cum illis in ſeptentrionem veniſſe: qvæ lingva per Saxoniam, Daniam, Sveciam
„ Norvegiam & aliqvam Angliæ partem ſe diffudit:
„ Hujus populi princeps fuit Odinus, Thoris filius,
„ (*Thorem Odini non patrem, ſed filium fuiſſe, alii rectius tradunt.*) Hic multos filios habuit. Ad Odinum
„ multi genus ſuum referunt. Is filiis ſuis regna dedit,
„ eosqve Principes creavit. Unus ex filiis ejus Skioldus dictus eſt, qvi illam regionem occupavit, qvæ
„ nunc Dania dicitur. Tunc vero hæ terræ, qvas Aſæ
„ incoluerunt, Godlandiæ dicebantur, populus autem
„ Godiod. (*i.e. Divina progenies, nam* God *Deum ſignificat,* Jod *Sobolem. Forte & legendum,* Godþiod, *id eſt: Divina natio;* þiod *enim Gentem denotat.*) Termini conſtituti ſunt inter
„ Skioldum & Yngvifreyrem ipſius fratrem, (*Cognatum rectius: Et priſca lingva cognati* fratres *appellantur, qvod etiamnum Islandis in uſu eſt*) qvi illud regnum tenuit,
„ qvod Sveonum Regnum nunc appellant. Odinus &
„ filii ejus admodum ſapientes erant & magicarum artium periti, formâ venuſti & fortitudine inſignes.
„ Multi etiam alii eorum cognati variis naturæ dotibus
„ inclyti fuerunt; Qvorum nonnullos homines ſacrificiis colere, & eorum religione duci cæperunt, eosqve
„ pro Diis habuerunt. Skioldus percelebris fuit, vaſtoqve

qve imperio ac magno populi numero in pace præ- „
fuit. Is filium habuit Leiſum (ɔ: *reliqvias*) dictum, „
qvod ei tam Regnum, qvam ceteras opes relinqveret. „
Illius diebus adeo tuta pax vigebat, ut in Regno illius „
ne unicum homicidium patraretur; unde Frid- „
leiſus (ɔ: *Leiſus Pacificus*) dictus eſt. Hic admodum pru- „
dens erat. Illius filius fuit Frodius, qvi adeo ſapiens „
& multiſcius fuit, ut ab illo qvilibet ſapiens *Frodr* di- „
catur. Illius tempore tanta pax regnavit, ut nemo „
hominem occidere præſumeret, etiamſi patris ſui aut „
fratris interfectorem vinctum offenderet. Tunc la- „
trocinia & furta ſopita ſunt, adeo ut annulus aureus „
in campis Jalangrenſibus (*forte Jellinge*) in publica via „
multos annos impune jaceret. Creditur Cæſarem „
Auguſtum qvi pacem toto orbe fundavit Frodii Pa- „
cifici tempore Romæ regnaſſe. Tunc Chriſtus „
natus eſt. Frodio Pacifico regnante, terra tam ferax e- „
rat, ut agri absqve ſatione fructum ferrent, nec hy- „
ems metuenda eſſet; tunc etiam omnis generis metal- „
la in viſceribus terræ inveniebantur. Anno qvodam, „
cum Frodius ætate provectus eſſet, accidit, ut ingen- „
tia tonitrua fulguraqve audirentur: tunc Sol è cœlo „
diſparuit, terraqve adeo tremuit, ut rupes loco motæ „
aliò ferrentur; tunc etiam ſaxa è terra emerſerunt, & „
omnes prophetiæ confundebantur. Hactenus Rimbegla, ſcriptum qvidem antiqvum, ſed à recentiore qvodam, ut apparet, interpolatum & corruptum.

Frodio Hiarnium poëtam ſucceſſiſſe Saxo ait. Noſtri eum ſilent; unde tamen Regum Catalogo eximendum eſſe, ſatis tutò argumentari neqvimus. Neqve e-

nim in Regum genealogias referri potuit, qvi majorum nobilitate deſtitutus, carminis ope ad imperium evectus eſt.

Fridleiſo autem Frodii filio inter Reges genuinos locum deberi clarum eſt, licet ipſius hiſtoria utet reliqvorum Skioldungorum interierit, nec præter nuda nomina è genealogiis petenda ſuperſint; qvæ magis ordinem qvam narrationem dirigunt. Hic nobis in Fridleiſorum ordine ſecundus eſt. Fuiſſe illi filium Frodium IV. ſtatuit Saxo, qvod nos refellimus, inqve ipſius locum Havarem ſubſtituimus.

Hic Havar à manuum robore *handrammi* dictus, qvantum puto, è Regum albo rejici non debet, cum tam patrem qvam filium Reges habuerit: niſi forte ante patris obitum, ſupremum diem regni expers clauſerit; qva de re nihil certi afferre poſſumus, deficiente hìc, ut aliàs, Skioldungorum, i. e. Daniæ Regum, hiſtoriâ. In priori genealogia, ex Originibus Norvegiæ ſuperius pag. 213. exhibitâ, *Havardus* perperam vocatur.

Havaris illius filius fuit Frodius, qvem nos hìc eo nomine ſecundum agnoſcimus, Saxo vero Qvartum facit. Huic an res illæ competant, qvas Saxo de ſuo Frodio Primo refert, parum conſtat. Filii vero qvos Primo illi adſcribit, Frodio Vegeto, qvi nobis pariter ac illi numero qvartus eſt, procreati ſunt. Id enim filius Halfdanus, ejusqve filii Hroar & Helgius eorumqve hiſtoria evidentiſſimè probant. Qvin & ea qvæ de Svertingo memorantur, in illum conveniunt.

CA-

CAPUT V.

De Vermundo Sapiente, Olafo Manſveto, Dano Magnanimo, Danici Regni Eponymo, Frodio III. ſeu Tranqvillo, Halfdano I. & Fridleifo Tertio.

Vermundus, non Vigleti, ut *Saxo* opinatus eſt, ſed Frodii II. filius, hunc in noſtra Danicorum Regum ſerie locum occupat, & Sapientis cognomine illuſtratur.

Ei filium Olafum Manſvetum immediatè ſubjungunt *Langfedgatal* & prior illarum genealogiarum, qvas ex *Origibus Norvegicis* ſuperius pag. 213. exhibuimus. At dictarum genealogiarum poſterior ex Olafo, *Olufam* fæminam facit, Daniqve Magnanimi (qvi, uti ad illam genealogiam annotavimus, librarii tantum culpa omiſſus eſt) non patrem, ſed matrem fuiſſe innuit. Sed qvoniam præter hanc unam genealogiam ceteræ omnes in Olafum conſentiunt, nos earum auctoritatem pluris facimus.

Olafo Manſveto Danum ſucceſſiſſe conſtat, qvem noſtrates ejus nominis Primum faciunt, & Daniæ Regno nomen dediſſe volunt. Illius ſororem Domar Sveciæ Rex in matrimonio habuit, atqve ex ea Dyggvium genuit. Ecce de iſta re *Snorrii Sturlæi* teſtimonium: Modir „ Dyggva var Drott, dottir Danps Konungs, ſonar „ Rigs, er fyrſtr var Konungr kalladr a Danska tungu. „ hans ættmenn hofdu avallt ſidan Konungs nafn fyrir „ et æzta tignar nafn. Dyggvi var fyrſt Konungr kal- „ ladr ſinna ættmanna, enn adr voru þeir Drotnar kal- „ ladir, en konur þeirra Drotningar, enn Drott hirdſvei- „

Ll tin.

„ tin. enn yngvi edr ynguni hverr þeirra ættmanna, al-
„ la æfi, enn ynglingar allir ſaman. Drott drotning
„ var ſyſtir Dans Konungs hins Mikillata er Danmork
„ er vidkend. *hoc eſt.* Dyggvii (*Sveciæ Regis*) mater
„ fuit Drotta, filia Regis Danpi, filii Rigi, qvi primus Da-
„ nicâ lingvâ (*id eſt, in ſeptentrione*) *Konungus* (ɔ: Rex) ap-
„ pellatus eſt. Illius poſteri *Konungi* (Regis) nomen pro
„ ſummo dignitatis titulo exinde ſemper uſurparunt.
„ Dyggvius ſuorum gentilium primus Konungus (*Rex*)
„ dictus eſt, prius enim (*Sveciæ*) Reges *Drottini* (domi-
„ ni) dicti ſunt, & uxores eorum *Drotningæ* (dominæ)
„ aulici vero in univerſum *Drott* (cætus): cognatorum
„ Regiorum qvisqve *Yngvi* ſeu *Yngúni* ſemper appella-
„ batur, collectim vero *Ynglingi* (ɔ: Yngvii poſteri) di-
„ cebantur. Drotta Regina ſoror fuit Dani Magnanimi
„ à qvo Dania denominata eſt.

Danum Olafo Manſveto genitum ſuperius ſtatuimus, ubi de ſeptentrionis Regum Chronologia conjecturas fecimus. At *Snorrius* ſororem illius Drottam Danpo patre natam hic expreſſè dicit. Dubitare itaqve nonnemo poterit, Danus an patrem Olafum habuerit, aut eodem cum Drotta patre, nempe Danpo, ſatus ſit, præſertim cum *Langfedgatal*, indubitatæ auctoritatis monumentum, notam illam generationis: *hujus filius*, hic omittat; non ſecus ac inferius, ubi Sigurdum Hringum nominat, qvem Haraldi Hilditannis ſucceſſorem tantum, non vero filium fuiſſe, omnes norunt.

Ad ea reſpondeo, nihil nobis contrarium ex Snorrii loco concludi poſſe. Fuit qvidem Drotta, Danpi filia, Dani ſoror; ſed uterinam tantum fuiſſe, matremqve illius mortuo Danpo in Olafi amplexus veniſſe facile colligitur.

gitur. Etenim notam generationis, qvam *Langfedgatal* hic omittit, *Origines Norvegicæ* ſuppeditant: Qvarum teſtimonio qvo minus acqvieſcamus nil cauſæ video; cum *Langfedgatal* nihil contrarii adferat, ſed ſaltem dictam generationis notam omittat. Qvod illius ſilentium *Originum Norvegicarum* aſſertioni præponderare, meo arbitrio, non debet; præſertim cum probari neqveat, eandem ob cauſam hic in Dano, ac in Sigurdo Hringo generationis notam omiſſam eſſe; ſed meliori forte jure culpa in librarium referri qveat. Adde qvod Saxo ſententiæ noſtræ robur adjiciat, ubi Danum hunc Olafi (qvem alias Uffonem dictum tradit) filium fuiſſe expreſſe dicit. Cujus aſſertiones, ubi aliorum ex vetuſtate monumentorum teſtimoniis ſtabiliuntur, aut ad dubia illuſtranda faciunt, qvin magnum habeant momentum, negari haud poteſt.

De Danpo & Rigo, qvorum *Snorrius* adducto loco mentionem facit, parum ſcimus. Provinciæ cuidam Danicæ præfuiſſe, veriſimile eſt; & forte hi qvoqve à Skioldo originem duxerunt. De Rigo Snorrius teſtatur, eum omnium primum Regis titulum aſſumſiſſe poſterisqve uſurpandum reliqviſſe. Hic in Chronico Norvegico, typis impreſſo, perperam *Ring* vocatur.

Extat Oda, veteri lingva Danicâ conſcripta, ſub titulo *Rigsmal*, qvâ Heimdallus, Aſarum ſeu Deorum unus, Rigi nomen aſſumſiſſe, atqve ita perſonam mentitus tria hominum genera, videlicet Nobiles, Ruſticos & Servos progeneraſſe traditur; mythologicè ut apparet; forte qvod Rigus hicce noſter ſubditos ſuos, eatenus minus cultos confuſosve, in certos ordines digeſſerit, ſingulis officia miniſteriaqve diſpertiendo, cum ſine eo rempubli-

cam conſiſtere non poſſe animadverterit. Clauditur hæc Oda Dani Danpiqve nominibus elogiisqve, unde Rigum, de qvo nobis ſermo eſt, mythologiâ illâ indigitari credimus; aliàs enim horum mentio inepte hic fieret; appoſitè vero, ſi alter horum Rigi iſtius filius, alter nepotis loco fuerit. Ad Danum redeo.

Hic idem ille eſt Danus, qvem Saxo ejus nominis Secundum facit, atqve ob ſuperbiam & luxum valde vituperat. Noſtris *Mikillati* cognominatur, qvod *Magnanimum* ſeu *Magnificum* denotat: poteſt & *Superbus* verti, qvod fortè Saxoni ſuæ narrationis occaſionem præbuit. Noſtri certè nihil vituperio dignum de Dano referunt. Ab hoc Dano Daniæ Regnum nomen ſumſiſſe, *Snorrius* loco adducto & *Langfedgatal* teſtantur: Unde Dano, qvem Saxo Primum poſuit, nullum inter Daniæ Reges locum deberi patet. Hic tumulandi morem primus in Daniam invexit, qvem à ſe ipſo auſpicatus, in poſteros transmiſit, donec tandem Chriſtiana religio, miſero eatenus Septentrioni divinitus indulta, melioribus eum ritibus correxit *Snorrius* in præfatione ad Chronicon ſuum Norveg. ita ait: En fyrſta aulld er kaullut Bru-
„ na aulld. þa skylldi brenna alla dauda menn, oc
„ reiſa eptir bautaſteina. Enn ſidan er Freyr hafdi
„ heygdr verit at Upſolum, þa giordo margir hofdin-
„ giar eigi ſidr hauga enn bautaſteina til minningar ep-
„ tir frændr ſina. Enn ſidann er Danr hinn Mikillati
„ Danakonongr let ſer haug giora, oc baud ſik þan-
„ gat bera daudan med Konongs skruda oc herbunadi,
„ oc heſt hans med ſaudulreidi, oc mikit fe annat, enn
„ hans ættmenn giordo margir ſva ſidan, oc hofz þa
„ haugs aulld i Danmorko, enn lengi ſidan hellz bruna

aulld

aulld med Sviom oc Nordmonnom. *hoc eſt*: Prima „
ætas Combuſtionis ætas dicta eſt; tunc omnia mortu- „
orum corpora cremare mos erat, atqve in eorum me- „
moriam ſaxa erigere (*qvæ bautaſteinar dicebantur.*) Sed „
poſtqvam Freyr Upſalis tumulo conditus fuiſſet, mul- „
ti proceres non minus tumulos, qvam ſaxa in cogna- „
torum ſuorum memoriam erexerunt. At cum Danus „
Magnanimus, Danorum Rex, ſibi tumulum fieri cu- „
raſſet, juſſiſſetqve eo ſe mortuum condi, Regiis veſti- „
bus armisqve indutum, atqve ſecum unà ſepeliri e- „
qvum ſuum phaleris ornatum, addita magnâ vi pecu- „
niæ (qvod illius exemplum cognatorum illius multi „
poſtea imitati ſunt) Tumulorum ætas in Daniâ cœpit. „
In Svecia autem & Norvegia Combuſtionis ætas lon- „
go poſthac tempore duravit.

Ad ſepulturam Freyris qvod attinet, ille ritum iſtum non invexit, ſed à Svecis præter ejus voluntatem eo modo elatus eſt, qvem ſecundum conſvetudinem ab Odino introductam, atqve ab Odini ſucceſſore, Freyrisqve patre Niordo confirmatam, moribundum mucrone ſauciari, ac deinde exanimem cremari oportebat. Etenim Sveci hunc eundem Freyrem pacis & fertilitatis auctorem credentes, præter leges & receptum morem eum tumularunt; perſvaſi, tamdiu ſe annonæ fertilitate & pacis indulgentia fruituros, qvoad cadaver illius integrum conſervarent. Et ne Freyr animo ob nimiam ſolitudinem langveret, tentârunt qvidem hominibus perſvadere, ut ſe vivos eo contumulari permitterent; qvod cum minus ſuccederet, duo hominum ſimulacra, è ligno fabrefacta, ſepeliendo ei adjunxerunt; qvæ colli ſepulcrali poſtea exemta mirum in modum ſuper-

ſtitionem promoverunt. Nam ad eorum formam reliqva idola ſtruxerunt, uti hæc à *Snorrio* & *Olafi Tryggvini hiſtoria* referuntur. Ceterum de ſubſeqventium Regum permultis conſtat, eos poſt mortem priſtino ritu crematos eſſe; unde ſepeliendi morem non à Freyre aut Frodio Pacifico, ſed Dano Magnanimo invectum eſſe patet.

Frodius Tranqvillus, ordine nominis Tertius, Dano Magnanimo patri ſucceſſit. Hic Saxonis Frotho Secundus eſſe videtur, qvem ille perperam Huglethi filium eſſe exiſtimavit. Fuit Huglethus, nobis Hugleicus, uti ex *Snorrii* Chronico conſtat, Sveciæ, non Daniæ Rex, Frodio huic Tranqvillo, ut videtur, coævus. Nam Halfdanus Frodii hujus filius (qvi Saxonis Danus III. eſt) Aunium Sveciæ Regem, Hugleico poſteriorem, regno exuiſſe ſcribitur. Ex hoc Hugleico Saxo Frothonis ſui Secundi patrem efformaſſe videtur. Et omnino ad eum pertinet hiſtoria illa, qvam Saxo de Hugleto Hiberniæ Rege, & Hacone Daniæ tyranno, in vita Frodii IV. recenſet, qvod ex illius relationis collatione cum *Snorrii* Chronico Norvegico abundè patet. Nos utriusqve, tam Saxonis qvam Snorrii narrationem ſubjungemus, & Saxonis qvidem compendioſè, qvod is à pluribus legatur. Tradit autem ille libro IV. pag. m. 104. Starcatherum, mortuo Bemono, cum apud Biarmenſes, plurima memoratu digna edidiſſet facinora, Sveonum finem ingreſſum, cum filiis Fró ſeptennio feriatum eſſe. Hinc ad Haconem Daniæ tyrannum ſe contuliſſe, qvod apud Upſalas ſacrificiorum tempore conſtitutus, effæminatos corporum motus, ſcenicosqve mimorum plauſus, ac mollia nolarum crepitacula faſtidiret. Itaqve cum Hacone claſſem in Hiberniam extuliſſe, qvam ea tempeſtate Hugletus rexerit.

xerit, princeps opibus abundans, at avaritiæ adeo obnoxius, ut dandis aliqvando calceis ligamenta detraheret; nec fere niſi in mimos & joculatores munificus. Fuiſſe tamen Hugleto ſpectatæ virtutis proceres Gegathum & Svibdavum, inter effæminatorum conſortia, veluti gemmas ſtercoribus inſitas, conſpicuo militarium operum fulgore pollentes, ſolosqve Regiarum opum defenſores. Igitur prælio inter Háconem & Hugletum cæpto, mimorum greges, trepidis aciem ſolviſſe decurſibus: Gegathum vero & Svibdavum, ſolos tot hoſtium millibus objectos, incredibili bellum virtute geſſiſſe, ut non duorum modo militum, ſed univerſi agminis partes agere viderentur. Sed & Gegathum Haconem, ſibi pertinacius imminentem, tanto pectoris vulnere affeciſſe, ut jecinoris ſuprema detegeret. Illic Starcatherus, dum Gegathum ferro peteret, acerbum adeo vulnus capite excepit, ut poſtmodum in qvodam carmine, non alias triſtiorem ſibi plagam incidiſſe perhibuerit; qvi mox victo occiſoqve Hugleto, & Hibernienſibus in fugam actis, qvoscunqve ex hiſtrionibus captioni caſus obtulit, virgis cædendos curavit. Hæc Saxo. Sed *Snorrius Sturlæus* paulo aliter:

Hugleikr het ſon Alfs, er konongdom tok yfir Svium „
eptir þa brædr, þviat ſynir yngva voro þa born. „
Hugleikr Konongr var engi hermadr oc ſat hann at „
laundom i kyrrſæti. hann var audigr mioc oc ſinkr af „
ſe. hafdi mioc i hird ſinne allzkonar leikara, harpara „
oc gigiara oc fidlara, hann hafdi oc med ſer ſeidmenn „
oc allzkonar fiolkunnigt folk. Haki oc Hagbardr „
heto brædr oc voro agætir mioc, þeir voro ſiakonon- „
gar oc hofdo lid mikit. foro ſtundum badir ſamt, ſtun- „
dum ſer hvarr. margir kappar voro med hvaromtveg- „

„ gia þeirra. Haki Konongr for med her ſinn til Svi-
„ þiodar a hendr Hugleiki Konongi, enn Hugleikr Ko-
„ nongr ſamnadi her fyrer. þa komo til lids vid hann
„ brædr tveir Svipdagr oc Geigadr, agætir menn badir
„ oc hinir meſtu kappar. Haki Konongr hafdi med ſer
„ XII. kappa, þar var þa Starkadr gamli med honom.
„ Haki Konongr var oc hinn meſti kappi. þeir hittuz a
„ fyris vollum. var þar mikil orroſta, fell bratt lid Hug-
„ leiks. þa ſottu fram kapparnir Svipdagr oc Geigadr,
„ enn kappar Haka gengo ſex moti hvarom þeirra oc
„ urdo þeir handteknir. þa geck Haki Konongr inn i
„ skialldborg at Hugleiki Konongi, oc drap hann þar oc
„ ſono hans tva. Eptir þat flydo Sviar. hann ſat þa at
„ laundom þria vetr. enn i þvi kyrrſæti foro kappar hans
„ i fra honom oc i viking oc fengo ſer ſva fiar. *hoc eſt*:
„ Hugleico nomen fuit Alfi filio, qvi poſt *Alfi & Yngvii*
„ fratrum mortem Svecorum Rex factus eſt; filii enim
„ Yngvii nimis teneræ ætatis erant. Hugleicus bellicis
„ operibus parum deditus fuit, ſed pacatè regnum mo-
„ deratus eſt. Hic opulentus erat ſed pecuniæ parcus;
„ habuitqve in aula ſua omnis generis joculatores, ci-
„ tharœdos, auletas & lyricines, incantatores inſuper,
„ & veneficorum magnum gregem. Hakius & Hag-
„ bardus fratres fuerunt viri admodum celebres, & ma-
„ rini Reges (ɔ: *nobiles piratæ*). hi ingentibus copiis in-
„ ſtructi interdum conjunctim, interdum ſeorſim expe-
„ ditiones nauticas ſuſceperunt, uterqve fortiſſimorum
„ bellatorum ſatellitio ſtipatus. Rex Hakius Sveciam
„ cum exercitu petebat, Hugleico bellum illaturus; qvi
„ exercitum mox coegit. Tunc ipſi in auxilium vene-
„ runt duo fratres Svipdagus & Geigadus, ambo inſignes

viri,

viri, & bellatores fortiſſimi. Hakius duodecim magni „ nominis bellatores in exercitu habebat, inter qvos Starcadus Grandævus numerabatur; Hakius qvoqve Rex „ ipſe ſummus erat bellator. In campis igitur Fyrenſibus „ atroci pugna utrinqve concurſum eſt, ſtatimqve in exer- „ citu Hugleiki magna ſtrages facta. Tunc Svipdagus & „ Geigadus in hoſtium aciem impetum fecere: qvo- „ rum ſingulos ſex ex præcipuis Hakii bellatoribus ex- „ ceperunt, vivosqve comprehenderent. Hinc agmen, „ qvod Hugleicum Regem inſtar valli undiqve cinge- „ bat, perrumpens Hakius, Regem cum duobus filiis „ obtruncavit; qvo facto Sveci fugam capeſſebant. Po- „ titus victoria Hakius triennium ſumma in qviete „ Sveciæ præfuit; qvare præcipui illius bellatores ab eo „ in alias terras prædatum diſceſſerunt.

Ex his patet, eandem hiſtoriam à Saxone & Snorrio exponi, licet in qvibusdam diſſentiant. Hakium Saxo Danum fuiſſe perhibet: Snorrii exemplaria MSta, qvæ ad manus habeo, cujas fuerit non definiunt: Norvegum fuiſſe ait *Snorriani Chronici* verſio *Danica*, ex vetuſto exemplari absqve dubio adornata; qvâ nos innixi eum ſuperius libro II. Cap. II. pag. 102. Norvegum fuiſſe diximus. Qvicqvid illius ſit, res iſtæ in Frodii Tranqvilli tempora benè qvadrant. Nam Frodius V. hujus pronepos, Eigili Tunnicidæ, filio Aunii Grandævi, illius qvi primò à Frodii Tranqvilli propatruo Halfdano I. deinde à patruo ejus Olio regno pulſus eſt, ſynchronus fuit; ſed uterqve Hugleico recentior.

Hic iterum obſervandum, hiſtoriam illam, qvam Saxo de Hagbardo & Signe Sigaris filia libro VII. perſe-

qvitur ad hæc tempora pertinere. *Etenim ſi præcedentem* de Hakio & Hugleico ſeu Hugletho *narrationem*, qvam in hæc tempora referendam dixi, ex utroqve ſcriptore collectam, cum illa, qvam dicto loco Saxo inſerit, accuratius contulerimus, mira relationis harmonia reſultat. Primo eadem nomina occurrunt, nam Hakius (Saxoni Haco) & Hagbardus, à Snorrio Sturlæo fratres fuiſſe memorantur, qvod idem Saxo tradit, & Haconem fratris ultionem à Sigare exegiſſe memorat. Secundo idem Hakius, vel Haco, qvem Snorrius piratarum Regem facit, à Saxone hic Daniæ tyrannus, inferius Hamundi Reguli filius audit. Tertio loco Starcadus Hakii (Haconis) comes ab utroqve ſcriptore hic memoratur, qvi illic Haconem (Hakium) ideo deſeruiſſe refertur, qvo is Sigari, cujus hoſpitio Starcadus aliqvando uſus fuerat, arma eſſet illaturus; cujus tamen auxilio non parvo tempore Haconem uſum eſſe traditur. Qvarto loco Hiberniam bello Haconem petiviſſe innuit Saxo, cujus loco Sveciam *ſubſtituit Snorrius*, ſed *conſtanti* Saxonis relatione ab *Hibernia* in *Daniam conceſſiſſe* dicitur. Et qvamvis hic Svecia verius ſit intelligenda, tamen in cœpta narratione perſeverat Saxo, ut pateat eum in unius ejusdemqve Haconis hiſtoria occupari. In Scotiam exinde Haconem conceſſiſſe, ibiqve decurſo biennio fatis functum Saxo ſcribit, cui Snorrius in tantum conſentit, qvod Hakium Sveciam, qvam vivo Hagbardo occupavit, triennium tenuiſſe perhibeat. Ut autem ſynchroniſmus facilius pateat, ſubjungemus hic tam Frodii Tranqvilli, qvam Sigaris & Hugleiki, qvem Hakius occidit, genealogias, qvarum binas priores ex

pagg.

pagg. ſuperius 215. 216. huc transtulimus; tertiam vero ex Originibus Norvegiæ deſcripſimus.

Odinus.	Niordus unus	Forniotus.
1. Skioldus.	1. Freyr. (ex Aſis.	1. Karius.
2. Fridleiſus I.	2. Fiolner.	2. Jokull.
3. Frodius Pacific.	3. Svegder.	3. Snær antiqvus.
4. Fridleiſus II.	4. Vanlandius.	4. Thorrius.
5. Havar.	5. Visbur.	5. Nor.
6. Frodius. II.	6. Domaldus.	6. Raumus.
7. Vermundus.	7. Domar.	7. Hringus.
8. Olaſus. (nimus.	8. Dyggvius.	8. Halfdanus Se-
9. Danus Magna-	9. Dagus.	9. Sigar. (nex.
10. Frodius III.	10. Agnius.	10. Sigmundus.
ſeu Tranqvil-	11. Alrecus.	11. Sigar. Signyæ
lus.	12. Alſus.	pater, qvi Hag-
	13. Hugleicus.	bardum ſuſpen-
		di curavit.

Conſpicuum credo, tum ex ſuperius collatis *narrationibus*, tum ex hac ſerie evadit, hiſtoriam illam, qvam Saxo de Hagbardo retulit, in Frodii hujus Tranqvilli tempora qvadrare. Unde Sigarem inter genuinos Daniæ Reges collocari non poſſe apparet, cum Frodius per id tempus ſummæ rerum præfuerit. Regulum ſi qvis ſtatuat haut ego obnitar. Patrem illius Saxo Syvaldum nominat, qvod ego nihil moror: nam *Origines Norvegiæ* qvas continet Codex Flateyenſis, ipſius & plurimorum ejus cognatorum ſtemmata ex profeſſo perſeqvuntur, adduntqve, ubi ad hunc Sigarem perveniunt, eum Signyam progenuiſſe & Hagbardum ſuſpendio abſumendum curaſſe, prout ex iisdem Originibus nuper attulimus.

Rei geſtæ veſtigia Dani, Norvegi, Sveci, ſinguli in ſua patria, ut evidentes teſtes, producunt loca, iis nominibus inſignita, qvæ ab Hagbardo & Signya Sigareqve in perpetuam ad poſteros memoriam id temporis ſortita ſunt. Qvin & tres Norvegiæ provinciæ interſe diſcordes, ſingulæ ſibi fidelitatis hujus gloriam aſſerunt. Videtur in Liſtria campus, hodieqve *Sigarsvoll* dictus, ceteraqve rudera. In tractu Bergenſi, in prædio Sogniæ Orneſia dicto, parum à promontorio Aungulsneſia, alter. In Halogiæ inſula Aungulseya, & qvidem prædio, ſupremi provinciæ judicis habitationi dicato, Steig dicto, Liber *Originum Islandiæ*, monumentum antiqvitatis illuſtre, Arii etiam Polyhiſtoris auctoritate prope invictum, tertium, ſed rei geſtæ prototypum, indigitat, nomine *Fontis Signyæ*, inſulæqve, qvæ ab Hagbardo *Hagbardzholmus* appelletur. Illa locorum ruderumqve nomina perpetuâ famâ, qvaſi per manus ad poſteros tradita, in hodiernum usqve diem illic durare, confirmavit nobis vir Ampliſſimus & Nobiliſſimus *Canutus Gedde*, qvi provinciam illam Præfecti titulo multis annis gubernavit. Admiratione tam illuſtris facti, gentes complures tragœdiæ iſtius monumenta in perpetuam memoriam apud ſe ſtatuiſſe videntur. Nos ubi contigerit, haut decidemus, cum ſingulæ antiqvitatis teſtimoniis monumentisqve innitantur.

Anteqvam hinc digrediamur, monere viſum eſt, Saxonem in Frodii hujus, Dani filii (qvi ei Secundus nobis Tertius eſt) hiſtoriâ parum ſibi proſpexiſſe, ubi Frógerum Odini filium ab illo occiſum eſſe retulit. Nam Odinus, Frógeri pater, Hadingo Daniæ Regi (ut ex ipſi-

us

us hypotheſi loqvar) coævus erat; qva ratione Frógerum duodecim Regum tempore vixiſſe ſtatuit, id eſt ſecundum Svaningii calculum DXC. annis; tot enim inter Hadingi mortem & initia imperii Frodii hujus, ſecundum illius ſupputationem interfluxerunt.

Frodium III. ſeu Tranqvillum Halfdanus I. & Fridleifus III. filii jure ſucceſſionis exceperunt. Halfdanus iſte Aunium Grandævum, Seciæ Regem, oppugnavit, devicit & in exilium abegit, atqve cum viginti annis Sveciam ditione tenuiſſet, ſupremum diem clauſit. Hujus Aunii pater Jorundus patruelis erat Hugleiki illius, qvem Frodio Tranqvillo ſynchronum ſuperius obſervavimus. Poſtqvam igitur Aunius novercantis fortunæ ſævitiâ amiſſa ſceptra meliori fato recuperaſſet, ab Olio, Fridleiſi Tertii, Halfdani hujus fratris, filio bello impetitus iterum fortunæ ludibrio expoſitus eſt, priſtinum & jam familiare ſibi exilium ſubire coactus, qvoad Olius, Starcadi pugilis opera vita ſpoliatus, regnum priſtino poſſeſſori relinqveret. Hunc Olium eum eſſe puto, qvem *Saxo Olonem Vegetum appellat* & Haraldi Hilditannis ex ſorore *nepotem* à *Sigvardo* Norvegiæ Rege procreatum tradit. Certè hic Olius, Aunii victor, Vegeti nomine â noſtris celebratur, & à Starcado occiſus eſſe memoratur. Qvo vero mortis genere perierit, non æqve compertum habeo. In balneo interfectum Saxo ſcribit; noſtrates vero Regem illum qvi ſceleratâ Starcadi manu in balneo occubuit Armodum nominant, & ab Olio hocce diverſum fuiſſe innuunt. Olonem Saxo ſceleſtâ Starcadi manu interemtum refert, qvod Snorrius huic Olio, Fridleiſi III. filio applicat. Saxo Olavum

 Frid-

Fridleifi II. filium aliàs depromit, è Grubbi cujusdam filia ſuſceptum, cui Parcæ nævis permixtam indolem heroicam ingeneraverint. Hic unius hominis hiſtoriam duobus accommodari exiſtimem; idqve eo tutius, qvo certior ſum, Saxoni hoc aliqvando contigiſſe. Qvin & videor mihi tertium adhuc ex hoc Saxonis Olone elicere, Olafum nimirum, Anglum dictum, à Sigurdo Hringo Jutiæ præfectum, qvi absqve omni dubio Saxonis Olo Vegetus eſt. Nam tempora, qvæ Oloni iſti Saxo accommodat, Olafo Anglo competunt, cædes vero à Starcado illata, Olafo huic Fridleifi filio, qvem Saxo Olavum nominat. Aliàs Olafum, qvem noſtrates Anglum vocant, ſub Gormonis Anglici nomine apud Saxonem latitare puto; de qvo ſuo loco.

Danum qvem Frodio Saxo ſurrogat, non Danum, ſed Halfdanum dicendum eſſe ſuperius diximus, & agnoſcit Clariſſimus *Stephanius* Not. in Saxon. pag. 106. antiqvâ, ut ait, Odini genealogiâ (*Langfedgatal* illa fuit) adductus. Huic cum ille hoc in loco tantam fidem habuerit, ut ſecundum illius tenorem Saxonem corrigere non dubitaverit, cur eandem ipſi in ceteris auctoritatem non tribuerit, haud video. Id, ut dixi cum memorato Stephanio ſtatuo, hunc Danum, qvem Saxo poſt Frodium, ſibi Secundum, collocat, Halfdanum Primum eſſe, qvem Sveciam ſibi ſubjeciſſe conſtat; Daniam tamen cum fratre Fridleifo Tertio æqvo jure tenuiſſe videtur, donec totius Daniæ imperium poſt ipſius mortem Fridleifo ceſſit. Et hic Fridleifus, Celeris cognomine inſignitus, non Frodii illius, qvi nobis Primus, Saxoni vero Tertius eſt, ſed Frodii IV. & Olii Vegetorum pater fuit;

pro-

prout ex Genealogiis & *Snorrii Sturlæi* Chronico in vita Aunii Grandævi Sveciæ Regis, manifeſtè conſpicitur.

CAPUT VI.

De Frodio IV. Vegeto dicto, Ingialdo Starcadi Alumno, Halfdano II. Frodio V. Hroare & Helgio, ejus nominis Primo, Helgiiqve filio Hrolfo Krakio.

Prodit tandem Frodius Vegetus, qvem eo nomine Qvartum Saxoni largimur. Qvod enim de Svertingo legimus, in hunc Regem qvadrat. Et Starcadum filio ejus Ingialdo nutritii officium præſtitiſſe, tam Saxo, qvam antiqvitates noſtræ perhibent; in qvibus idcirco Ingialdus *Starkadar foſtri* ɔ: Starcadi alumnus audit. Cum hoc Frodio Qvârto unum eundemqve hominem eſſe Frothonem illum, qvi apud Saxonem primus ordine collocatur, Haldanus filius, & Roe ac Helgo nepotes ſatis evincunt; de qvibus plura inferius dicentur. Ad hunc Frodium Vegetum, Eigilem Sveciæ Rege a patris ſui Conſiliario, Tunnio dicto, qvem ob infoſſos terræ theſauros, honore privatum, ſervilibus miniſteriis adſciverat, gravi bello impetitum octiesqve acie victum confugiſſe, atqve opem ipſius ac auxilia imploraſſe *Snorrius Sturlæus* ſcribit; ſed gravi errore: Hoc enim auxilium in hunc Frodium non qvadrat. Nam cum Aunius Rex Sveciæ octogenarius à fratre hujus Olio regno pulſus, poſt viginti annos redierit, centum annos natus; ætatemqve poſtea ad centum & decem annos prorogaverit, non eſt conſentaneum Frodium huncce; licet

cet qvadraginta octo annis Olio fratre junior fuerit (qvod in Chronologia noſtra ſuperius ſtatuimus) ad tantam ætatem perveniſſe, ut Aunii illius filium reſtituere potuerit. Eâ enim ratione centum & decem annos vixiſſe eum neceſſe eſt; qvod ſine certo auctore ſtatuere non audemus. Melius itaqve Eigilis reſtitutio convenit Frodii hujus IV. filio, patri cognomini, qvi nobis in Frodiorum ordine Qvintus eſt; de qvo etiam plura mox dicentur. Frodio Qvarto binam maſculini ſexus prolem *Langfedgatal* aſſignat: Ingialdum ſcilicet, Starcadi Alumnum dictum, & Halfdanum Hroaris & Helgii patrem, qvem nos Halfdanum II. vocamus. Halfdani illius fratrem, Hroarisqve & Helgii patruum *Hrolfi Krakii hiſtoria* Frodium nominat, unde tres filios Frodium Qvartum reliqviſſe diſcimus: Ingialdum, Halfdanum & hunc Frodium, qvi nobis Qvintus erit.

Ingialdum patri Frodio IV. ſucceſſiſſe Saxo verè perhibet. Et ſolum à parentis morte regnum adminiſtraſſe, reliqvis fratribus ob ætatis imbecillitatem imperio nondum aptis, veriſimile eſt; qvem & Starcadus acri objurgatione & invectiva oratione ad necem patris vindicandam ideo impuliſſe videtur, qvod ipſi ſoli id per ætatem liceret. Sed nec abſurdum Regnum inter Frodii filios tripartitò diviſum fuiſſe, Ingialdoqve Lethrenſem ditionem obtigiſſe. Hujus Ingialdi hiſtoriam Saxo, qvi eum Ingellum vocat, elegantiſſimo ſtylo conſcripſit; qvâ noſtris antiqvitatibus nihil derogat; qvin potius amiſſæ Skioldungorum hiſtoriæ damnum aliqvo modo reparat. Ingialdus filium reliqvit, non Olavum, ut Saxo eum vocat, ſed Hrærecum Hnauggvanbaugium dictum; qvem

tamen

tamen in Lethrenſe Regnum patri non ſucceſſiſſe ex *Hrolſi Krakii vitâ* colligo, qvæ Halfdanum, Ingialdi hujus fratrem, totius Daniæ Regem (ſupremum intelligo) fuiſſe, eoq; ſublato, fratrem ejus Frodium univerſam ejus hæreditatem invaſiſſe, occiſumqve ab Halfdani filiis, Hroare & Helgio, totam reliqviſſe innuit. Interea in aliâ parte Daniæ Ingialdi filius Hrærecus Hnauggvanbaugius imperaſſe videtur; & Lethrenſis ditio poſt mortem tandem Hrolfi Krakii ad poſteros ejus rediiſſe. Nam Hrærecus Slaungvanbaugius, Rex Lethrenſis, ab illo deſcendit. *Verelius* in Notis ad Hiſtor. Hervor. Cap. II. pag. 40. ex Ingialdi filio Hræreco Hnauggvanbaugio, binos homines exſtruxit, vitioſo exemplari, ut apparet, deceptus, qvod ex his qvæ aſſerimus, ſatis emendari poterit. Ingialdo plures filios Saxo attribuit, qvorum nomina reticet & bello ſingulos occubuiſſe memorat. *Landnama* Hrolfum Ingialdi filium nominat, ſcalamqve generationum ab eo ducit, ſed juſto breviorem.

Poſt Ingialdum Halfdanus frater, iſtius nominis in hac Regum ſerie Secundus, ſummam rerum adeptus eſt. Hic Hroarem & Helgium filios progenuit, atqve, uti *Hrolſi Krakii vita* teſtatur, à fratre Frodio, invidiæ ſtimulis acto, nefariè occiſus eſt.

Frodius itaqve, poſtqvam occiſi fratris ditionem invaſiſſet, ut in regni ſcelere parti poſſeſſione ſe confirmaret, Hroarem & Helgium Halfdani filios, in puerili adhuc ætate conſtitutos, ad necem qvæſivit. Hos vivo patre Reginus qvidam educaverat: qvi tantis nunc anguſtiis implicitos deſtinatæ per patruum neci clam ſubduxit, iisqve apud amicum qvendam latibulum procuravit. Frodius, ubi eos hic illic fruſtra diu qvæſiviſſet, magos

conduxit, qvi eos inveſtigarent; cumqve hi nil proficerent, fatidicæ mulieris opem accivit. Sed ne ſic qvidem ubi manerent certior factus eſt. Nam cum fatidica illa, Regi omnia qvæ artibus ſuis exploráverat, revelatura eſſet, dictorum Regiorum juvenum ſoror annulum aureum ei in ſinum projecit. Qvo corrupta conticuit, ſeqve illos inveſtigare non poſſe profeſſa eſt. Hæc ex dictâ *Hrolfi Krakii hiſtoriâ*. Frodius hicce nobis & Saxoni illius nominis Qvintus eſt; legiturqve apud Saxonem libro VII. eadem hæc hiſtoria, pauciſſimis tantum circumſtantiis variata. Halfdanus ibi Haraldus dicitur. Reginus, Regno. Regii illi juvenes Haraldus & Haldanus appellantur: cetera fere conveniunt. Frodium tandem à juvenibus iſtis, qvorum vitæ tam pertinaciter inſidiatus fuerat, nocturno incendio abſumptum fuiſſe *Saxo* & memorata *Hrolfi Krakii vita* concorditer perhibent.

Frodii Primi, filii ejus Halfdani, ejusqve natorum Hroaris (Roe) & Helgii hiſtorias libro II. Saxo exhibet. Frodium illum ex Frodio IV. deſumtum eſſe, atqve igitur cum illo in unum coaleſcere debere, non uno loco ſuperius diximus. Cumqve memorati Saxonis Haraldus & Halfdanus, Haraldi filii, Frodii IV. nepotes, reverâ ſint Hroar & Helgius Halfdani filii, ejusdemqve Frodii IV. nepotes, prout ex dictis manifeſtum eſt, temporum ordo poſtulat, ut hoc loco de iis verba faciamus.

Helgii itaqve & Hroaris hiſtoriam *Hrolfi Krakii vita* nobis exhibet. Helgius Olufæ Saxoniæ Reginæ ſtuprum vi intulit, atqve ex eâ filiam ſuſcepit, Yrſam dictam. Hæc cum à matre plusqvam negligenter haberetur, à patre Helgio, generis illius inſcio, rapta eſt, compreſſaqve & imprægnata. Inceſtâ illâ copulâ natus Hrolfus,

ſus, Krakius poſtea dictus, eandem & matrem & ſororem habuit. Tandem Yrſa, ſuæ cum Helgio cognationis per matrem certior facta, ab eo digreſſa eſt. Cujus abitum Helgius ægrè adeo tulit, ut ſegregi domunculæ velut carceri ſeſe includens hominum commercio renunciaret. Hæc ab iis qvæ de Helgio Saxo refert, non multum abludunt. In eo autem graviter à Saxone erratum eſt, qvod Helgium hunc Hundingi Interemtorem dictum fuiſſe crederet. Helgius enim Hundingsbanius, uti ſuperius pag. 263. dictum eſt, Sigmundi Volſungii filius erat, ab Helgio hocce Haldani filio planè diverſus.

Helgius & Hroar ad Danici Regni gubernacula ſimul ſederunt; ſed poſtea ad Helgium totius imperii poſſeſſio translata eſt, hoc tenore: Hroar Nordrii Northumbriæ, qvæ Angliæ pars eſt, Regis filiam Ognem, uxorem duxit, ibiqve regnum nactus eſt. Hinc ſuam Regni Danici partem, qvæ *dimidium* regni complectebatur, fratri *Helgio pro bonis mobilibus vendidit, & inter alia pretioſa armillam omni æſtimatione majorem,* pretii loco accepit. *Armillam illam* Hrocus, Helgii & Hroaris ex ſorore Signya nepos, ab avunculo ſibi tradi poſtea poſtulavit. Qvod cum ei Hroar denegaret, viſendi tantum copiam petiit: eâqve impetratâ, armillam in mare projecit. Qvapropter ab avunculo altero pede mutilatus eſt. Sed ultus hanc contumeliam Hrocus Hroarem improviſum claſſe oppreſſit & occidit, uxorisqve illius conjugium poſtulavit. Illa reſiſtendi facultate deſtituta, annuit votis ipſius, pacta temporis intervallum, qvoad partum ex marito conceptum enixa eſſet. Interim legationem in Daniam miſit ad Helgium levirum ſuum; qvi Hrocum nihil tale

 cogi-

cogitantem oppreſſit, captumqve non occidit, ſed qvod majore ſupplicio & ignominia condignum judicaret, perfractis cruribus & brachiis, vel potius mutilatis, domum ſic truncatum remiſit. Helgius tandem in Sveciâ ab Adilſe Rege cæſus eſt.

Poſt necem Helgii, in filium illius Hrolfum Krakium imperium tranſlatum eſt, Regem virtutibus Principe dignis inſtructum, adeo ut Sanctus Olafus Norvegiæ Rex, cum interrogaretur, qvemnam *priſcorum Regum* vellet æmulari? Hrolfum Krakium, reſponderet. Hujus Regis hiſtoriæ partem aliqvam aſſecutus videtur Saxo. Nam in multis hic conſentit cum libro illo Islandico, qvi Hrolfi hujus & patris illius Helgii geſta fuſe perſeqvitur. Librum illum nos *Hrolfi Krakii vitam* hic aliqvoties vocavimus, & ſtylo paraphraſtico in lingvam Latinam alias traduximus, ſeorſim edendum, ne prolixa iſta hiſtoria ſuccinctæ hujus Dynaſtarum ſeriei contextum nimis interturbet. Hinc eſt qvod Helgii & Hrolfi res geſtæ adeo breviter hic commemorentur, *qvas in dictâ noſtrâ Paraphraſi luculenter deſcriptas exhibemus.* Ad ultimum Hrolfus ſororii ſui Hiorvardi inſidiis petitus occubuit.

CAPUT VII.

De Interregno.

Poſtqvam Hrolfum Krakium Hiorvardus, Hrolfi ſororis Skuldæ maritus, ſceleſtæ uxoris inſtinctu, vita ſimul & regno ſpoliaſſet, imperii ſumma, tanqvam proditionis merces, penes Skuldam exiguo tempore manſit. Nam tres necis Hrolfinæ vindices, partum

tum fraude regnum victrici cum vita paulo poſt eripuerunt; regnūmqve injuſto domino mancipatum legitimis hæredibus reſtituerunt. Vindicibus iſtis nomina erant Elgfrodius, ſeu Frodius cognomento Alcinus, Thorer Campes & Voggus. De Voggo *Edda* hunc in modum
loqvitur: Konungr einn i Danmork er nefndr Hrolfr „
Kraki, hann er agætaztr fornkonunga, fyrſt af milldi „
oc fræknleik oc litillæti. þat er eitt mark um litillæti „
hans er miok er fært i fraſagnir, at einn litill ſveinn „
oc fatækr er nefndr Voggr. hann kom i haull Hrolfs „
Konungs. þa var Konungrinn ungr at alldri oc „
grannligr a voxt. þa geck Voggr firir hann oc ſa upp „
a hann. þa mælti Konungrinn: hvat viltu mæla ſve- „
inn er þu ſer a mik. Voggr ſagdi, þa er ek var hei- „
ma heyrdak ſagt, at Hrolfr Konungr at Hleidru var „
meſtr madr a nordrlondum, en nu ſitr her i haſæti „
kraki einn litill. oc kallit þer hann Konung. þa ſvaradi „
Konungrinn. þu ſveinn hefir gefit mer nafn, at ek ſkal „
heita Hrolfr Kraki, en þat er titt at giof ſkal fylgia „
nafnfeſti. nu ſe ek þik enga giof hafa, til at gefa mer at „
nafnfeſti, þa er mer ſe þægilig. nu ſkal ſa gefa odrum „
er til hefir. tok gullhring af hendi ſer oc gaf honum. „
þa mælti Voggr. gef þu allra Konunga heilaztr, oc þeſs „
ſtrengi ek heit, at verda þeſs mannz bani er þinn bana- „
madr verdr. þa mælti Konungr oc hlo vid: litlu verdr „
Voggr feginn. *i.e.* Qvidam Daniæ Regum dictus eſt Hrol- „
fus Krakius. Hic propter liberalitatem, fortitudinem „
& manſvetudinem priſcorum Regum celeberrimus eſt. „
Humanitatis ejus indicium tale in hiſtorias relatum „
eſt. Voggo nomen erat pauperi cuidam adoleſcentu- „
lo, qvi Hrolfi Regis aulam intravit, Rege in ju- „

„ niori adhuc ætate conſtituto corporisqve ſtaturâ tenero.
„ Voggus Regem acceſſit, eumqve fixis intuebatur ocu-
„ lis. Cui Rex: qvid, inqvit, adoleſcens vis effari, cum ita
„ me accuratè contempleris. Tum Voggus: domi audi-
„ vi Hrolfum Regem Hleidrenſem maximum eſſe viro-
„ rum, qvi in aqvilonaribus conſpiciuntur terris; ſed
„ nunc in ſolio hic ſedet exiguus puſio, qvem Regem vo-
„ catis. Reſpondit Rex: Tu adoleſcens cognomen mi-
„ hi dediſti, ut Hrolfus Krakius (*puſio*) appeller, ſed mo-
„ ris eſt ut cognomina dono aliqvo confirmentur, te ve-
„ ro qvod dones, nihil habere video; dabit ergo qvi ha-
„ bet. Deinde annulum aureum digito extractum ipſi
„ dedit. Tum Voggus: Omnium Regum feliciſſimus
„ mihi hoc donum dato. De cetero ego votum voveo
„ eum interficiendi, qvi te occiderit. Rex ſubridens di-
„ xit: exiguâ re Voggus exhilarari poteſt.

Elgfrodius, ſeu Frodius Alcinus, & Thorer Canipes fratres fuere, qvos unâ cum tertio, Bodvare Biarkio, ſimul conceptos idem partus abſolvit. Pater eorum fuit Biornus, Hringi Uplandorum in Norvegiâ Regis filius. Frodius fratrum robuſtiſſimus erat, ſolitudinemqve amans ſylvas inhabitavit, & vitam venatione ſuſtentavit. Thorer Canipes, fratrum alter, cum Hrolfi Krakii cædem ulciſceretur, Gothiæ Rex erat: qvem inſignis corporis magnitudo illic ad ſceptra evexerat. Etenim apud terræ illius incolas, perindè atqve Gordios olim, lex erat, ut ad Regium faſtigium nemo aſcenderet, niſi qvi ſolium Regium, qvod tres mediocris ſtaturæ viros capiebat, proprii corporis mole repleret; qvod cum Thorer ſolus præſtaret, haud difficulter Rex creatus eſt.

His duobus Voggum, copiis haud contemnendis, qvas

Regi-

Regina Yrſa (auſpiciis credo filii ipſius Veciæ Regis *Eyſteini*) in filii ultionem comparaverat, præfectum, ſe conjunxiſſe, atqve ita tres illos Hrolfinæ cædis vindices regnum Skuldæ ereptum non ſibi ſed Hrolfi filiabus (duas is reliqverat, Skurem & Drifam dictas) vindicaſſe *Hrolfi Krakii hiſtoria* memorat. Interea ſtatus Daniæ, qvi hactenus Monarchicus fuerat, in interregnum ſeu polyarchicum ſtatum tranſiiſſe videtur. Etenim deletâ Skuldâ, Daniæ Regulos illas, qvas Hrolfi tempore provincias gubernaverant, ſibi aſſeruiſſe apparet; eorumqve ſingulos, pari poteſtate præditos, nulliqve ſuperiori obnoxios, Regios titulos uſurpaſſe. Horum id temporis magna meſſis: Scaniæ præfuit qvidam Hakius, utet Haraldus Grandævus, Halfdani Diſerti Gudrodiqve pater, Ivaris Vidfadmii avus, Auduris Prædivitis proavus, Haraldi Hilditannis abavus. Lethrenſes rexiſſe videtur Frotho ſeu Frodius Sextus, Halfdani III. pater, Hræreki Slaungvanbaugii avus, Haraldi Hilditannis proavus. Partem Sælandiæ tenuit Reidar ſeu Hreidar, & qvi eum occidit Hordiæ (Norvegicæ provinciæ) Rex Hiorleifus Mulierosſus. Alibi regnarunt Eyſteinus & Svenus Victorioſus, nec non Solvius de Niardeya, qvi Veciæ Regnum deinde ſubegit. Jutiam tenuit Heidrecus cognomento Ulfhamus, cujus filiam Hildem Haraldus Grandævus, Hilditannis, ut dictum, abavus, uxorem duxit.

Hiorleifum Mulieroſum, provinciarum Norvegiæ Hordiæ & Rogalandiæ Regem, qvod attinet, is Sælandiam, vel potius partem ejus aliqvam, hoc modo acqviſivit. Erat Hreidari, Sælandiæ Regi, filia nomine Hringia, qvam Horleifus, à Hreidare memorato ſvaſu filii ejus Herii in Sælandiam ad convivium invitatus,

tus, connubio ſibi junxit, binisqve, qvas antea in matrimonio habuit uxoribus, adjecit. Hæc cum novo marito in Norvegiam navigans, morbo deceſſit, feraliqve caſpæ incluſa in mare projecta eſt. Qvam cum pater Hreidar, fraterq; Herius ad littus appulſam forte offenderent, à marito Hiorleifo necatam eſſe ſuſpicabantur. Itaq; ad ultionem animum intendentes, Norvegiam claſſe petierunt: Hiorleifiqve aulam militum catervâ ex improviſo circumdatam incenderunt: eâqve in cineres redactâ opima ſpolia & duas Hiorleifi uxores ſecum abſtulerunt. Interea Hiorleifus milites, qvi domum coronâ cinxerant, transſiliendo fruſtratus evaſit, & filium Regis Herium miſſili telo confoſſum necavit. Poſtea una tantum nave Daniam petens, ſolus, relictis apud navem ſociis, ad Hreidaris aulam pervenit, cumqve alteram uxorum ſuarum, qvas Hreidar captivas abduxerat, deprehendiſſet, petivit ut Hreidarem è medio tollendi occaſionem ſibi monſtraret. Illa operam ſuam pollicita, eum nihilominus Hreidari prodidit. Qvi deprehenſum inter binos ardentes focos ſuſpendi curavit, idqve propriis ipſius corrigiis, ut eo ignominioſius periiſſe videretur. Sed evaſit periculum Hiorleifus. Uxorum enim illius altera, cerviſiæ coqvendæ intenta, vim flammarum liqvore, qvi ad manus erat, ſedavit, maritumqve liberavit; qvi præter omnium opinionem palatium ſubito ingreſſus, dormitantis Regis pectus gladio hauſit, accitisqve ad partes ſociis, omnes Hreidaris ſatellites vinculis conſtrinxit, qvibus tamen poſtea pepercit. Hoc modo Hreidaris ditionem ſibi ſubjugavit, eamqve Solvio affini ſuo, Comitis titulo adminiſtrandam commiſit. Solvius iſte Eyſteinum Adilſis filium, Sveciæ Regem (cujus tempore Hrolfum Krakium

oc-

occiſum fuiſſe *Snorrius* teſtatur) poſtea devicit, Sveciamqꝫ ſibi ſubjecit.

Ex hiſce patet, jam tum à Skuldæ morte interregnum ſeu ſtatum polyarchicum cœpiſſe, cum abſurdum ſit regem Lethrenſem conſtituere, qvi univerſam Daniam regat, & nihilominus peregrinis Regibus Sælandiam, Jutiam & Scaniam, jure belli, tanqvam victoribus ſubjectas relinqvere.

Hic methodi ratio poſtulat, ut Saxonem pauliſper inſpiciamus, examinemusqve ea, qvæ proximè poſt Hrolfi Krakii cædem contigiſſe memorat, ut qvæ de interregno diximus, eo majorem lucem roburqve accipiant.

Hrolfo occiſo Hiartvarum, momentaneum ferè Regem, ſucceſſiſſe, eumqve in Regni adminiſtratione Hotherum ſecutum eſſe *Saxo* tradit. Hotherum illum idem ſcriptor Hadingi pronepotem facit, & Baldum Odini filium, vivo adhuc patre Odino, ab eo proſtratum memorat. Alibi Odinum Hadingo coævum fuiſſe tradit; qvæ parum cohærent. Etenim ingens ætas hac ratione Odino tribuitur, qvi Hadingo regnante maturæ ad minimum, ſecundum Saxonem, ætatis erat (noſtri in provectiore ætate Europam ingreſſum eſſe perhibent) & tamen Hadingi ejusdem pronepotis tempore tum bellis interfuit, tum novæ ſoboli, ultionem ab Hothero Baldi interfectore exacturæ, operam dedit. Multo minus iſta Saxonis cum Svaningii calculo conveniunt, qvi ab initio Regni Hadingi, ad mortem Hotheri CCCXV. annos numerat. Qvin & Saxo ipſe eorum hoc loco oblitus fuiſſe videtur, qvæ paulo ante de Biarçonis & Rutæ colloqvio ſcripſerat: nempe Biarconem, Hrolfi militem, in prælio illo conſtitutum, qvod ei & Hrolfo ultimum ac exiti-

ale fuit, petiiſſe, ut Ruta Odinum, bellorum præſidem, ac itaqve illic ſine dubio præſentem, ſibi monſtraret. Biarconem ita loqventem Saxo inducit:

„ Et nunc ille ubi ſit, qvi vulgo dicitur Othin,
„ Armipotens, uno ſemper contentus ocello,
„ Dic mihi, Ruta, precor, uſqvam ſi conſpicis illum.
„ Ad hæc Ruta:
„ Adde oculum propius, & noſtras proſpice chelas,
„ Antè ſacraturus victrici lumina ſigno,
„ Si vis præſentem tutò cognoſcere Martem.
„ Tum Biarco:
„ Si potero horrendum Friggæ ſpectare maritum,
„ Qvantumcumque albo clypeo ſit tectus, & altum
„ Flectat eqvum, Lethra neqvaqvam ſoſpes abibit:
„ Fas eſt belligerum bello proſternere divum.

Nihil (inqvit *Bryniolfus Svenonius* apud Stephanium Not. in Saxon. pag. 80.) *eſt certiùs, qvàm petere* hìc *Biarconem ab uxore, ut ſpectrum Odini ſuis oculis permittat, jamdiu rebus humanis adempti.* Eodem modo *Vormius* & *Stephanius*, celeberrimi viri, Saxonem dicto loco interpretantur, & de Odino tanqvam mortuo ſermonem hìc fieri ſtatuunt. *Vormii* hæc ſunt verba: Biarco igitur, qvam „ plurimis vulneribus ſaucius & morti vicinus, à „ Ruta qværit, an videat Othinum advenientem, qvi „ ipſum ad inferorum deferat portas. Cui illa reſpondet: „ profanis oculis cerni non poſſe, ſed ſacris ritè peractis, „ in concha, qvam tenebat, ejus ſe demonſtraturam ido- „ lum. *Stephanius hunc in modum ſcribit*: Qvum igitur „ Biarco Othini videndi cupiditate duceretur, & ex Ru- „ ta conjuge, qvæ forte tam ſtupenda oculorum acie „ prædita fuit, diligenter qværeret, ſi uſpiam conſpiceret

illum

illum: Illa exiſtimans maritum auxilii implorandi cau- „
ſa de Othino percontari, reſpondit: *ſi vis præſentem* „
tuto cognoſcere Martem, hoc eſt Othinum, præſidem „
bellorum: (Othinum enim pro Marte colebant ſepten- „
trionales populi) *Propius adde* & admove *oculos*, & „
proſpice ſive tranſpice per *noſtras Chelas*, id eſt, per bra- „
chia mea, ut anteà *lumina* tua qvaſi conſecrare poſſis, „
conſpecto *ſigno victrici*, hoc eſt Othino, qvi victorias „
conferre ſolet, qviqve profanis oculis cerni non poteſt. „
Hactenus doctiſſimorum illorum triumvirorum verbis aſtruximus, Biarconem hìc de Odini dudum mortui ſpectro, non vero Odino adhuc in vivis conſtituto loqvi. Et certe ſi Odinus id temporis vivus fuiſſet, abſqve talibus cæremoniis & rituum apparatu vel digito monſtrari potuiſſet. Idem *Hrolſi Krakii hiſtoria* teſtatur, ubi Hrolfum, cum athletarum ſatellitio inſtructus aliqvando Sveciam peteret, in itinere apud ſenem qvendam bis pernoctaſſe memorat, ibiqve intenſiſſimo frigore, nec remiſſiore æſtu per vices gravatum evidentiſſima fortitudinis documenta edidiſſe, atqve omnes præſtigiarum incantamentis accitas vires mira animi conſtantia eluſiſſe. Deinde non procul Upſalis idem tugurium ac eundem ſenem offendiſſe, armaqve a vetulo illô dono oblata recuſaſſe: mox à Bodvare Barkio, ſatellitum uno, monitum, ut rediret & munus vetuli non reſpueret, ſeſe collegiſſe, agnitoqve, ſenem illum reverâ Odinum fuiſſe, retrogreſſum, nec tugurium nec dominum usqvam inveniſſe. Adjeciſſe itaqve, fruſtra *malum* illum *genium* ab iis qværi. Qvod ſi Hrolfus Odinum *genium* appellavit, mortuus absqve dubio tum fuit, ac conſeqventer Hotherus, qvi, vel *Saxone* teſte, Odino coævus erat, & contra Odini filium,

vivo Odino prælіatus eſt, poſt Hrolfum ſceptrum Danicum geſtare non potuit. Sed qvid rei adeo manifeſtæ tamdiu immoramur. Hrolfus, ſecundum *Genealogias* ſuperius adductas, in deſcendente lineâ decimus qvartus eſt â Skioldo Odini filio. Atislus vel Adils, Sveciæ Rex, Hrolfi ſororius & vitricus (matrem Hrolfi Yrſam, qvæ etiam ſoror ejus fuit, in matrimonio habuit) qvem circa hæc tempora vixiſſe *Saxo* verè perhibet, decimo ſeptimo gradu à Niordo, Odini coævo & ſucceſſore, deſcendit. Hic, ut refert *Snorrius*, cum ſacris interfuiſſet, ab eqvo delapſus, ad lapidem caput ita confregit, ut paulo poſt vitam cum morte commutaret. *Saxo* eum dum Hrolfi inferias per ſummam animi hilaritatem convivio celebraret, potione avidius ſumtâ, ſubito fine ſordidæ intemperantiæ pœnas pependiſſe refert. Qvod cum *Snorrii* relatione non convenit, qvi Hrolfum Adilſi, vel Atislo, ſupervixiſſe, filioqve illius Eyſteino Sveciæ clavum tenente occiſum eſſe ſcribit. Adilſem Saxo Hothbrodi filium facit, qvem noſtrates Ottaris Vendilkrakæ filium fuiſſe verius ſcribunt. Sed neqve is Hotheri frater fuit, qvippe qvo Hotherus tempore longe prior extitit; Odino nempe ſynchronus, *Eddâ* & *Saxone* concorditer id teſtantibus.

Hotheri & Balderi *Edda*, qvæ eos Haudum & Baldum vocat, ſæpius meminit, Aſisqve ſeu Diis eos adnumerat, atqve hunc ab illo occiſum eſſe tradit. Locum qvi de Baldi cæde agit, licet prolixiorem, verbotenus hic exſcribere placet: Balldr enn goda dreymdi drauma, ſtora oc hættliga um lif ſitt. En er hann ſagdi Aſunum draumana, þa baru þeir ſaman rad ſin, oc var þat giort, at beida grida Balldri firir allzkonar haſka. oc Frigg toc

ſvar-

ſvardaga til þeſs at eira skylldu Balldri elldr oc vatn, „
iarn, oc allzkonar malmr, ſteinar, iordin, vidirnir, ſottir- „
nar, dyrin, fuglarnir, eitrormar. En er þetta var giort oc „
vitat, þa var þat skemtun Balldrs oc Aſanna, at hann „
skylldi ſtanda upp a þingum, en adrir æſir skylldu ſumir „
skiota a hann, ſumir hauggva til, ſumir beria grioti, „
en hvat ſem at var giort, ſakadi hann ecki, oc þotti „
þetta ollum mikill frami. En er þetta ſa Loki Lauſey- „
iar ſon, þa likadi honum illa er Balldr ſakadi ecki. „
hann geck til Fenſalar til Friggiar, oc bra ſer i konu li- „
ki, þa ſpyrr Frigg, ef ſu kona viſſi hvat æſir hofduz „
at a þinginu. hon ſagdi at allir skutu at Balldri, oc „
þat at hann ſakadi ecki. þa mælti Frigg. eigi munu „
vapn edr vidir granda Balldri, eida hefi ek þegit af aul- „
lum þeim. þa ſpyrr konan. hafa allir lutir eida unnit at „
eira Baldri. þa ſvaradi Frigg. vex vidarteinungr einn „
firir auſtan valhaull, ſa er miſtilteinn kalladr, ſa þotti „
mer ungr at kreſia eidſins. þvi næſt hvarf konan a braut. „
en Loki tok miſtiltein oc sleit upp og geck til þings. „
en Haudr ſtod utarliga i mannhringinum, þvi at hann „
var blindr. þa mællti Loki vid hann. hvi skytr þu ecki „
at Balldri. Hann ſvarar. þvi at ek ſe eigi hvar Balldr er, „
oc þat annat at ek er vapnlauſs. þa mællti Loki, gior „
þu þo i liking annarra manna, oc veit Balldri ſæmd, „
ſem adrir menn. ek mun viſa þer til hvar hann ſtendr. „
skiot at honum vendi þeſſum. Haudr tok miſtiltein „
oc skaut at Balldri at tilviſun Loka. flaug skotit i gog- „
num hann, oc fell hann daudr til iardar. *Et mox*: O- „
dinn bar þeim mun verſt þenna skada, ſem hann kunni „
meſta skyn hverſu mikil aftaka oc miſſa Aſunum var „
i frafalli Balldrs. *id eſt*: Baldus Bonus gravibus & vitæ „

„ periculum indicantibus inſomniis vexabatur. qvæ cum
„ coram Aſis exponeret, conſilium coactum eſt & concluſum, ut Baldo ab omni re ſecuritatem impetrarent. Frigga igitur in hoc juramenta accepit, qvod Baldo neqve ignis, neqve aqva, neqve ferrum aut ullum metallum, lapides, terra, ligna, morbi, animalia, volucres, venenative ſerpentes damnum inferrent. qvibus peractis Aſæ animi gratia Baldum in foro ſtantem omnis generis miſſilibus, lapidibus & telis procul obruebant; qvæ omnia illi nihil damni intulerunt, id qvod omnibus ſingularis honor videbatur. Hoc cum videret Lokius Laufeyæ filius, invidia ſufflatus, Fenſalas iter ſuſcepit, ubi Frigga degebat, mulierisqve formam aſſumſit. Frigga mulierem interrogavit, an ſciret qvid in conventu potiſſimum Aſæ agerent? reſpondit mulier, omnes in Baldum absqve ulla ejus læſione jacula mittere. Baldo, inqvit Frigga, nec arma nec ulla ligna damnum inferent; juramenta enim ab iſtis in univerſum accepi. Tum mulier Friggam interrogavit: An ergo omnes res Baldo ſecuritatem jurarunt? Reſpondit Frigga: Surculus qvidam ad orientale Valhallæ latus extat, qvi *Miſtilteinus* appellatur, hic mihi nimis tener videbatur, à qvo jusjurandum exigerem; his auditis mulier illa diſparuit. Lokius ſurculum illum eruit atqve ad conventum properavit. Haudus inter extremos aſtitit, qvia luminibus captus erat. Hunc allocutus Lokius, cur, inqvit, in Baldum non jacularis? Qvia, ait ille, eum non video & inſuper inermis ſum. Facito, ait Lokius, ad exemplum aliorum; exhibe Baldo honorem, & hoc illum bacillo pete: ego ubi ſtet te docebo. Haudus itaqve acceptum

ba-

bacillum in Baldum, Lokii indicio, projecit, qvo ille „
mox transfoſſus exanimis concidit: Odinum cædes il- „
la eo magis afflixit, qvo ceteris melius intellexit, qvan- „
tum damni Aſæ Baldi interiritu accepiſſent. „

De Baldi cæde *Voluſpa* ſeqventia habet:

Ek ſa Balldri
blodgem tivor
Odins barni
orlog ſolginn:
ſtod um vaxinn
vollo hærri
mior oc miok fagr
miſtilteinn.
Vard af þeim meidi
er mer ſyndiz
harmflaug hættlig
Haudr nam skiota,
Balldrs brodir var
ofborrinn ſnemma
ſa nam Odins ſon
einnættr vega.

Hæc ita vertit *Stephanus Olai*:

Ego vidi Baldro, Aſæ cruore perfuſo, „
Odini filio fata depoſita, „
ſtetit campo qvæ creverat altior „
tenuis & ſpecioſa ſpina. „
Qvâ de ſpina, ut mihi qvidem viſum eſt, „
evenerunt plagæ deplorandæ, Haudus jaculari cœpit. „
Baldi frater ante diem natus (eſt) „
Odini filius noctem natus cædem commiſit. „

Ultima hæcce intelligenda ſunt de Valio, Odini &

Rin-

Rindæ filio, qvi, ut veteres poëtæ fabulati ſunt, unicam tantum noctem natus Haudum in Baldi, Odini qvoqve filii, ultionem occidit. Extat præterea oda vetuſta *Vegtamsqvida* dicta, qvâ qvomodo Odinus, ad necromantiam converſus, de Baldi fatis futuroqve ultore excitam ſepulcro anum conſuluerit, exponitur: qvam huc inferre ſuperſedemus.

Haudum ex Aſarum ordine, uti ſuperius dictum, fuiſſe, multis locis *Edda* docet; unicum hic adſcribemus: Haudr
„ heitir einn Aſinn. hann er blindr. ærit er hann ſtyrkr.
„ en vilia mundu godin, at þenna As þyrfti eigi at nefna.
„ þviat hans handaverk munu lengi haufd at minnum
„ med godum oc monnum. *id eſt:* Haudus Aſarum u-
„ nus nuncupatur, hic cæcus eſt & valde robuſtus.
„ Vellent autem Dii, ne opus eſſet illius mentionem
„ facere. Ipſius enim (*noxia*) geſta memoriæ tam De-
„ orum qvam hominum diu inhærebunt.

Haudum illum *Edda* poëtice dici ait: Baldi interfectorem, bacilli Miſtilteini jaculatorem, Valii inimicum. Valium itidem, Odini & Rindæ filium, ultorem Baldi, & occiſorem Haudi poëticè appellari dicit, ut hinc appareat, eum qvem Saxo Bo nuncupat ipſiſſimum eſſe Valium. Tandem in *Voluſpa*, ubi feliciſſimus ſtatus & maxima concordia deſcribitur, qvæ poſt *Ragnarockr*, id eſt, *Deorum crepuſculum* (qvo nomine extremus dies ibi ſignificatur) demum exoritura refertur, Haudus & Baldus, ut amici & vicini, Odini triumphis claram aulam inhabitaturi prædicuntur. Verſus qvi huc pertinet, ita ſeſe habet:

Muno oſanir
akrar vaxa

bauls mun allz batna
Balldr mun koma:
bua þeir Haudr oc Balldr
hroptz ſigtoptir
vel valtivar
vito þer enn edr hvat. *hoc eſt:*

Agri absqve ſatione fertiles erunt: delebuntur omnes „ ærumnæ: Baldus veniet: habitabunt Haudus & Baldus Odini triumphalem aulam (*Valhalla intelligitur*) ſicne Aſæ, intelligitis adhuc, nonne?

Satis, ni fallor, ex illis, qvæ hactenus attuli, apparet, Hotherum neqve ab Hadingo genus duxiſſe, nec Hrolfo Krakio in Daniæ regno ſucceſſiſſe; qvippe qvi tam Hrolfo qvam Hadingo longè antiqvior erat, Odino nempe, commentitio Septentrionis numini, coævus, ipſe cæci illius temporis Deaſtrorum collega, ac itaqve è Regum Danicorum albo penitus expungendus.

Hothero, qvi noſtratibus Haudus eſt, filium Róricum, Slyngebond cognominatum, ſucceſſiſſe *Saxo* ſcribit. Is noſtratibus probè notus, Hrærecus Slaungvanbaugius ab iis dicitur. Fuit autem filius, non Hotheri, ſed Halfdani, qvi nobis iſtius nominis Tertius eſt, nepoſqve Frodii VI. qvi, ut ſuperius diximus, in interregno ſeu ſtatu polyarchico Lethrenſem ſedem proximè poſt Hrolfum Krakium occupâſſe videtur, eamqve ditionem hæreditario jure demiſiſſe ad filium Halfdanum, nepotemqve Hrærecum memoratum; qvi, uti ex inferioribus manifeſtum fiet, Lethrenſem ditionem rexit; ac itaqve inter Daniæ Reges, ſed Polyarchas, locum ſibi jure vendicat, uno tantum gradu à Hrolfo Krakio remotiorem qvam

Saxo ei dedit, qvi ſublato Hiartvaro ſecundum poſt Hrolfum Regem eum facit Hotheriqve ſucceſſorem.

Vigletum Rórico ſucceſſiſſe Vermundumqve genuiſſe Saxo ait; ſed perperam. Qvemadmodum enim noſtrates Vigletum illum penitus ignorant, ita Vermundum Rórico ſeu Hræreco Slaungvanbaugio tempore longe priorem fuiſſe & Frodio Secundo natum eſſe ſatis docent.

In Rórici & Vigleti memoratorum tempora Saxo Amlethi hiſtoriam refert, hominis fatuo ſimillimi, ſed qvi ſub fictæ ſtoliditatis tegmine ſagax ingenium, ſi vera Saxo ſcribit, occultavit. Islandi hominem ſtupidum & ad qvasvis res peragendas ineptum *Amlodium* etiamnum vocant. Qvam vocem in eadem vel ſimili ſignificatione in Svecia qvoqve in uſu fuiſſe colligo ex *Chronici Rhythmici Svecici*, per Joh. Hadorphium editi, pag. 131. ubi ſeqventia leguntur:

Tha slog Konungen handom ſamman,
ok log faſt, ok giorde aff gamman,
rætt ſom han wore en *amblode*,
then ſik intet godt fórſtode. *id eſt*:

Tunc Rex comploſis mánibus valde riſit & lætabatur, non ſecus ac ſi Amblodius (*fatuus*) *eſſet, qvi nullam rerum cognitionem haberet.*

Ad Saxonis Amlethum qvod attinet, ego in patria puer à vetulis anibusqve & ejusdem furfuris homuncionibus Amlodii hiſtoriam narratam audivi, inqve tenerrima illa ætate pro fabula tantum æſtimavi. Verum poſtqvam adultior, ſvadâ Saxonis expoſitam amplifica-

tam-

tamqve conſpexi, conceptam prius perſvaſionem, ut puerilem antiqvavi. Exinde amicorum qvosvis ſollicitare non deſtiti, ut illam hiſtoriam ubiqve qværerent, qvi ſe nihil profeciſſe ſcriptis ad me literis crebrò qveſti ſunt. Tandem ante aliqvot annos eam nactus, lectione omnino indignam deprehendi, anilem qvippe nec treſſis fabulam, nuperqve confictam; qvæ Amlodium iſtum non Danum ſed Hiſpanum fuiſſe ſuggerit. Fabulam poſt Tamerlanis ſeu Tamercutli tempora confictam eſſe, ex eo liqvet, qvod ex ejus geſtis aliqvid ibi aſſutum compareat.

Qvos Vigleto Reges ſucceſſiſſe *Saxo* libb. IV. V. VI. & VIImi initio perhibet, ſuperius in genuinum ordinem retulimus, atqve ita in Saxonis ſerie pervenimus ad Frothonem Qvintum, ejusqve ex fratre Haraldo nepotes, ſimulqve occiſores, Haraldum & Haldanum Bierggrammum. Aſtruximus autem, ſatisqve, ut arbitramur, probavimus Haraldum illum, Frothonis V. fratrem, reverâ eſſe Halfdanum II. filiosqve illius Haraldum & Haldanum converti debere in Hroarem & Helgium, memorati Halfdani II. filios; de qvibus, ut & Helgii filio Hrolfo Krakio, nuper verba fecimus. Interea non unius tantum hominis perſonam Saxonis ille Haldanus Bierggrammus ſuſtinet; qvippe qvem ex pluribus conflatum eſſe apparet. Etenim ubi Saxo eum à patruo ad necem unà cum fratre qvæſitum & paternam cædem ultum eſſe ſcribit, ibi Halfdani II. filiorum alterutrum vivis coloribus depingit, qvemadmodum ſuperius abundè dictum eſt. Haldani nomen & expeditio Svecica deſumta videntur ex Halfdano I. Fridleifi III. fratre, Au-

nii Sveciæ Regis victore, de qvo libri hujus Cap. V. ſuperius diximus. Aſmundum Haldano Bierggramo filium Saxo aſſignat, atqve ad eum Norvegiæ Reges generis ſui originem referre ait; id qvod parùm convenit cum eo, qvod paulo poſt ſcribit, eundem Haldanum, cum ſine liberis eſſet, Regias opes Regnumqve Ungvino, Gothenſium Regi, teſtamento legaſſe. Neqve enim filio, numeroſa prole beato, & qvidem ei, qvem ætate provectus genuit, ſupereſſe potuit. Et ſanè ea qvæ de Norvegiæ Regum ſtirpe Saxo hìc refert, neutiqvam ad hunc Haldanum Bierggrammum, ex variis, ut hinc apparet, hominibus conflatum, pertinent; ſed verius applicari poſſunt Halfdano Norvegiæ Regulo, Seni vel Grandævo cognomine dicto, qvi Hringi, Hringarikiæ & Valdreſiæ in Norvegiâ Reguli filius erat, numeroſamqve Regum vel Regulorum cohortem, in *Originibus Norvegiæ* recenſitam, progenuit; à qvo & veteres Norvegiæ Monarchæ ortum ducunt. Halfdanus ille (de qvo libri hujus Cap. III. pag. 249. ſuperius nonnulla diximus) Almveigem (aliis Alvigem vel Alfnyam) Eymundi Ruſſiæ Regis filiam uxorem duxit: cum Sigtryggo qvodam, celebris nominis Rege, ex provocatione conflixit, eumqve ſuperavit: multa inſuper celeberrima facinora perpetravit. Meminit horum carmen vetuſtum *Hyndluliod* inſcriptum, his verbis:

Ali var adr
auflgaztr manna,
Halfdan fyrri
hæſtr skioldunga,
fræg voru folkvig

þau er framir giordo,
hvarſla þottu hans verk
med himins skautum.
Efldiz hann vid Eymund
æztan manna,
enn va Sigtrygg
med ſvolum eggium,
eiga geck Almveig
æzta qvinnu,
olu þau oc attu
atian ſonu.
þadan eru Skiolldungar,
þadan eru Skilfingar,
þadan Audlingar,
þadan Ynglingar,
þadan haulldborit,
þadan hersborit,
meſt manna val
und Midgardi. *hoc eſt:*

„ Alius olim hominum robuſtiſſimus fuit; at Halfdanus Skioldungorum ſupremus (*maximus*). celebres erant cædes qvas heroës illi perpetrarunt, ipſius acta per cœli cardines volitare videbantur.

„ Ab Eymundo, hominum ſummo, honoribus affectus eſt, at Sigtryggum frigido ferro occidit: præcipuam mulierum Almveigem duxit, ex qva XVIII. filios ſuſcepit.

„ Illinc Skioldungi profluxere, illinc Skilfingi, illinc Audlingi, illinc Ynglingi, illinc Nobiles, illinc Comites, viri in qvibus totius orbis incolarum flos conſiſtit.

Qvod hic de Skioldungorum & Ynglingorum proſapiis dicitur, eas ab Halfdano Grandævo dimanaſſe, de poſterioribus Skioldungis & Ynglingis accipiendum omnino eſt. Halfdanus enim vetuſtiſſimis Ynglingis & Skioldungis tempore junior eſt, & ab illis deſcendiſſe videtur. Cum autem omnes Halfdani filii, inter qvos fuere Skioldus & Yngvius, præ omnibus ſui temporis Regibus glorioſi fuiſſent, antiqvi illi honoris tituli illis de novo & κατ᾽ ἐξοχὴν inditi fuiſſe videntur, eorumqve nominibus poſteritas cenſeri deinceps voluiſſe.

Igitur Haldanus Bierggrammus, ex pluribus, uti mox diximus, Regibus compoſitus, in ſua principia reſolutus evaneſcit; nec aliter inter Daniæ Reges locum habet, qvam ut ad Halfdanum I. Fridleifi III. fratrem, cujus nomen exprimit, referatur.

Haldano ex Regum ordine extruſo, Ungvinus (qvem ab illo adoptatum Saxo ſcribit) ſupereſſe non poteſt. Qvod ſi qvis eum, filiumqve illius Syvaldum, nobis penitum ignotum, incerti temporis Regulorum collegio accenſere voluerit, fecerit id me non repugnante. Neqve enim illuſtre qvicqvam, præter Syvaldi filiæ obſtinatam pudicitiam, raptumqve illius ac Othari virtute procuratam liberationem, inſuper Regnaldi ſangvine madens ferrum & Starcadi memorabilem metum, illo loco Saxo habet.

Sigarem, qvem Saxo Syvaldi filium ſtatuit, in Frodii III. ſeu Tranqvilli tempora referendum eſſe, ſupra monui, ubi ejus genealogiam paulo altius repetitam, & à traditione Saxonis alienam exhibui. Patet exinde mortem filii ejus Syvaldi, ſi is unqvam extitit, inter

regno

regno cauſam non præbuiſſe, cum tam ante qvam poſt Sigarem, Regnum a legitimis ſucceſſoribus & Regibus genuinis longo tempore adminiſtratum fuerit.

Dictis itaqve Saxonis Regibus à Danici ſceptri adminiſtratione remotis, redit qvod diximus interregnum; de qvo & Saxo nonnulla inaudiviſſe videtur; qvi tamen illud ad inferiora tempora, propius nempe Haraldum Hilditannem, de qvo inferius dicemus, refert, & qvinqveviratu conſtitiſſe ait. Certum autem eſt plures id temporis Regulos ſui juris, nulli ſuperiori obligatos, vixiſſe: ex qvibus nonnullos ſuperius recenſui; qvorum ætas in hæc tempora apprimè qvadrat, prout ex aliorum Regum ſynchroniſmo, & permultis vetuſtis genealogiis ſatis apparet. Qvam longo autem tempore ſtatus ille polyarchicus duraverit, tam ex *Genealogiis* ſuperius adductis qvam *Snorrii* Chronico Norvegico colligi poteſt. Nam trium Sveciæ Regum Yngvaris, Aunundi, & Ingialdi Aſtuti temporibus abſolvitur; nec ultra extrema Haraldi Grandævi tempora, integrum Halfdani Diſerti ævum, & partem ætatis Ivaris Vidfadmii, tempus illud extenditur. Qvo ergo ſatore Regum poſteritas ſuccreverit, & per qvem Regnum in priſtinum Monarchiæ ſtatum redactum fuerit, porro dicendum.

CAPUT VIII.

De Ivare Vidfadmio, Danicæ Monarchiæ reſtauratore, Haraldo Hilditanne, & Sigurdo Hringo.

Halfdanum II. præter Helgium, Hrolfi Krakii patrem, Hroarem genuiſſe, ex ſuperioribus conſtat.

Hro-

Hroaris filius erat Valdar cognomento Munificus, pater Haraldi Grandævi. Haraldus ille, uti in *Hervoris Hiſtoria* habetur, Hildem (*Origines Norvegiæ* Hervorem nominant) Heidreki Ulfhami, Jutiæ Reguli, nepotis illius Heidreki qvi Geſti Blindi ænigmata ſolvit, filiam, matrimonio ſibi junxit; ex qva duos filios ſuſcepit, Halfdanum cognomento Diſertum, & Gudrodum, ambos Scaniæ Regulos. Gudrodus Ingialdi Aſtuti Seciæ Regis filiam Aſam, ſimiliter Aſtutam dictam, uxorem duxit, ejusqve conſilio fratrem Halfdanum occidi curavit. Poſtea ipſe uxoris inſidiis petitus occubuit; qvod ut Ivar Vidfadmius, Halfdani Diſerti filius, cognovit, ad ulciſcendum tam patrem qvam patruum properavit. Seciam igitur cum exercitu ingreſſus eſt, qvò Aſa poſt tanta ſcelera ſe receperat: ad patrem nempe Ingialdum, duodecim Regulorum proditorem. Qvi cognito Ivaris adventu, ſubditorum, qvos ob dolos & fraudes ſibi inimicos novit, fidei & auxiliis diffiſus, ſe ipſum cum filiâ & magno hominum per ſe prius inebriatorum numero voluntario incendio conſumſit, Ivariqve Regnum reliqvit, teſte *Snorrio Sturlæo*, qvi relationem ſuam his verbis claudit: Ivar Vidfadmi lagdi undir ſik allt Sviavelldi.
„ hann eignadiz oc allt Danavelldi, oc mikinn lut Sax-
„ landz, oc allt auſtr riki, oc enn fimta lut Englandz.
„ Af hans ætt ero komnir Dana konongar oc Svia ko-
„ nongar, þeir er þar hafa einvalld haft. h. e. *Ivar Vidfadmius* (ſeu *Latipasſus*, à ditionis amplitudine ita poſtea dictus) *univerſam Seciam in ſuam poteſtatem redegit, omnem inſuper Daniam acqviſivit, magnam partem Saxoniæ, totamqve Ruſſiam & qvintam partem Angliæ. Ab illo ortum trahunt*

Da-

Daniæ & Sveciæ Reges, qvi in illis regnis monarchiam tenue-runt. Conſentit *Hiſtoria Hervor*, edit. Svecic. Cap. XX. ſed clarius omnia exponendo; integrum locum, ut ſe-qventibus qvoqve lucem adferat, exſcribam: Ivarr „
hinn Vidfarne kom med her ſinn i Sviavelldi, ſem ſegir „
i Konunga ſaugum. Enn Ingialldr konungr hinn Ill- „
radi hræddiz her hans oc brendi ſik ſialfr (inni) med „
allri hird ſinni a þeim bæ er Ræningi heitir. Ivarr hinn „
Vidfarni lagdi þa undir ſik allt Sviavelldi oc Gautland, „
Saxland oc oll auſtrriki (*Exemplar MStum, cujus mihi co-piam fecit antea memoratus Arnas Magnæus, qvodqve olim fuit Bryniolfi Svenonii Epiſcopi Scalholt. hunc locum ita habet:*
Ivarr h. V. l. þa u. ſ. allt Svia velldi. hann vann oc Dana- „
velldi oc Curland, Saxland oc Eyſtland oc oll auſtrr.) „
allt til Gardarikis. hann red oc veſtra Saxlandi oc vann „
hlut Englandz. þat er kallat Northumbraland. Ivarr „
lagdi þa undir ſik allt Danavelldi. Sidan ſetti hann þar „
ifir Valldar konung oc gipti honum dottur ſina (Alf- „
hilldi dottur ſ. *habet Exemplar Bryn. Svenonii*) þeirra ſon „
var Haralldr Hillditonn oc Randver (er ſidan fell a „
Englandi *addit Exemplar Bryn. Svenonii*) Enn Valldar „
andadiz i Danmork. tok þa Randver Danariki, oc gior- „
diz konungr ifir. enn Haralldr Hillditonn let gefa ſer „
konungs nafn i Gautlandi. oc ſidan lagdi hann undir „
ſik oll framan nefnd riki er Ivarr konungr enn Vidfar- „
ne hafdi att. Randver atti Aſu dottur Haralldar ko- „
nungs ur Geirraudargordum i Noregi, ſon þeirra „
var Sigurdr Hringr. Randver konungr vard braddaudr, „
enn Sigurdr Hringr tok konungdom i Danmork. Hann „
bardiz vid Haralld konung Hillditonn a Bravelli i Ey- „

„ ſtra Gautlandi, oc þar fell Haralldr konungr oc mi-
„ kill fioldi lids med honum. *h. e.* Ivar Vidſarnius (*i. e.*
„ *peregrinator: rectius alias* Vidſadmius) cum exercitu
„ Sveciam ingreſſus eſt, veluti in Regum hiſtoriis me-
„ moratur. Verum Rex Ingialdus Aſtutus vim co-
„ piarum ejus metuens, ſe ipſum cum univerſo ſatelli-
„ tio ſuo cremavit, in villa cui Ræningi nomen. Ivar Vid-
„ farnius tunc ſibi ſubjecit univerſam Sveciam, Gothiam,
„ Saxoniam & omnes terras orientales (*MStum exem-
„ plar habet*: univ. Sveciam. Is etiam vicit Daniam &
„ Curlandiam, Saxoniam & Eſthoniam & omnes ter-
„ ras orient.) usqve ad Gardarikiam (*Rusſiam*). Is præ-
„ terea rexit occidentalem Saxoniam, partemqve An-
„ gliæ vicit, qvæ Northumbria appellatur. Hinc Ivar
„ totam Daniam in ſuam poteſtatem redegit, cui dein-
„ de Regem Valdarem præfecit, deditqve ei in matri-
„ monium filiam ſuam (Alfhildem *addit exemplar MStum*).
„ Eorum filii fuerunt Haraldus Hilditann & Randver, (qvi
„ poſtea in Anglia cæſus eſt *addit exemplar MStum*). Val-
„ dar vero in Dania deceſſit. Tunc Randver Daniæ re-
„ gnum accepit, Regiamqve ibi dignitatem ſumſit.
„ Haraldus vero Hilditann ſe in Gothia Regio nomine
„ inſigniri curavit, & deinde omnia prædicta regna, qvæ
„ Ivar Rex Vidfarnius poſſederat, ſibi ſubjecit. Rand-
„ ver in matrimonio habuit Aſam filiam Haraldi Geir-
„ raudargardarum in Norvegia Regis. Horum filius erat
„ Sigurdus Hringus. Randver Rex ſubitâ morte deceſ-
„ ſit, poſt qvem Sigurdus Hringus Regium nomen in
„ Dania aſſumſit. Is cum Rege Haraldo Hilditanne
„ conflixit in planitie Oſtro-Gothiæ, *Bravollr* dictâ, ubi

Haral-

Haraldus cum ingenti hominum multitudine occi- „
ſus eſt. „

Ivaris tempore Daniam plures Reges rexerunt. Nam & ipſe hæreditario jure à morte patris patruiqve Scaniam tenuit. Jutiam deinde acqviſivit, qvo jure neſcio. Hrærecus Slaungvanbaugius & frater ejus Helgius Acutus Lethrenſem ditionem tenuerunt. Poſtqvam autem Ivar Sveciam devicerat, Helgius filiam ejus Audurem ambivit. Is & ſuum conſenſum ſimulans, ne filia conſentiret obſtitit. Culpâ deinde in eam conjectâ, procus repulſam paſſus eſt. Poſtea Helgius fratris ſui Hræreki cauſam in eâ expetendâ egit. Qvo cognito Ivar in filiæ faſtum invectus, negabat eam, repulſo eo, fratri minus celebri nupturam videri; tamen in ejus gratiam poſtulata hæc ad eam ſe delaturum, qvantumvis irrito conatu. Filiam deinde accedens, tantum non invitam, ad conſenſum in iſtas nuptias clanculum compulit, Helgioqve mox retulit, fama illam, qvam virtute feliciorem; ſapientem perhiberi, reverâ ſtultam eſſe. Helgium deinde in Daniam comitata Audur, Hrærec0 nupſit, eiqve filium peperit Haraldum, Hilditannem poſtea dictum. Paulo poſt Ivar, ditionis amplificandæ cupidiſſimus, qviqve eapropter filiam elocaverat, ut inter fratres (qvorum concordiam conjunctasqve vires, & maxime Helgii, Regis ſtrenui, virtutem, rationibus ſuis obſtare animadvertit) diſcordiæ cauſa eſſet, commentus eſt Helgium cum fratris uxore, ipſius filiâ, rem habuiſſe, idqve genero callidè inſinuavit, hortatus ut fratrem tanti ſceleris reum per inſidias, cum aperte non poſſe, ſummoveret. Id poſtqvam Hrærecus perfeciſ-

ſet, Ivar tantum facinus, veluti ſe invito & inſcio perpetratum, vehementer execratus, eum affinitate ſua & ſceptris Regni indignum pronunciavit, qvod fratris, innocentis viri, & optimi Regis, ſuiqve intimi amici, ſangvine ſe contaminaſſet. Mox ad ſe ſponte profectum, & nihil ſibi metuentem, ut qvi commune opprobrium inſtigante ſocero vindicaſſe ratus erat, imparatum per inſidias occidi curavit, *Daniamqve univerſam in ſuam* poteſtatem redegit. Filia vidua cum parvulo nato Haraldo, ut *ſævitiam* parentis & immenſam perfidiam evitaret, è Dania in Ruſſiam profugit, Regiqve iſtius Regni, Radbardo nomine, nupſit. Poſtea Ivar, tum cupidine iſtius Regni illectus, tum etiam ultionis ſtimulis agitatus, eo qvod Radbardus filiam ſe invito & inconſulto matrimonio ſibi jungere auſus eſſet, in Ruſſiam expeditionem ſuſcepit. Verum accidit in itinere, ut prodigioſo ſomnio aliqvando excitatus, familiarem ſuum & nutricium, nomine Hordum, ſciſcitaretur, ecqvid portenderet? Qvi cum ultricibus *furiis eum* agitari reſpondiſſet, is de parentum ſuorum & cognatorum ſtatu, qvalis eſſet, interrogavit. Regeſſit Hordus ipſos in ſummo honore eſſe, & *inter* Deos Odinum & Aſas in aula Valica genio indulgere; verum omnes illi eſſe infenſiſſimos. Ad ultimum qvæſivit, qvalis ſe locus in Valhallâ maneret? Regeſſit alter præparatam ipſi ſedem apud ſerpentem Midgardenſem (multa de eo *Edda* fabulatur). Experire igitur, inqvit, qvalis ſit ſerpens Midgardenſis, & provocato familiari, è navi præceps in undas extemplo proſiluit: qvo conſpecto Hordus de rupe, cui inſiſtebat, in mare ſe projecit, nec poſtea viſi ſunt. Creditum

eſt

eſt, qvod ſub undis confligendo interierint. Hoc cognito nepos ipſius Haraldus Hilditann, qvindecim tum annos natus, è Ruſſia in Daniam extemplò profectus, omnium ſtudiis exceptus eſt, Rexqve ſalutatus. Hæc ex *Fragmento hiſtorico* de pugnâ Bravallenſi, aliqvoties à nobis ſuperius allegato; qvod & addit, Haraldi amicos, metuentes ne is tot præliis implicitus (permulta enim geſſiſſe memoratur) armis hoſtilibus aliqvando fortè occumberet, magicis artibus tantam illi cutis duritiem procuraſſe, ut exinde ſine galea ſcutove prælia inire, nudumqve corpus ictibus validiſſimis objicere potuerit.

In Haraldi hujus genere recenſendo Saxo admodum fluctuat. Patrem enim ipſius interdum Borcarum, interdum Haldanum vocat; matrem vero nunc Gro, nunc Guritham appellat. Diverſæ huic relationi vel Saxonis memoriæ lapſum vel librarii cujusdam gloſſema cauſam præbuiſſe exiſtimat *Stephanius* Not. in Sax. pag. 155. Qvicqvid illius ſit, certum eſt Saxonem hìc à vero aberraſſe. *Satis enim* ex ſuperioribus genealogiis conſtat *Haraldum Hilditannem filium* fuiſſe Hræreki Slaungvanbaugii & *Auduris*, Ivaris Vidfadmii filiæ, prout ſæpius antea dictum eſt. Nec ſolæ genealogiæ de Haraldi parentibus teſtimonium perhibent. Idem planè habetur in antiqviſſimo, ac à nobis non ſemel antea allegato carmine *Hyndluliod.* Verba hæc ſunt:

Haralldr Hillditaunn
borinn Hræreki
Slaungvanbauga
ſonr var hann Audar,
Audr Diupaudga
Iſvars dottir,

enn Radbardr var
Randvers fadir. *h. e.*

Haraldus Hiditann natus ex Hrareco Slaungvanbaugio, Auduris filius erat, Audur Prædives Ivaris filia erat, Radbardus autem Randveris pater fuit.

Similia de paterno & materno Haraldi Hilditannis genere tradunt qvotqvot illius è noſtratibus meminerunt. Solus *Hiſtoriæ Hervorianæ* locus, nuper à nobis adductus, in diverſum abit atqve alium ei patrem, aliam matrem tribuit: & patrem qvidem Valdarem, qvem Daniæ à ſe deviƈtæ Ivarem præfeciſſe aſſeverat, datâ ei in uxorem fideiqve pignus filiâ ſuâ Alfhilde, qvæ ei Haraldum Hilditannem & Randverem pepererit. In eo memoratus locus cum aliis convenit, qvod Haraldus & Randver Ivaris ex filia nepotes fuerint; in utriusqve tam patre qvam matre diſſenſus eſt. Etenim Haraldus, ſecundum conſtantem noſtratium aſſertionem, non Valdare & Alfhilde Ivaris filia, ſed Hræreco Slaungvanbaugio & Audure diƈti Ivaris filiâ natus eſt, prout ſuperius ſatis diƈtum. Randver ſimiliter, ſecundum omnes genealogias, parentes habuit, non Valdarem & Alfhildem, ſed Radbardum Ruſſiæ Regem & prædiƈtam Audurem Ivaris filiam, fuitqve adeò Haraldi Hilditannis frater uterinus. Itaqve ad conciliandam huic genealogiæ fidem, dicendum erit duos fuiſſe Haraldos Hilditannes, unum Hræreco & Audure, alterum Valdare & Alfhilde natum; qvorum utrumqve matres de neceſſariorum unius nomine Haraldum appellaverint, qviqve poſtea idem Hilditannis cognomen uſurpaverint. Et credi poterit Ivarem, poſtqvam Audur filia ejus è Daniâ in Ruſſiam confu-

fugerat, Valdarem illum *Daniæ* præfeciſſe, eiqve filiarum alteram elocaſſe; ipſo namqve in Svecia manente, vel aliis negotiis impedito, Daniæ regnum niſi per vicarium commodè adminiſtrari non potuit. Qvod ſi Valdarem illum ex Alfhilde Ivaris filiâ præter Haraldum Hilditannem, alteri illi, Hræreki & Auduris filio, cognominem, Randverem qvoqve, ſobrino ſuo, Auduris filio, ſimiliter cognominem, ſuſcepiſſe credamus, adducto loco veritas conſtare poteſt, ſi Randver ille Valdari patri in regnum Daniæ ſucceſſerit, priusqvam ſobrinus illius Haraldus Hilditann è Ruſſia in Daniam venit & ſubditorum ſtudiis ad ſceptra evectus fuit; in Gothia enim primò moram nexuiſſe Haraldum & deinde Daniam adiiſſe ſæpedictus Hiſtoriæ Hervorianæ locus perhibet. Hæc fere ſunt, qvæ in memoratæ genealogiæ ſtabilimen dici poſſunt. Interea diſſimulare nolumus, nos allatis conjecturis tantum non tribuere, qvin potius ſtatuere velimus, ſæpedictum locum hac in parte vitioſum eſſe, atqve illius *ſolius auctoritatem tot aliis noſtratium teſtimoniis cedere debere; præſertim* cum in Randveris mortis genere referendo parum ſibi conſtet, & de Sigurdi Hringi genere penitus falſa tradat; qvippe qvem, non Randvere Valdaris & Alfhildis filio, ſi is unqvam extitit, ſed Randvere Radbardi Ruſſiæ Regis & Auduris filio natum eſſe conſtat. Ex permultis antiqvitatum noſtrarum teſtimoniis unicum hic locum adſcribam ex *Originibus Norvegiæ* deſumtum, qvi dicta probat, & præcedentibus non parum roboris addit: Haralldr hinn „ gamli, ſon Valldars hins millda, Hroars ſonar, atti „ Hervoru Heidreks dottur. þeirra ſon var Halfdan „

Snial-

„ Snialli, fadir Ivars Vidſadma, faudur Audar Diupaud-
„ gu. hana atti Hrærekr Slaungvanbaugi, þeirra ſon var
„ Haralldr Hillditaunn. Sidar atti Audi Radbardr ko-
„ nungr. þeirra ſon var Randver, fadir Sigurdar Hrings,
„ faudur Ragnars Lodbrokar. *i. e.* Haraldus Grandæ-
„ vus, filius Valdaris Munifici, Hroaris filii, Hervorem
„ Heidreki filiam in matrimonio habuit; eorum filius
„ erat Halſdanus Diſertus, pater Ivaris Vidſadmii, pa-
„ tris Auduris Prædivitis. Hanc in matrimonio habuit
„ Hrærecus Slaungvanbaugius, fuitqve eorum filius Ha-
„ raldus Hillditann. Poſterius Audurem Radbardus
„ Rex uxorem duxit, eratqve eorum filius Randver,
„ pater Sigurdi Hringi, patris Ragnaris Lodbrochis.

Haraldi Hilditannis tempore Scatum & Hialum fratres Olavum Vermorum Regulum pro tuendâ filiæ pudicitiâ ad pugnam provocaſſe Saxo libro VII. pag. m. 141. perhibet. Olavus iſte absqve omni dubio eſt Olafus Lignarius, Ingialdi Aſtuti Ineciæ Regis filius, qvi, uti ex *Snorrii* Chronico Norvegico conſtat, poſtqvam pater Ingialdus metu Ivaris Vidſadmii, Hilditannis avi materni, necem ſibi Vulcani ope accelerârat, Sveciâ profugus Vermelandiam ſeu Vermiam, ad id usqve tempus deſertam, primus occupavit, excoluit, ac eo qvod hodie retinet nomine vocavit, ibiqve ſe in Regem elevavit. Ita Saxo vel inſcius noſtratium monumentis accinit, Haraldumqve Hilditannem Olafo Lignario æqvalem fuiſſe innuit.

Ab hoc Haraldo Hilditanne vocem Danicam *Arildstid* denominatam eſſe vult *Joh. Lyſchander* Antiqvit. Dan. Serm. VIII. qvem hac in re ſeqvitur *Svaningius* in Chronolo-

nologia Dan. cujus hæc ſunt verba: *Sunt qvi ſuſpicantur in memoriam libertatis patriæ, per Haraldum Hylletandum partæ, à Danis conditam æram illuſtrem, qvæ hodieqve iis vernaculè vocatur* Arrilds tid, *qvaſi* Haralds tid, *h. e. tempus ſive æra Haraldi.* Addit tamen Svaningius ſe nullum ejus certum veſtigium in Danorum hiſtoriis legiſſe. Et nos illa, qvæ de æræ illius initio dicuntur, tanqvam dubia in medio relinqvimus. Sane *Gudmundus Andreæ*, vir veteris lingvæ Danicæ non imperitus, in Notis ad Stephani Olai verſionem Carminis *Voluſpa*, vocem *Arilds tid*, vitiatam eſſe ait ex antiqvâ voce *Arenstid*; cujus etymon ſtatuit voculam *ar*, qvam per *principium* explicat; ut *Arilds tid* eâ ratione nullam certam æram, ſed *antiqviſſimum qvodvis tempus* denotet.

Haraldi Hilditannis operum ultimum fuit pugna, cum Sigurdo Hringo, Randveris, uterini illius fratris, filio, in Oſtrogothiæ campis commiſſa; qvâ cæſus Haraldus Sigurdo victori regnum reliqvit. Acerrimum hocce prælium (qvod noſtrates â loco ubi pugnatum eſt *Bravallenſe* nominant) *Saxo* libri VIII. initio luculenter deſcripſit; & extat *Fragmentum* vetus à noſtratibus concinnatum, qvod memorati prælii hiſtoriam exhibet, ſatis (uti ſuperius lib. I. Cap. VII. pag 64. diximus) cum Saxonis relatione convenientem. Id ſaltem hoc loco apud Saxonem notari meretur, qvod in memoratâ pugnâ Haraldo militaſſe ſcribat Blend ultimæ Thyles incolam; & ſub Hringi ſigna à Thyle veniſſe Marem Ruffum, pago, qvi Mithfrithi dicitur, ortum educatumqve: Grombarem annoſum: Gramum Brundelucum, & Grimum ex oppido Skierum apud Scaha fyrchi provinciam ſatum. Per *Thylen* & *Thylenſes* Saxonem ubivis *Islandiam* &

Islandos ſignificare certum eſt, & hìc vel ſola locorum, qvæ memorat, nomina teſtimonium perhibent. In dandi caſu, ut cum Grammaticis loqvar, Saxonem ea ponere voluiſſe apparet, unde in illius textu *Mithfirthi* & *Scagafirthi* omnino legendum. Territoriorum illorum prius in Boreali Islandia ſitum, adhuc ſatis notum eſt, & *Midſiordr* in nominandi caſu incolis dicitur. Poſterius, *Skagaſiordr* dictum, eâdem inſulæ parte continetur, & ab Epiſcopi Holenſis ſede celebritatem mutuatur. Islandos igitur cruento iſti Bravallenſi prælio interfuiſſe Saxo tradit. Nec aliter illum intellexit Danicus ejus interpres, eruditiſſimus vir *Andreas Vellejus*, qvi illa: *à Thyle autem venêre Mar Ruffus* &c. in verſione ſuâ Danicè ita reddit: **Fra Jßland komme Mar Rodſkegge /** qvemadmodum & in Saxonis præfatione, nec non libro hocce VIII. in Gormonis & Gotrici vitis, *Thylenſium* nomen **Jßlenders** interpretatur; atqve tandem *Arnoldum Thylenſem*, Saxoni lib. XIIII. pag. m. 316. memoratum, **Arild Jſlender** vocat. Qvod autem idem doctus vir unico loco ſibi ipſi diſſimilis factus *Blend ultimæ Thyles incolam* vertit: **Blend af Telloe /** id eſt, ſi Latinè iterum reddatur, *Blendum ex inſulâ Tellöa*; ejus rei culpa fortaſſe referenda eſt in *Chriſtiernum Petræum*, primum Saxonis interpretem, qvi, teſte *Stephanio* Not. in Saxonem pag. 172. Blendum illum in ſuâ Danica verſione **Blend aff Tylyoe** vocavit. Illius translationem cum forte Vellejus ante oculos hìc haberet, & ad ſingula non ſatis accuratè attenderet, aliis, ut credere par eſt, negotiis diſtractus, loco *Islandiæ* in illius verſionem *Tellöa* iſta irrepſit, cujus ſitum ſe juxta cum ignariſſimis ſcire *Stephanius* fatetur; idqve jure, cum in mun-

mundo non extet. Manet itaqve qvod diximus, nempe Saxonem per *Thylen* Islandiam intelligere, ac itaqve Islandis in hoc Bravallenſi prælio partes aliqvas tribuere. Id verò eſt, qvod nos in Saxone nuper notavimus, & perperam ab eo tradi nunc aſſerimus. Etenim Sigurdus Hringus, qvi Haraldum Hildetannem hac acie vicit, atavus erat Haraldi Pulchricomi Norvegiæ Regis, cujus tempore Islandia, eatenus deſerta, (qvod in antiqvitatibus noſtris vel hoſpiti notum eſt) incoli primum cœpit, poſt medium ſeculi à nato Chriſto Noni; unde ſeſqviſeculo ferè poſt pugnam Bravallenſem incultam, forte & ignotam, jacuiſſe apparet. Animadvertit illud Doctiſſimus *Stephanius* Not. in Sax. pagg. m. 172. 173. atqve ideo in hac pugnæ Bravallenſis deſcriptione per Thylen à Saxone indigitari credidit vel Norvegiæ aliqvam provinciam, vel Chriſtierni Petræi & Andreæ Velleji Telłóam, ſibi tamen, ut ait, penitus ignotam. Sed parum iſta pro Saxone valent. Is enim, uti ſuperius probavimus, Thylenſium nomine Islandos conſtanter vocat; & Tellóam inſulam Utopiæ lateri adjacere certum eſt.

Qvemadmodum autem Saxo in hac Islandorum expeditione recenſendâ ea tradit, qvæ cum ipſorum monumentis nullo modo conſiſtunt, ita is viciſſim noſtratium traditiones illuſtrat, ubi ſæpedictæ Bravallenſi pugnæ interfuiſſe ac à Hringi partibus ſtetiſſe ait Regnaldum Ruthenum, Rathbarti nepotem, virum Regia dignitate conſpicuum. Regnaldum enim iſtum inter Sigurdi Hringi conſangvineos noſtri non recenſent, qvem tamen illius vel patruelem vel amitinum fuiſſe ex omnibus circumſtantiis colligitur.

Poſt Haraldum Hilditannem Sigurdus Hringus regnavit, illius, uti antea dictum, ex fratre Randvere nepos. Hic à patruo Haraldo Sveciæ præfectus, poſt illius obitum tam iſti regno qvam Daniæ ſummâ cum poteſtate præfuit, atqve in Dania tributarios Regulos Ducesqve aliqvot inſtituit, qvi vicariâ poteſtate præditi incolas gubernarent. Sigurdus Hringus in matrimonio habuit Alfhildem, filiam Gandalfi, nepotis Alfi vel Finnalfi, Alfheimorum in Norvegia Regis, qvæ illi Ragnarem Lodbrochem, celeberrimum poſtea Regem, peperit. Notabilem de Hringo locum habet *Olafi Tryggvini vita*, qvam in binis membranis poſſidet amiciſſimus mihi Arnas Magnæus. Illum, licet prolixiorem, integrum hic exſcribam: þa er
„ Sigurdr Ringr, fadir Ragnars Lodbrokar, var konungr
„ yfir Sviavelldi oc Danavelldi, oc hann hafdi fridat
„ hvartveggia rikit, oc ſett yfir ſkattkonunga oc Jarla,
„ þa mintiz hann þeſs rikiſs er Haralldr Hillditonn
„ frændi hans hafdi att i Englandi, oc fyrir Haralld I-
„ varr enn Vidfadmi. En þat riki hofdu þa Enskir kon-
„ ungar. het ſa Ingialldr er þa red fyrir, oc er ſva ſagt
„ at hann væri brodir Veſtr-Saxa konungs. Ingialldr var
„ rikr konungr. Ringr konungr baud ut leidangri mi-
„ klum af riki ſinu oc for veſtr til Englandz. En er
„ hann kom til Nordimbralands, beiddi hann ſer vid-
„ toku, geck þar þa undir hann margt folk. En er In-
„ gialldr konungr ſpurdi þat, þa ſamnadi hann ſaman
„ her miklum, oc for i mot Ringi konungi, oc attu þeir
„ ſaman nockurar orroſtur. En i ſidarſtu fell Ingialdr
„ konungr oc Ubbi ſon hans, oc mikill luti lids þeirra.
„ Eignadiz þa Ringr konungr Nordimbraland, oc þar

med

med allt þat riki er att hafdi Ingialldr konungr. En „
adr Ringr konungr færi lidi ſinu veſtan af Englandi, „
ſetti hann ſkattkonung yfir Nordimbra land, ſa er nefndr „
Olafr. hann var ſon Kinriks þeſs er ſagt er at væri bro- „
durſon Moalldar Digru modur Ivars Vidfadma. for þa „
Ringr konungr aptr til rikiſs ſins. Olafr konungr red „
lengi Nordimbralandi, þar til er ſon Ubba konungs „
kom til rikiſs. ſa er nefndr Eava. attu þeir Olafr mar- „
gar orroſtur, oc i enni ſidarſtu flydi Olafr konungr, en „
Eava lagdi þa rikit undir ſik. Olafr konungr for þa til „
Sviþiodar a fund Rings konungs. ſetti Ringr konungr „
þa Olaf hofdingia yfir Jotland. var Olafr konungr len- „
gi ſidan þar ſkattkonungr, fyrſt Rings konungs, en ſi- „
dan Ragnars Lodbrokar. hann var kalladr Olafr En- „
ſki. Hans ſon var Grimr Grae, er konungdom oc ri- „
ki tok eptir fodur ſinn. Grimr var fadir Audulfs Auſl- „
ga, er ſkattkonungr var a Jotlandi Ragnars Lodbrokar. „
Sonr Audulfs het Gormr, er enn var ſkattkonungr a „
Jotlandi. hann var kalladr Gormr enn heimſki. *id eſt.* „
Sigurdus Hringus, Ragnaris Lodbrochis pater, Sveciæ „
& Daniæ Rex, poſtqvam utriqve regno pacem red- „
didiſſet, Regesqve tributarios ac Duces præfeciſſet, „
cogitare cœpit de regno illo qvod Haraldus Hilditann „
cognatus illius & ante Haraldum Ivar Vidfadmius „
in Anglia poſſederant; qvod regnum tunc temporis „
Anglicis regibus parebat. Ingialdo nomen erat Regi, „
qvi regnum iſtud tunc gubernavit; hic Occidentali- „
um Saxonum Regis frater fuiſſe perhibetur, ipſeqve „
potentiâ clarus. Hringus Rex collectis in regno ſuo „
copiis ingentibus in Angliam trajecit. Cumqve in „

„ Northumbriam veniret, incolas monere cœpit, ut „ debitum ſibi obſeqvium præſtarent; multiqve ſe ei „ ſponte ſubdiderunt. Ingialdus Rex hoc audito gran„ dem exercitum collegit, Hringumqve adortus cum „ eo aliqvoties conflixit. Ultimo prælio Rex In„ gialdus cum filio Ubbio & magna militum parte cæ„ ſus eſt. Qvo facto Northumbria & inſuper totum il„ lud regum qvod Ingialdus poſſederat, in Hringi Re„ gis poteſtatem pervenerunt. Qvi anteqvam copias „ ſuas ex Angliâ educeret, Northumbriæ tributarium „ Regem præpoſuit, nomine Olafum, cujus pater Kin„ ricus filius fuiſſe dicitur fratris Moaldæ Craſſæ, qvæ „ Ivaris Vidfadmii mater erat. Hringus Rex in regnum „ ſuum rediit, Olafus vero Northumbriæ diu præfuit, „ donec Ubbii Regis filius, nomine Eava, regnum illud „ invaderet. Olafus cum eo multa prælia geſſit; qvo„ rum ultimo victus aufugit, Eava vero regnum ſibi „ ſubjecit. Olafus in Sveciam ad Hringum Regem ſe „ contulit; qvi eum Jutiæ præfecit. Olafus ibi „ tributarius Rex diu fuit, primò ſub Hringo Rege „ & deinde ſub Ragnare Lodbroche. Hic Olafus Anglus „ dictus eſt. Ejus filius erat Grimus Cineraceus (Canus) „ qvi Regium nomen regnumqve poſt patrem accepit. „ Grimus pater fuit Audulfi Robuſti, qvi Jutiæ Rex e„ rat, tributarius Ragnari Lodbrochi. Audulfi filius e„ rat Gormus, qvi etiam Jutiæ tributarius Rex fuit; „ hic Gormus Stultus dictus eſt.

Ex hoc Sigurdo Hringo *Saxo* binos homines fecit; qvorum unum, ſuppreſſo prænomine, Ringonem vocat, Ingeldoqve Sveciæ Rege ac Haraldi Hilditannis ſo-

rore

rore natum eſſe lib. VII; ſcribit: atqve cum avunculo Haraldo acri illo prælio, qvod nos Bravallenſe vocamus, conflixiſſe libro VIII. perhibet. Alterius geſta libri IX. initio recenſet, qvem vero nomine Syvardum Ring vocat & Ragnarem Lodbrochem genuiſſe rectè ſcribit. Verum graviter hic errat Saxo. Etenim] unus idemqve erat Hringus vel Ringo, Ragnaris Lodbrochis pater, cum illo, qvi Haraldum Hilditannem vicit, veluti id ante nos rectè obſervàvit literisqve tradidit Doctiſſimus *Arngrimus*, qvi & Saxonis de Syvardi Ringi paterno genere hallucinationem annotare non omiſit. Verba ejus *Stephanius* Prolegom. ad Not. in Saxon. Cap. XXII. talia exhibet: Libro Septimo Hiſtoriæ Danicæ Saxo commemorat Ringonem qvendam, Inghaldi filium, qvi Haraldum Hyldetand prælio victum occiderit. Ille autem Ringo, Haraldi Hyldetandi victor, fuit Sigvardus Ring, Lodbrochi pater, noſtris id paſſim aſſerentibus. Id qvod etiam Saxo nobiscum fatetur imprudens, eodem nomine loci in qvo depugnatum eſt; qvem Vvellejus Danicè vertit Bravelſe, (*legendum* Bravelle) ut nos. Eundem hunc Sigvardum Ring affirmat Saxo natum patre Sigvardo qvodam Norvego Lib. IX: ſed neutrum verum eſt. Etenim Sigvardus Ring, Lodbrochi pater, parentem habuit Randverum nomine, debellavitqve patruum Haraldum Hyldetand, in loco Braffvellſe, (*& hic legendum* Bravelle). Itaqve hic Saxonem ſibi contrarium judico, eundem Ringonem nunc Inghaldi, nunc Sigvardi filium ſtatuentem.

Monſtrato ita Ringonem, Haraldi Hilditannis victorem, & Syvardum Ringum, Ragnaris Lodbrochis patrem,

patrem, unum eundemqve hominem eſſe, operæ pretium erit inſpicere, an Reges iſti, qvi inter hos duos Ringones, vel Ringos, apud Saxonem comparent, genuini ſint aut juſto ordine collocati.

Horum primus ſeſe Olo offert, qvem Scaniæ à Ringone primò præfectum eſſe Saxo ſcribit: mox reliqvas Daniæ partes procerum ſtudiis nactum, Hethæ, bellatrici-virgini, Jutiam ſub tributi conditione conceſſiſſe; qvam Sleſvicum condidiſſe, ac à ſuo nomine *Hethæby* appellaſſe *Svaningius* in Chronologiâ Danicâ ad annum Chriſti CCCXXVI. & alii Danicarum rerum Scriptores tradunt. Olonem tandem poſt varias res ſtrenuè geſtas, qvæ ei *Vegeti* cognomen dederint, à Starcado, cum corpus balneo ablueret, nefariè occiſum eſſe Saxo perhibet. Hic Olo, non ſecus ac Haldanus Bierggrammus ex duobus diverſis hominibus à Saxone compoſitus eſt, prout ſuperius libri hujus Capite V. diximus. Nam illud qvod à Hringo, Haraldi victore, parti Daniæ præfectus ſit, Olafo Anglo competit, cujus nuper mentio facta. Illum enim Sigurdus Hringus Jutiæ præfecit. *Vegeti* vero cognomen & cædes per Starcadum illata, in Olium Fridleifi Tertii filium, uti antea dictum eſt, apprimè qvadrant, qvi à Starcado qvidem interfectus eſt: an in balneo, non liqvet. Armodum certè, Regem, à Starcado nefariè in balneo occiſum noſtrates commemorant, qvi ab hoc Olio planè diverſus eſt. De Hethâ obiter monendum, Hethæbyenſis urbis nomen ab eâ derivatum non videri, ſed potius a vocula *Heide*, qvæ *deſertum* denotat, eò qvod forte prope deſertum qvoddam ſita fuerit.

Olonis, ex pluribus, ut apparet, hominibus conflati,

Omun-

Omundus nec filius nec hæres eſſe poteſt. Duos ei filios Saxo aſſignat, Syvardum & Buthlum, qvorum natu majorem Syvardum patri in Daniæ Regno ſucceſſiſſe ſcribit, Buthlo in tenerâ ætate conſtituto, qvem tamen ad Daniæ ſceptra poſtea perveniſſe tradit. Noſtrates Omundum & Syvardum penitus ignorant, qvos univerſales vel ſupremos Daniæ Reges non fuiſſe, ex iis, qvæ de Sigurdo Hringo ſuperius dicta ſunt, abunde patet.

Ad Buthlum qvod attinet, is neqve Omundi filius erat, nec unqvam Danica ſceptra geſſit. Saxoniæ Regem fuiſſe noſtrates innuunt, Sigurdo Hringo circiter coævum, cujus neptem Aslaugem Ragnar Lodbroch, Sigurdi Hringi filius, uxorem duxit, uti ex Tabula genealogicâ libri hujus Cap. III. pag. 251. ſuperius poſitâ, videri poteſt.

Jarmericum Syvardi filium patruo Buhtlo regnum eripuiſſe *Saxo* ſcribit. Is licet alieno ſchemate obnuptus hìc exhibeatur, facilè tamen à nobis cognoſcitur. Etenim Bicconis inſidioſa conſilia, qvæ Svanhildam (malè in Saxonis, qvos habemus, libris *Svvavilda* dicitur) ad mortem ſub pecudum ungulis perferendam condemnarunt: reginæ ejusdem raræ venuſtatis forma, qvæ qvadrupedum impetum refrenavit: inplumis accipiter & mutilatum Jarmerici corpus noſtris non minus qvam Saxoni nota ſunt. Extat enim in *Ragnaris Lodbrochis Vitâ* prolixa hujus rei hiſtoria; binæ inſuper tragœdiæ in Odarum collectione illâ, qvam *Sæmundi Eddam* vocant, comparent, qvæ poëtico artificio idem complectuntur. Nos rem, uti geſta eſſe dicitur, compendio enarrabimus.

Sigurdus qvidam præ omnibus priſci ſeculi heroibus à bellica fortitudine celebratur; qvi ab occiſo ſerpente, Faſnere dicto, *Faſnisbanius* vel Faſnericida vulgò cognominatur. Is cum Saxoniæ Regis ſorori, Brynhildi Budlinæ, fidem conjugalem dediſſet, filiam ex eâ ſuſcepit Aslaugem, Ragnaris Lodbrochis deinceps uxorem. Relictâ deinde Brynhilde, Giukii, potentis ad Rhenum Regis, filiam, Gudrunam nomine, ſibi ſociavit; Brynhildem vero uxoris ſuæ fratri Gunnari matrimonio jungendam curavit; qvæ Sigurdi inconſtantiâ & uxoris rivalis invidiâ æſtuans, maritum in illius necem accendit, perpulitqve eò, ut illum, periculi ſecurum, per inſidias tolleret. Qvo facto Brynhildis ipſa, indomiti amoris impetu veſana, nec deſiderii illius ultra patiens, ſibi manus intulit, ut rogi ejusdem particeps ſola Sigurdi amplexibus poſt mortem frueretur. Gudruna, Sigurdi vidua, poſtea nupſit Atlio Budlii filio, Brynhildis fratri, Saxoniæ Regi. Hic cum conjugis fratres, Gunarem prædictum & Hognium (patronymico vel gentili nomini *Giukungos* vulgò dictos) inſidiis circumventos, per varios cruciatus necaſſet, Gudruna in fratrum ultionem proprios filios, qvos ex Atlio ſuſceperat, occîdit, & patri epulandos appoſuit. Occiſo deinde marito aulam illius incendit, ſeqve tandem ipſam in mare præcipitem dedit; qvod ei majorem, qvam ipſa optavit, gratiam fecit. Etenim qvæ ſubmergi in votis unicè habuit, undarum æſtu ad peregrinum littus incolumis delata eſt. Regnabat ibi Rex qvidam, Jonacus nomine, qvi Gudrunam, celeberrimam ſui ſeculi reginam (ſcelera enim qvæ perpetraverat, iisve ſimilia, virtutis & fortitudinis nomine tunc voca-

cabantur) memoratoqve caſu in ditionem ejus deportatam, poſtremo uxorem duxit, atqve ex illa tres filios ſuſcepit, Hamderem, Sorlium & Erpum. Tandem Jormunrecus Potens (id enim cognomen, tum à theſaurorum opulentia, tum etiam ditionis amplitudine conſecutus eſt) filiam Gudrunæ ex primo conjugio natam, Svanhildem nomine, ſibi matrimonio dari petivit & impetravit. Jormunreki filius fuit Randver (*Saxoni* perperam Broderus) qvi legationis illius munere fungebatur. Ei ſponſam domum ducenti Bicco (qvem Regiam virginem expetituro pater comitem dederat) ſvaſit, ut qvam patri pactus erat ſponſam, ipſe duceret, ſeni Regi tam teneram ætatem non convenire, ſed virgineis amplexibus juvenilem copulam deberi affirmans. Malo conſilio juvenis auſcultans, paternam ſponſam de amore ſollicitavit. Et illa juvenem ſeni præferre viſa eſt. Attamen Jormunrecum adeunt: cui qvid in itinere actum ſit Bicco protinus revelat. Jormunrecus tantâ filii perfidia ad iram excitatus, illum laqveo adjudicat. *Mox ad ſupplicia rapitur Randver*, qvi antè qvam infelici affigeretur ſtipiti, deplumatum accipitrem ad patrem perferri curavit; qvi orbitatis ſuæ hac ratione commonefactus, per nudatam volucrem regnum præſidio vacuum adumbrari videns, poſt necem filii tandem reſipuit. Mœrorem deinde ex orbitate contractum in furorem vertens, Svanhildem eqvinis ungulis ad internecionem conterendam ſuppoſuit; qvæ tanta viſus acrimonia, & luminum continua mobilitate vibrantium fulgore polluiſſe dicitur, ut metu perculſa animalia propius accedere formidaverint, nec prius eam adorta ſint,

qvam, coopertâ facie, vividus ille oculorum fulgor abſconderetur. Hæc ubi Gudruna Svanhildis mater cognovit, filios ad ſororis ultionem exſeqvendam anxiè ſollicitavit. Eunt itaqve domo in Jormunrecum armati. In itinere vero Sorlius & Hamder Erpum fratrem natu minimum rogant, qva fide & promtitudine illis ſit ſuccurſurus? Reſpondet ille, ſe tantam iis opem & ſubſidium laturum, qvantum manus pedi aſſoleat. Parum id fratribus videbatur, ac itaqve eum tanqvam inutilem interfecerunt. Paulo poſt eorum alter, pede vacillante in lapſum inclinans, manu in terram demiſſâ caſum inhibuit, unde manum pedi ſubveniſſe doctus, nimis ſerò ſe fratremqve de Erpi cæde incuſavit. Tandem ad Jormunreki penates ventum eſt; qvem ſecure dormientem deprehendentes, cubiculum ejus mox ingreſſi ſunt, alterqve manus alter pedes ei amputavit. Ceterum priusqvam eum penitus occidere poſſent, ab aulicis circumventi, lapidibus ad necem usqve obruebantur. Cumqve undiqve circumfuſam multitudinem conſpicerent, alter eorum dixiſſe fertur: Jormunreco nunc caput præciſum eſſet, ſi Erpus viveret. Hæc ferè ſunt, qvæ noſtrates de Jormunreco ſeu Jarmerico habent; unde nemo colliget, eum in Daniâ rerum potitum eſſe. Et fruſtra illum inter Daniæ Reges collocari, inferius patebit, ubi illius hiſtoriam paulò accuratius examinabimus.

Broderum (qvi noſtratium Randver eſt) Jarmerico patri ſucceſſiſſe Saxo tradit. Noſtrates eum ante extremum patris caſum, infelici morte periiſſe tradunt. Et ſi vel maxime patri ſupervixiſſet, Daniæ regnum, qvod patri nunqvam paruit, hæreditario jure occupare non potuit.

Bro-

Brodero Syvaldum *Saxo* ſubjungit, nomine tantum ſibi notum. Huic Snionem filium ſucceſſiſſe ait; in cujus hiſtoria id præ ceteris notabile occurrit, qvod illius tempore Longobardi è Dania exierint, qvi poſt tot itinerum anfractus & mille laborum moleſtias Italiæ partem poſtea occuparunt. Nos qvemadmodum Syvaldum illum planè ignoramus, ita pro certo aſſerere non audemus, unde Snionem ſuum Saxo acceperit. Aliàs in noſtris antiqvitatibus commemoratur *Snær*, vel, uti aliâ dialecto effertur, *Sniar*, (in *Chronici Snorrini* verſione Danicâ *Snio* dicitur) antiqviſſimus Finnlandiæ Rex, qvi circa Chriſti nati tempora vixerit. Hujus nomen an Saxo mutuatus fuerit, Regumqve Daniæ catalogo inſeruerit, exactè ſciri neqvit, cum ex Finnlandiæ illius Regis geſtis nihil habeamus, qvod cum Saxonis relatione hìc conferri poſſit. Id pro certo habemus, Longobardorum exitum nihil ad Snionis tempora pertinere, qvippe qvi fixas in Italiâ ſedes habuerunt ante id tempus, qvo Haraldum Hilditannem & Sigurdum Hringum celebri *illâ Bravallenſi pugnâ* conflixiſſe conſtat; cujus pugnæ æra ſupra annum Chriſti, qvem libri hujus Cap. II. ſuperius poſuimus, parum aut nihil exaltari poteſt, genealogiis & aliis rerum circumſtantiis id firmiter monſtrantibus. Nec, ſi vel maximè Saxonis veſtigia premamus, iſta Longobardorum ſub Snione emigratio abſurditate caret. Etenim Longbardi, uti ex indubitatæ veritatis ſcriptoribus conſtat, circa ânnum Chriſti DLXVIII. è Pannoniâ in Italiam transierunt, ibiqve regnum fundarunt, qvod usqve ad Caroli Magni tempora XVII. Regibus, ſibi ſuccedentibus, ſtetit. In Dania vi-

ciſſim, ſecundum Saxonem, *inter* Snionem & Gotricum, Carolo Magno, *ut vult*, *coævum*, tres *tantum* Reges, Biorno, Haraldus & Gormo, regnarunt, qvi unâ cum Snione & Gotrico ultra CLX. annos regnare non potuerunt, *ut* eâ ratione Longobardorum è Daniâ emigratio in *ſeculum ſeptimum* cadat; qvod qvam abſurdum ſit, nemo non videt: tunc enim bellax iſte populus LXX. *circiter* annis qvietâ Inſubriæ poſſeſſione gaviſus fuerat; *ut de tempore*, qvod ab eorum emigratione ad *ingreſſum* in Italiam defluxit, nihil dicatur. Sed opponet forte aliqvis, fruſtra nos ex paucitate Regum inter Snionem & Gotricum, de Snionis ætate ac Longobardorum emigrationis ærâ argumentari: cum doctorum conſenſu ingenti hic annales Danici hiatu laborent; Snionis itaqve ævum longè altius extolli poſſe, imò in tantum, ut ſubſeqventia tempora lento illi & flexuoſo Longobardorum itineri abundè ſufficiant. Nos eqvidem communes iſtas Daniæ ſcriptorum de magna annalium ſuorum lacunâ qverelas non ignoramus, qvibus & *haut* parum ipſi moveremur, niſi earum fundamentum nobis tam benè conſtaret. Nempe animadverterunt *docti illi* viri, id qvod nos nuperrimè in Saxone notavimus, qvatuor ſcilicet Regum ætatem non ſufficere Longobardorum his è terris in Italiam migrationi, & ducentis inſuper annis, qvibus uſqve ad Carolum Magnum in Italiâ regnârunt; hos autem ſub Snione exiiſſe indubitanter crediderunt; itaqve Snionis æram exaltandam eſſe arbitrati ſunt, ut tempus, qvod inter eum & Carolum Magnum intercederet, rerum Longobardicarum capax eſſet; unde annales Danicos ingenti defectu hic laborare omninò

ſeqve-

ſeqvebatur. *Nos*, ut verum fateamur, cauſam non videmus, cur *Saxonis* iſta relatio de Longobardorum ſub Snione exitu, majorem qvam ſæpedicti Snionis & ſubſeqventium qvatuor Regum ſucceſſiones, fidem mereantur; neqve enim Saxo de rerum Danicarum hiatu vel verbulum hic habet, ſed Reges iſtos continuo ordine regnaſſe innuit. Qvod autem dicta relatio à temporum ratione adeo diſcrepat, id minus, credo, mirabitur is, qvi è diligenti *Saxonis* lectione deprehendet, plura iſtiusmodi in illius opere inveniri, qvæ accuratius examinata ſecum nonſatis conveniunt. Sed de Snione hic diſſerendi finis erit; qvem nos eò magis ex Daniæ Regum albo expungendum eſſe ſtatuimus, qvo minus in eorum ſerie aliqvid hic deſideramus.

Snione à ſceptris Danicis remoto, de Biorno & Haraldo, qvos poſt eum ſucceſſivo ordine regnaſſe Saxo ait, parum ſolliciti ſumus; qvippe qvorum ſola nomina, ſine ullâ benè vel ſecus geſtarum rerum memoriâ extant. *Si qvis eos in Ducum vel heröum ordinem redigere voluerit, nos non obnitemur: at locum iis inter Daniæ Reges dare, per Sigurdi Hringi, potentis monarchæ, præſentiam non licet.*

Seqvitur apud Saxonem Gormo, naturalium, ut ille ait, &, ſi Diis placet, Theologicarum rerum diligens ſcrutator. Illius tota hiſtoria binis navigationibus abſolvitur, qvarum priorem ipſe, ductu Thorkilli cujusdam, ad Geruthum, ingentis magnitudinis gigantem, in ſeptentrionis remotiſſima ſuſcepiſſe perhibetur; alteram dictus Thorkillus Gormonis juſſu peregiſſe dicitur, ad inveſtigandum Ugarthilocum, magnæ apud dictum Regem

gem exiſtimationis Deum. Pericula, qvæ in navigationibus hiſce occurriſſe dicuntur, varias monſtrorum formas, & mille dæmonum inſultus referre piget. Adeo enim illæ rerum circumſtantiæ fabuloſæ ſunt, ut non ſatis mirari qveam, Saxonem virum alias doctum, tam abſurdas relationes operi ſuo innectere voluiſſe. Et certè nihil niſi Poëtarum fabulas nobis ſcriptor iſte hìc exhibet. Legantur *Eddæ* Mythologiæ XXXVIII. & tres ſeqventes, de Thoris & Utgardalokii certaminibus; *item* LVII. qvæ de Thoris ad Geirraudum itinere agit. *Thylenſes* (qvo nomine Saxo hìc, uti aliàs, Islandos vocat) hoc tempore in rerum naturâ non extitere, inſulâ eorum incultâ adhuc jacente, qvemadmodum nuper dictum eſt. Exeat igitur Danicorum collegio Regum Gormo, cujus hiſtoria in totum fabuloſa eſt, & nomen ab inſeqventium Gormorum aliqvo deſumtum, fortè illo, qvi Stulti cognomen geſſit, & Knutum Expoſititium adoptavit; de qvo inferius plura dicentur.

Poſt Gormonem Gotricum filium regnaſſe Saxo tradit, qvem & Godefridum alio nomine appellatum eſſe, ac cum Carolo Magno Francorum Rege inimicitias exercuiſſe perhibet: mirâ perſonarum, nominum, geſtorum, temporum, ditionumqve confuſione. Gotrici hiſtoria extat, à noſtratibus conſcripta, ac Upſaliæ in Sveciâ cum Clariſſ. Verelii Notis anno MDCLXIIII. edita; ubi ea, qvæ Saxo de Gotrici in Reſum (qvem *Thylenſem* ſeu Islandum vocat, errore è ſuperioribus manifeſto) liberalitate habet, eodem ferè modo occurrunt. Fuit autem Gotricus ille, non Daniæ, ſed Veſtro-Gothiæ Rex, aut verius Regulus, Carolo Magno ſeculis aliqvot antiqvior,

[...]er, uti ex *memoratæ* hiſtoriæ contextu liqvet. Cum Gotrico *illo* nihil commune habet Godefridus Daniæ Rex, memorati Caroli hoſtis. Sed neqve is ad hæc tempora rectè à Saxone refertur, qvippe qvi circa annum Chriſti DCCC. vixit, ac itaqve Ragnare Lodbroche tempore inferior erat, uti ex ſeqventibus manifeſtum fiet.

Gotrico vel Godefrido Olavum filium ſucceſſiſſe Saxo perhibet; atqve pòſt eum ad ſceptra Danica Hemmingum perveniſſe. Verum ex Francorum indubitatæ veritatis ſcriptoribus, eosqve ſecuto *Adamo Bremenſe* conſtat, Godefrido immediatè ſucceſſiſſe Hemmingum; qvâ ratione Olavus hìc excluditur. Ceterum qvemadmodum Godefridus infra Ragnarem Lodbrochem collocandus eſt, ita ſucceſſori illius Hemmingo inferior adhuc locus debetur. Hemmingum cum Cæſare Ludovico (puta Pio, Caroli Magni filio) pacem iniiſſe Saxo ſcribit; qvam non inter Hemmingum & Ludovicum, ſed inter eum & Carolum Magnum concluſam eſſe ex melioris *notæ* ſcriptoribus certum eſt. Et ſanè, res iſtas, qvæ hujus ævi Danorum Regibus cum Imperatoribus Francicis fuere, parùm concinnè Saxo tractat, ubi Godefridum Carolo Magno terrorem incuſſiſſe primò memorat, deinde Olavi Godefrido, ut vult, geniti ſucceſſorem Hemmingum pacem cum Cæſare Ludovico compoſuiſſe ait, & tandem Gótrici, qvi ei cum Godefrido idem eſt, pronepotem Ragnarem, poſt magnas res geſtas, filiorum jamtum adultorum auxilio prædictum Imperatorem Carolum, imperii ſui finibus immorantem, profligaſſe ſcribit; qvæ qvomodo cohæreant, nemo non videre poteſt.

Hactenus Reges illos, qvos à pugnâ Bravallenſi & Ringonis, qvi Haraldum Hilditannem illâ vicit, tempore, usqve ad Syvardum Ringum, Ragnaris Lodbrochis patrem, in Dania rerum potitos eſſe Saxo perhibet, examinavimus, ſimulqve monſtravimus, nullos eorum ad hæc tempora pertinere, imò pauciſſimos ex iis inter Daniæ Reges rectè numerari. His itaqve loco motis Ringonem Haraldi Hilditannis victorem, qvem pro genuino Daniæ Rege ſuperius agnovimus, immediate excipit Syvardus Ringus, Ragnaris Lodbrochis genitor; idqve rectè, cum bini hi Ringones vel Ringi unum eundemqve hominem conſtituere debeant: Sigurdum nempe Hringum, qvi uti ſuperius dictum eſt, poſt cæſum prælio Bravallenſi Haraldum Hilditannem Daniæ Rex factus eſt, & ex Alfhilde Gandalfi filiâ Ragnarem Lodbrochem genuit, qvi, Aslaugem, Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis Budlinæ filiam, uxorem poſtea duxit, & Daniæ regni habenas glorioſè diu moderatus eſt.

CAPUT IX.

Qvo dictorum nonnulla illuſtrantur, objectionesqve qvæ in contrarium adferri poſſunt examinantur.

Ex iis, qvæ de Sigurdo Hringo, Sigurdo Fafnericidâ, Brynhilde Budlinâ, Gunnare & Hognio, Giukungis, ſororeqve illorum Gudrunâ Giukii filiâ, proximo Capite diximus, ſatis apparet, omnes illos eodem tempore vixiſſe. Nos libri hujus Capite II. Sigurdi Hringi, filiiqve ejus Ragnaris (qvi Sigurdi Fafnericidæ filiam Aslaugem in matrimonio habuit) ætatem in

ſeculum à nato Chriſto VIII. retulimus, unde prædictum Faſnericidam, Brynhildem, ac Giucungos (i.e. Gunnarem & Hognium Giukii filios) iisdem temporibus vixiſſe ſtatuendum erit. Nec Jormunrecus, ſi vera ſunt, qvæ ex *Ragnaris Lodbrochis hiſtoriâ* de eo nuper attulimus, ſupra hæc tempora exaltari poteſt. Etenim Svanhildis, qvam is ſibi deponſatam necari curavit, filia fuiſſe dicitur ejusdem Sigurdi Faſnericidæ, ſororqve, ſed natu minor, Aslaugis, qvam in tenerrimâ adhuc ætate conſtitutam Ragnar Lodbroch ſecundis ſibi nuptiis ſociavit; qvâ ratione, illa qvæ circa Svanhildem & Jormunrecum acta eſſe perhibentur, regnante in Daniâ Ragnare, imò haut exiguo tempore rerum potito, accidiſſe oportet. Ceterùm ſunt nonnulla, qvæ hìc contra calculum noſtrum & prædictorum hominum ſynchroniſmum adferri poſunt. Et primò qvod Jormunrecum attinet, ingentem ſcrupulum movet *Jornandes*, qvi Rer. Getic: Capite XXIIII. refert Ermanaricum Oſtro-Gothorum Regem mulierem qvandam, *Sanielh* nomine, ex gente Roxolanorum, pro mariti fraudulento diſceſſu, eqvis ferocibus alligari, ac ea ratione divelli feciſſe, fratresqve ejus *Sarum* & *Ammium* in illius rei vindictam Ermanaricum adortos eum graviter vulneraſſe.

Hìc ſanè Jornandes eandem cum noſtris hiſtoriam referre videtur: nam *Ermanaricus* & *Jormunrecus* (Saxo *Jarmericum* vocat) eadem planè ſunt nomina; *Sanielh* à *Svanildis* vocabulo parùm differt, nec magis *Sarus* à *Saurlii*, vel *Ammius* ab *Hamderis* nominibus abludunt; ſupplicii præterea genus idem fere Jornandi ac noſtris memoratur; & fratres ſororis necem in Rege ultos utriqve referunt.

runt. Itaqve ſi Svanhildis illa, à Jormunreco vel Ermanarico enecata, *Sigurdi Faſnericidæ filia fuit*, illius ætas non in ſeculum VIII. uti nuper diximus, ſed Qvartum incidit; refert enim Jornandes Ermanaricum ex vulnere per Sarum & Ammium accepto corporis ægritudinem contraxiſſe, cujus imbecillitatis occaſione *moti* Hunni in Oſtrogothos irruptionem fecerint, ipſe verò Ermanaricus tam vulneris doloribus qvam Hunnorum incurſionibus mox ſuccubuerit, vitæqve finem fecerit, anno ætatis ſuæ centeſimo decimo; qvod circa annum Chriſti CCCLXXVI. accidiſſe ex *Oroſio* diſcimus, qvi dictam Hunnorum in Gothos expeditionem anno Valentis Imperatoris XIII. (id eſt Chriſti CCCLXXVI.) contigiſſe ſcribit.

Sed & plura ſunt, qvæ Sigurdum Faſnericidam ſeculo Octavo antiqviorem fuiſſe innuunt. Genealogiam, qvâ ab Odino Upſalenſi qvinqve tantum gradibus removetur, *Floanorum hiſtoria* exhibet. Verba illius hæc ſunt:
„ Sidan feck Halfdan Konungr Ragnhilldar dottur Si-
„ gurdar Konungs Hiartar. Aslaug var modir Sigurdar
„ Hiartar, dottir Sigurdar Orms i Auga, Ragnars ſonar
„ Lodbrokar. Modir Sigurdar Orms i Auga var Aslaug
„ dottir Sigurdar Fafnisbana, Sigmundar ſonar, Vaulſungs
„ ſonár, Rera ſonar, Sigars ſonar, Odins ſonar er red fyrir
„ Asgardi. Modir Aslaugar var Brynhilldr Budladottir.
„ *h. e.* poſtea (*i. e. poſt prioris uxoris obitum*) Halfdanus Rex
„ (*Niger, Haraldi Pulchricomi pater*) in matrimonium ac-
„ cepit Ragnhildem filiam Sigurdi Cervi Regis. Mater
„ Sigurdi Cervi erat Aslaugis, filia Sigurdi Angviocu-
„ li, filii Ragnaris Lodbrochis. Sigurdi Angvioculi

ma-

mater erat Aslaugis, filia Sigurdi Faſnericidæ, filii „
Sigmundi, filii Vaulſungi, filii Rerii, filii Sigaris, filii „
Odini Asgardiæ Domini. Aslaugis mater erat Brynhil- „
dis Budlii filia. „

Vixit ſeculo Sexto, Solvio Sveciæ Regi (de qvo libri hujus Caput II. Pag. 237. videatur) ſynchronus, Hrocus Niger, cujus carmina in *Halfi Regis vitâ* adhuc leguntur. Illis Hrocus Domini ſui, memorati Halfi, ejusqve militum laudes prolixè canit, ac inter alia ſic inqvit:

Einn viſſa ek
iafnſniallan gram
Sigurd Konung
at ſolum Giuka. *h. e.*

Unicum novi Halfi militibus *virtute parem Regem, Sigurdum nempe regem in palatiis Giukii.* Sigurdum Faſnericidam hic indigitari indubium eſt, ut ea ratione Hroco antiqvior fuiſſe debeat.

Volundi, Aulrunæ Kiaris Vallandiæ Regis filiæ mariti, mentionem facit Oda qvædam, libro, qvem *Sæmundi Eddam* vulgò vocamus, comprehenſa, ac *Volundarqvida* dicta. Hunc ut ibi dicitur, Nidudus, Nericiæ Svecicæ Rex, (*Theodorici de Berna vita* Nidungum vocat, Jutiæqve Regem facit) inventâ inter res ejus magnâ annulorum aureorum multitudine, compedibus impediri fecit, ac de ſurrepto ſibi auro cum illo expoſtulavit. Verba, qvibus ad Volundum loqvens introducitur, hæc ſunt:

Kalladi nu Nidudr
Niára drottinn,
hvar gaztu Volundr
viſi Alfa
vara aura

 i Ulf-

i Ulfdolom.
Gull var þar eigi
a grana leido,
fiarri hugda ec vort land
fiollom Rinar. *h. e.*

Qvæſivit tunc Nidudus, Nericiorum dominus: qvomodo, tu Volunde, Alforum ſapientiſſime, metallum noſtrum Ulfdalis nactus es? Non ibi in Granii via aurum jacuit, & noſtram regionem à Rheni montibus remotam putavi. Nil certius eſt, qvam ſermonem hic eſſe de auro illo, qvod Sigurdus Fafnericida, occiſo ſerpente Fafnere, nactus eſſe, & Granio, inſignis præſtantiæ eqvo, avexiſſe in *Eddâ* & *Ragnaris Lodbrochis vita* perhibetur. At Aulruna, qvantum ex veteribus genealogiis colligi poteſt, ante ſeculum VIII. vixit. Stemma illius *Origines Norveg.* tale exhibent.

Nor, Norvegiæ Eponymus.
Raumus, Raumarikiæ eponymus.
Hringus, Hringarikiæ eponymus.
Halfdanus Grandævus.
Audius Vallandiæ (Galliæ partis) Rex, cujus poſteri Audlingi dicti ſunt.
Frodius.
Kaar (*rectius* Kiar).
Aulruna.

Tandem *Theodorici de Berna vita* in præfatione, Sigurdum Fafnericidam, ceterosqve, qvos memorat ei coævos heroas brevi poſt Conſtantini Magni tempora floruiſſe diſertis verbis ait.

Giucungorum nomen invariatum ferè occurrit apud *Paulum Diaconum* Rer. Longobard. lib. I. Cap. XIIII. ubi ita ſcribit: *Mortuis interea Ibor & Ayone Ducibus, qvi Longobar-*

gobar-

gobardos à Scandinavia eduxerant, & usqve ad hæc tempora rexerant, nolentes jam ultra Longobardi eſſe ſub Ducibus, regem ſibi ad ceterarum inſtar gentium ſtatuerunt. Regnavit igitur ſuper eos primus Agelmundus, filius Ayonis, ex proſapia ducens originem Gungincorum, *qvæ apud eos generoſior habebatur.* Noſtri nullos Giucungos agnoſcunt priores Gunnare & Hognio Giukii filiis, qvorum ſororem Gudrunam Sigurdus Faſnericida in matrimonio habuit: qvos antiqviſſimis temporibus vixiſſe oportet, ſi ab iis *Gungincorum* nomen in poſteros derivatum ſit; nam Agelmundus, qvem ex Gungincorum proſapia fuiſſe Paulus hic dicit, regnare cœpit anno Chriſti CCCLXXXIX. velut ex *Proſperi Aqvitanici* Chronico *Calviſius* docet.

Nunc ad objectiones haſce reſpondebimus, ordine retrogrado procedentes. *Giucungorum* vocabulum an cum *Gungincorum* nomine idem ſit, nos in medio relinqvimus. Et ſi vel maximè idem eſſe ſtatuamus, id noſtro calculo parum officit. Etenim Ginguncorum ſtirps Giukium illum, unde noſtrates Giucungos derivant, aliqvot ſeculis præcedere potuit, licet id in hiſtoriis omiſſum ſit; unde ſcriptoribus noſtris hallucinandi occaſio forte data eſt, familiæ originem ad poſteriorem huncce Giukium referentium, qvæ longe antiqviori heroi, illi cognomini, debebatur. Et plures in eadem familia Giukios fuiſſe apparet ex prologo in Odam *Godrunarqvida* inſcriptam, qvæ Sæmundi Eddâ continetur, ubi prædicti Hognii, Giucungorum unius, filius Giukius, avi nomen referens commemoratur. Sic in cognatâ Giucungis Budlungorum gente, qvam libri hujus Cap. III. pag. 251, exhibuimus, bini occurrunt Budlii: unus Brynhil-

hildis & Atlii pater, Giukio huic noſtro coævus, & alter qvi illius abavus erat. Qvod ſi cui hæc reſponſio minus probetur, dici poterit, Gungincorum & Giucungorum nomina vocibus qvidem concordare, ſed diverſis gentibus competere, non ſecus ac in *Audlingorum* & *Adelingorum* familiis factum videtur, qvarum priorem nos ex *Originibus Norvegiæ* nuper attulimus, poſteriorem (*Adelingorum* nempe) *Paulus Diaconus* lib. I. Cap. XXI. eumqve, ut apparet, ſecutus *Gotfridus Viterbienſis* Chronic. Part. XVII. exhibent (in nonnullis Pauli editionibus *Lithingorum* perperam vocatur) qvæ bina familiarum nomina, licet ſono ſimillima, uni eidemqve genti nemo tutò applicabit. Sic binas *Skioldungorum* familias à ſe invicem diverſas, antiqvitates ſuppeditant, nobis libri hujus Cap. III. pag. 245. ſuperius memoratas. Harum prior vetuſtiſſimorum Daniæ Regum eſt, & à Skioldo Odini filio deſcendit: poſterior à Skioldo Halfdani Grandævi nepote derivatur, qvam *Origines Norveg.* ad Haraldi uſqve Pulchricomi tempora deducunt.

Qvæ de Sigurdi Fafnericidæ ætate in *Theodorici Bernenſis* vitâ habentur, nos nihil feriunt. Nam totum iſtud opus fabulam magis qvam hiſtoriam ſapit, ineptis relationibus ac antichroniſmis paſſim conſtans.

Nec gravioris fortè ponderis argumentum eſt, qvod contra Sigurdi ætatem ex *Volundi Oda* attulimus. Etenim Odam illam fabuloſâ relatione maximè conſtare cuivis legenti manifeſtum eſſe poteſt. Præterea auctorem illius ignoramus; qvem tamen res, ante ſuum ævum, ut voluit, geſtas, verbaqve eorum qvi, ſecundum eum, rebus illis interfuere, carminibus ſuis illigaſſe apparet. Unde

ſuſpi-

ſuſpicari poſſumus, dictum auctorem, Sigurdo Faſnericidâ longè juniorem, illa de Sigurdo, ad majorem ſermonis ornatum, de ſuo addidiſſe, Nidudoqve applicuiſſe. Cujusmodi ornamenta ſcriptorum plurimi adhibere ſolent, iisqve, qvos loqventes introducunt, verba adſcribere, non qvæ dixiſſe eos noverunt, ſed qvæ oportunè dicere potuiſſe illis viſi ſunt. Tandem certum non eſt, Aulrunam illam, de qvâ Volundi Oda agit, eandem eſſe cum illâ, cujus ſtemma nuper attulimus. Neqve enim in *Originibus Norvegicis* dicitur illam Volundo nupſiſſe. Et potuerunt qvidem Kiaris & Aulrunæ nomina in Audlingorum familiâ ultra Sigurdi Faſnericidæ tempora continuari, atqve à majoribus ad poſteros derivari, licet eos qvi poſt Aulrunam Originibus Norvegiæ memoratam vixerunt annotare vetuſtas neglexerit. Ita enim in Giucungorum & Budlungorum gentibus nepotes avorum nominibus inſigniti occurrunt, uti antea dictum eſt; et vel hodie plurimi majorum ſuorum nomina gerunt.

Majorem difficultatem Hroki Nigri carmen parit. Sed metuo ne interpolatio aliqva hìc intervenerit, cum certum ſit, Halfi Regis hiſtoriæ auctorem, qvi nobis carmen iſtud ſervavit, Hroco ſeculis aliqvot juniorem eſſe. Unde id ſolum chronologiam noſtram evertere non poſſe arbitramur.

Genealogia, qvam Floanorum hiſtoria exhibet, ſe ipſam evertit, ac itaqve poſitioni noſtræ nihil incommodi adfert. Haraldus Pulchricomus ibi nono gradu ab Odino diſtat; qvod ſi cum aliis illius genealogiis libri hujus Capite I. adductis, conferatur, ingentem hujusce defectum abunde monſtrat.

Ad Jormunrecum qvod attinet, diffitendum non

 eſt

eſt multa in Jornandis & noſtrorum relationibus ſimili deprehendi; ſed & ſunt ibi viciſſim nonnulla, qvæ ſecum invicem parum conveniunt: veluti qvod mulier illa Roxolanâ gente oriunda Jornandi, nobis verò in Germania nata eſſe dicitur. Jornandes ob diſceſſum à marito enecatam innuit; noſtri amoris in Jormunreki filium ſuſpectam periiſſe tradunt. Præterea noſtri Jormunrecum improlem obiiſſe volunt, cum Ermanarico Hunimundum filium ſupervixiſſe Jornandes Cap. XLVIII. aſſerat. Interea mens eò inclinat, ut noſtratium Jormunrecum, non alium eſſe credamus, qvam Jornandis Ermanaricum, ac itaqve ea, qvæ noſtri de Svanhildis genere (nempe qvod Sigurdi Faſnericidæ & Gudrunæ Giukinæ filia, Aſlaugisqve, Ragnaris Lodbrochis uxoris, ſoror fuerit) referunt, falſa eſſe: imò iſtas rerum circumſtantias pro effictis vel ſaltem incertis habendas, qvæ cum Jornandis relatione hìc non conveniunt, cum is illas, ſi veræ ſint, magis qvam alia de Ermanarico ignorare vix potuerit, & deſcribere noluiſſe, à veriſimili abludat: noſtri autem narrationes ſuas non videantur hauriri re potuiſſe ex aliqvo auctore, cujus fides Jornandi præponderare debeat. Qvod ſi qvis omninò credere velit Ermanarici vel Jormunreki uxorem Svanhildem (Sanielh) Sigurdi Faſnericidæ filiam fuiſſe, ei bini Sigurdi Faſnericidæ ſtatuendi ſunt, unus qvi ſeculo VIII. vixerit, Sigurdo Hringo Daniæ Regi ſynchronus, & alter qvi Ermanarico coævus fuerit, qvartoqve vixerit ſeculo; id qvod prædicto Hroki Nigri carmini ſuppetias ferre poſſet, niſi *Giukii* ibidem mentio fieret. Vix enim fidem meretur, binos Faſnericidas, qvatuor circiter ſeculis abinvicem

diſtan-

diſtantes, ſoceros habuiſſe, qvorum uterqve Giukii nomen geſſerit: licet ſimile qvid apud *Voſſium* de Orig. & Progreſſ. Idololatriæ lib. I. Cap. XXVIII. habeatur, ubi in prima Ægypti Dynaſtiâ Menæ filius Athethis, & multis poſt ſeculis ejusdem nominis patris filius, uterqve genitoris in imperio ſucceſſor occurrunt. Giucungos autem, Gunnarem & Hognium, Sigurdo Hringo coævos fuiſſe, ac una cum ſororis marito Sigurdo Fafnericidâ contra eum pugnaſſe in *Nornagesti Vita* memoratur. Qvod ſi qvis ulterius Svanhildis ſororem Ragnari Lodbrochi nupſiſſe velit, iſtum Ragnarem Ermanarico coævum fuiſſe oportet, diverſumqve omninò ab illo, qvi Sigurdi Hringi filius fuit, & ex Aslauge Sigurdum Angvioculum illiusqve fratres ſuſcepit. Nos priores illos Sigurdum Fafnericidam & Ragnarem Lodbrochem admittere qvidem non audemus; interea ex diligenti hiſtoriarum noſtrarum lectione multos deprehendimus, qvi diverſis temporibus viventes eadem ſimul nomina & cognomina geſſerunt; qvorum nonnullos hic annotabimus. *Audures Profundè Divites* binæ occurrunt, una Ivaris Vidfadmii filia, Haraldi Hilditannis Daniæ Regis mater: altera Ketillis Flatnefi (i. e. Simi) Hæbudarum Principis filia, inter primos Islandiæ incolas numeratur. Haurdaknuti in Dania duo regnarunt; prior, Sigurdi Angvioculi filius, Gormi Grandævi Daniæ Regis pater fuit: poſterior Knuto Magno genitus, cui Magnus Bonus, Norvegiæ Rex, in ſceptra Danica ſucceſſit. Geirſtada-Alfi, vel Alfi Geirſtadenſes, duo occurrunt, duo itidem Halfdani Nigri; priores Haraldi Puchricomi pater & patruus fuere; poſteriores dictus Haraldus progenuit.

genuit. Hræreco Slaungvanbaugio natus eſt Haraldus Hilditann, qvi rurſus alterum Hrærecum Slaungvanbaugium genuit, *Originum Island. libro* in auſtralis qvadrantis deſcriptione memoratum. Vedra-Grimi ſeu Grimi Ventoſi duo extant; alter Biorni Bunæ pater, *Ketillis* Flatneſi, ſeu Simi, avus: alter pater *Kolli*, *qvi poſtea* Dala-Kollus dictus eſt, ac *inter primos Islandiæ cultores* gentisqve illius *conditores præcipuus numeratur.* Ketillem Thrymum, qvarto à Nore *gradu deſcendentem*, *Origines Norvegiæ* exhibent; alter ei cognominis inter primos orientalis Islandiæ incolas cernitur. Thorleifi cognomento Spakii, ſeu Sapientes, in unâ familia duo extitere: prior Haurda-Karii filius, tempore Halfdani Nigri & Haraldi Pulchricomi, poſterior Haconi Diviti, Hladenſi Comiti, Olafo Tryggvino & Eirico Comiti coævus vixit. Sigurdum Biodaskallium *Originum Islandiæ liber* exhibet, cujus pater Eiricus Steinare de Canibus, Duce Anglico, & Olufâ Ragnaris Lodbrochis Daniæ Regis filiâ natus eſt: alter *Sigurdus Biodaskallius* filius erat Augmundi *Akraſpilleris*, ſeu *Satorum Corruptoris*, Thoreris Haleggi (*i.e. Altipedis*) nepos, *Anisqve* Bogſveigeris (*i. e.* arcuum tenſoris) pronepos. Haraldi Grænskii duo fuerunt; prior Haraldi Pulchricomi proavus, pater nempe Aſæ Imperioſæ, qvæ Halfdanum Nigrum, Pulchricomi patrem, peperit: poſterior Sancti Olafi, Norvegiæ Regis pater. Gudrodi Liomii (i.e. Splendores) duo itidem occurrunt; unus Haraldi Pulchricomi filius, qvi ad ſyrtes Jadrenſes in Norvegia naufragio periit: alter ejusdem Pulchricomi avus, alio cognomine Venator dictus, in Appendice autem ad *Ori-*

ginum Island. librum Liomii cognomento inſignitus. Biornos Ferrei lateris binos habemus; unum Ragnare Lodbroche genitum, alterum Haraldi Keſiæ filium, Eirici Boni Daniæ Regis nepotem, *Knytlingorum hiſtoriæ* memoratum. Thorolfi Moſtrarskeggii, vel Moſtrobarbi, bini extant; alter Islandiæ primitus occupatæ incola, alter miles Haraldi Imperioſi Norvegiæ Regis in pugna cum Sveno Eſtridio in Hallandia ad Nizam fluvium conſertâ. Thorgilſes Giallandii duo occurrunt, alter Audunis Skokulis comes, alter Thorolfi Kveldulfi filii œconomus, unâ cum illo occiſus. Gunnlaugus Ormstunga Illugii Nigri, Gilsbackenſis in Islandia prædii incolæ, avus maternus erat: alter Gunnlaugus Ormstunga eodem Illugio genitus eſt, cujus vita â noſtratibus in literas relata eſt. Skallagrimi Kveldulfi filii, inſignis athletæ, Haraldoqve Pulchricomo inimiciſſimi, nomen pariter & cognomen retulit Skallagrimus, Audunis cujusdam Islandi filius, qvi anno Chriſti MCCCLIII. in fata conceſſit. Plura adducere exempla ſuperfluum erit; Satis enim hinc apparet veteres liberis ſuis tam majorum ſuorum, qvam aliorum inſignium virorum & nomina & cognomina haut infreqventer indidiſſe. Sed nunc ad Ragnarem Lodbrochem nos convertamus.

CAPUT X.

De Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi filio.

Sigurdo Hringo, Daniæ Regi, Ragnarem Lodbrochem in regno ſucceſſiſſe noſtrates conſtantèr tradunt,

dunt, & Saxonem hac in re conſentientem ſibi habent. Ejus vita extat, à noſtratibus vernaculo idiomate conſcripta, comprehenſaqve libro, qvem nonnulli *Volſungorum hiſtoriam* appellant, nos vero ſub *Ragnaris Lodbrochis Vitæ* nomine ſæpius in hoc noſtro opere allegamus. Summa rerum, qvæ de eo inibi referuntur, hæc eſt.

Sigurdi Hringi, Daniæ Regis, qvi Haraldum Hilditannem in campis Bravallinis acie vicit, filius fuit Ragnar; qvi cum per ætatem liceret, piraticis exercitiis incumbere cœpit. Iisdem temporibus Gothiam Herraudus Comes rexit, cui filia erat nomine Thora, cognomine Borgarhiortis dicta. Ei pater Herraudus aliqvando limacem dederat, qvi pedetentim creſcens, ad tantam magnitudinem tandem pervenit, ut univerſum virginis palatium circumflexu ſuo ambiret, integrumqve bovem unâ cœna devoraret. Thorâ itaqve hoc monſtro circumdatâ pater divulgari fecit, ſe ei illam in matrimonium daturum, qvi horrendum iſtum palatii cuſtodem amoveret. Ragnar, hoc audito, villoſas ſibi veſtes fieri curavit, qvas pice illitas ad ſolem deinde indurari fecit. Hinc in Gothiam tranſiens, dicto amictu veſtitus ſerpenti ſe obtulit, eumqve interfecit; qvo facinore virginis nuptias Lodbrochisqve (id eſt hirſutæ braccæ) cognomen promeruit. Duos ex Thorâ Ragnar filios ſuſcepit, Eiricum & Agnarem, (*Originum Islandiæ liber* Olufam filiam adjicit). Poſtea dictâ uxore orbatus, dum in remedium luctus ad piraticam familiare ſibi olim exercitium rediret, claſſem fortè ſupra promontorium Norvegiæ Lidandisneſiam (hodie *Lindisnes*) propè Spangareidam in ſtatione collocavit: ubi in inuſitatæ for-

mæ virginem, Kracam dictam, ſed extremæ paupertatis, capris ovibusqve paſcendis adhibitam incidit; qvam deinde domum devexit, ſibiqve conjugio ſociavit. Exinde, poſtqvam ex illa filios Ivarem (qvi qvod oſſium vices cartilago continua per univerſam corporis compagem ſuppleret, Exos dictus eſt) Biornum Ferrei lateris, Hvitſercum & Rognvaldum progeneraſſet, eam tanqvam ob generis vilitatem Regiis amplexibus indignam, faſtidire cœpit. Nec multum abfuit, qvin repudiatâ illâ *Eyſteini Sveciæ* Regis filiam Ingibiorgem uxorem duxiſſet; cum illa genus ſuum, qvod unà cum genuino nomine certo conſilio eatenus celaverat, proderet: nempe ſe Regio ſtemmate ſatam eſſe, patre ſcilicet Sigurdo Faſnericidâ, celeberrimo nuper heröe, matre Brynhilde Budlinâ, Saxoniæ Regis filiâ; veroqve ſe nomine Aslaugem vocari. Addidit ſerpentis imaginem in oculis partus qvem utero ferret (gravida enim erat) apparituram, generis evidens argumentum, ſtemmatisqve à Sigurdo, Faſneris ſerpentis occiſore, derivati indubium *teſtimonium. Mox filium* ſerpentis imaginem oculis circumferentem enixa dictis fidem fecit. Sigurdi nomen pueroinditum, qvi poſtea mortuo patre Daniam inſularem, Scaniam & Hallandiam hæreditate obtinuit, atqve ab oculorum colore Angvioculus vulgo cognominatur. Itaqve Ragnar præſenti conjuge, cujus nobilitas illi nunc perſpecta fuit, contentus, qvæ de matrimonio cum Ingiborge Svecicâ ineundo propoſuerat, animo penitus excuſſit; unde Eyſteinus ſe filiamqve contemni arbitratus, irâ in Ragnarem exarſit. Interea Ragnaris filii, militaris gloriæ avidi, piraticam exercere cœperunt. As-

lau-

laugis filii unà ibant, excepto Sigurdo, qvi adhuc puer apud matrem domi manſit. Sed prima eorum expeditio Rognvaldo fatalis fuit, qvi in expugnatione urbis cujusdam interfectus eſt. Thoræ filii Eyſteino Sveciæ Regi, patri nunc inimico, bellum intulerunt, qvo Agnar occubuit, Eiricus vero captus ac poſtea Eyſteini juſſu occiſus eſt. Mox ad eorum cædem ulciſcendam, Ivar ejusqve fratres uterini in Sveciam irruunt, Eyſteinumqve Regem, cum exercitu ſibi occurrentem, occidunt. Hinc in Germaniam arma vertunt, eamqve vicendo latè percurſantes obvia qvævis occupant. Tandem Wiſilsburgum veniunt (Helvetiæ urbs eſt, ad Murtanum lacum ſita; veteres Aventicum dixere) cujus incolæ, ſtrenuè ſeſe diu defendebant. Ad ultimum vero Lodbrochidæ (Ragnaris filios ſic nominare libet) urbe potiuntur, eamqve, civibus trucidatis, ſolo æqvant. Inde ulterius progreſſi Lunam urbem occupant, qvam in Germania ſitam hiſtoriæ hujus auctor crediſſe videtur: nos Hetruriæ oppidum ad Macræ fluvii oſtium ſitum indigitari arbitramur. Heic, dum Romam recto itinere pergere atqve ex nobilis urbis expugnatione gloriam acqvirere meditabantur, ſenex qvidam eos fortè acceſſit, qvi varias ſeſe terras peragraſſe ac itaqve locorum viarumqve non leviter gnarum eſſe jactavit. Hunc Lodbrochidæ interrogarunt, qvantum itineris Romam adhuc reſtaret? cumqve is urbem Lunâ longiſſimè diſtare innueret, hi viarum ignari tam laborioſo, ut exiſtimarunt, itineri ſe committere nolentes conſilium mutarunt, & ad ea, qvæ à tergo fortè vincenda reſtabant, ſe converterunt; tandemqve victoriæ gloriâ pleni domum redierunt.

runt. Interea Ragnar, filiorum famâ ad æmulationem accenſus, duas ingentis magnitudinis naves fieri curavit, iisqve, ut filiorum gloriam tranſcenderet, Angliam invadere, totamqve non majoribus copiis ſibi ſubjicere paravit. Aslaug cognito illius propoſito conſilium iſtud valde diſſvaſit, pulvinos maris vadoſaqve brevia littoribus Anglicanis prætexta, tantæ molis navigiis periculoſa commemorans, rectiusqve facturum monuit, ſi ſparſo per longarum navium copias exercitu fortunam maris experiretur: neqve enim minores impenſas in tam machinoſa navigia, qvam juſtas longarum claſſes reqviri. Ragnar expeditionem hanc verè glorioſam fore regeſſit; nec enim exemplo notum eſſe, tam vaſtum validumqve regnum exiguis adeò copiis antea ſuperatum unqvam eſſe. Cum itaqve dimoveri â ſententia neqviret, Aslaug ei interulam dedit ferro inſecabilem. Mox binæ iſtæ naves in altum deducuntur, Angliæqve Ragnar advehitur; ſed infeliciter. Etenim navis utraqve brevibus illiſa periit; milites tamen cum armis ſuis incolumes evaſerunt, qvibus mox Ragnar caſtella Angliæ vicosqve invadit. Ella tunc regio titulo poteſtateqve Angliæ præfuit, qvi collecto mox exercitu, tam numeroſo, ut copias Ragnaris longe ſuperaret, hoſti extraneo obviam proceſſit. Mox pugna conſeritur; cui Ragnar caſſide tantum interulâque, dono conjugis, loco loricæ munitus ſe immiſcuit, ac ſtrenue procedens qvocunqve ſe vertebat, magnam ſtragem fecit; ipſe adverſus omnes ictus obfirmatus. Ad ultimum copiis funditus deletis, orbe clypeorum admoto, ictuum inferendorum oportunitate fruſtratus capitur; cumqve qvis eſſe

profiteri nollet, in carcerem viperis conſperſum detruditur, ſubornato, qvi è latebris ſingula circa illum notaret, Regiqve nunciaret. Cum autem magici illius veſtimenti genio abſterriti colubri ipſum non adorirentur, mandante Rege nudatur, qvo facto ii pectus & inteſtina ſtrenue dilaniarunt. Notata vox eſt, qvam primò ſolutâ, mox etiam metro incluſâ oratione extulit, qvâ grunnituros porcellos dixit, ſi ſtatum verris cognoſcerent; addens ſe ſemel & qvinqvagies cum hoſte juſto *prælio* certaſſe, ac præter ſpem in hanc calamitatem incidiſſe. (Carmen illud exeqviale, qvod in fine vitæ ejus extat, atqve ad calcem Literaturæ Runicæ *Wormii* explicatum habetur, ipſum in illa coporis ſui lanienâ compoſuiſſe, ſunt qvi credant; qvod tamen fidem ſuperat. Et uxorem illius Aslaugem, qvæ & ipſa inter inſignes poetas numeratur, id pepegiſſe, vel ipſa inſcriptio docet: appellatur enim *Kraku mal*, de nomine qvo infimæ ſorti damnata olim geſſerat). Filii deinde, publicato per internuncios triſti parentis fato, ultionem accelerantes claſſem in Angliam dirigunt. Mox cum Ellâ Rege confligunt, marteqve inferiores, clade damnoqve tantum nobilitati domum revertunt. Solus Ivar in hoſtili terra remanſit, doloqve hoſtem aggreſſus, pacem cum eo fecit: in compenſationem paternæ cædis tantum arvi pactus, qvantum taurino poſſet circumdare tergo. Corio deinde emollito expanſoqve, ac in tenuiſſimas corrigias diſſecto, ingentem aream complexus, locum urbi delegit, qvam Londinum appellavit. Securitati autem Regis pro ſe juramento cavit, neqve arma ſe illi illaturum, nec inferentium partibus acceſſurum. Urbe deinde

ex-

exſtructâ, in intimam Regis gratiam admiſſionemqve ſe inſinuavit, ita ut non tantum conſiliis ſecretioribus, ſed etiam multis regiæ adminiſtrationis partibus admoveretur; qvas tanta dexteritate obivit, ut procerum omnium ſtudia, inprimis Regis affectum, in ſe converteret. Nam & profuſa largitione aliorum indigentiam ſublevavit, aliorum opes auxit, aliorum avaritiam irritavit, alios locupletavit, donec omnes ſibi obnoxios reddidiſſet. Hinc potentiores Anglorum clam ſollicitare cæpit, qvorum plures ſpoſponderunt, ſi vel ipſe, vel fratres ejus arma in Regem moverent, ſe nil auxilii Regi laturos. Deinde in Daniam ad fratres nuncios miſit, qvi eos monerent, adeſſe nunc tempus vindictæ de paterna cæde exeqvendæ idoneum. Illi cum claſſe militibusqve, totâ Dania Gothiaqve & ceteris regnis, qvibus præfuerant, excitis, qvam primum licuit, in Angliam tranſierunt. Qvo Ella audito copias colligere cæpit, ſed pauci admodum operam ſuam ad propulſandos hoſtes ei addixerunt, Ivaris pecuniâ corrupti. Ella itaqve Ivarem pacis ineundæ causâ ad fratres mittit, qvi ſponte in Regem exaſperatos magis adhuc accendit, atqve ad Ellam reverſus, non per ſe ſtetiſſe ait, qvominus pacis conditiones admiſerint, ferociores eſſe, qvam ut ſiſti ſe patiantur. Prælium itaqve committitur, qvo regis copiæ, numero longè inferiores, profligantur, ipſe Rex capitur, ſupplicioqve figuratæ in dorſo aqvilæ, Ivaris juſſu perimitur. Poſt mortem Ellæ Ivar Angliæ dominium invaſit, eamqve qvamdiu vixit imperio tenuit, morboque tandem deceſſit. Fratres illius Hvitſercus, Biornus & Sigurdus domum rediere, atqve deinde per varias terras arma circumferen-

ferentes, gloriam nominis ſui famamqve latè propagârunt. De Hvitſerco memoratur qvod aliqvando in orientem (Ruſſiam credo) provectus, confluxu multitudinis inferior vivus in hoſtium manus pervenerit, cædiqve deſtinatus tale ſibi mortis genus elegerit, ut ex capitibus humanis exſtructo rogo ipſe vivus imponeretur, qvod & impetravit. Sigurdo Angvioculo Haraldum Pulchricomum, primum Norvegiæ Monarcham, ortum eſſe auctor hicce dicit: cujus genealogiæ ſeriem nos libri hujus Cap. I. pag: 214. ſuperius poſuimus. Atq; hæc ſunt qvæ ex Ragnaris hiſtoriâ ſummatim hic excerpere viſum eſt.

Proximum locum merentur illa, qvæ de Ragnare *Saxo* libro IX. ſuppeditat, cujus relationis compendium hoc eſt: Gotricus Daniæ Rex, Caroli Magni hoſtis, duos nepotes reliqvit, Syvardum cogmento Ringum ex filiâ, Syvardo Norvegiæ Duci, alibi Regi, elocatâ, qvi Scaniæ Sialandiæqve præfuit; atqve ex altera prole, (filione an filiâ non additur) Ringonem Jutiæ Regem. Hi bello inter ſe confligentes ad internecionem dimicârunt, Ringone in acie, Syvardo ex vulneribus occumbente. Syvardo vivo Sialandi filium ejus Regnerum admodum puerum, Regis nomine cenſuerunt, qvi deinde, patre patriſqve conſobrino mortuis, totius Daniæ imperium adeptus eſt. Regnerus primò Fró Sveciæ Regem, qvi Syvardum, paternum illius avum, neci dederat, interfecit; mox Lathgertham, illuſtri inter Norvegos loco natam peritamqve bellandi fæminam, matrimonio ſibi junxit, ſuſceptoqve ex illâ filio Fridlevo triennium feriatus eſt. Interea Juti Scaniqve, deſperato Regneri reditu, defectionem moliti ſunt, qvos tamen ille

ille rediens mox iterum domuit; nec multò poſt Lathgerthæ conjugi repudium miſit. Sveciam hoc tempore Herothus Rex rexit, qvi repertos forte in venatione binos ſerpentes filiæ Thoræ enutriendos inconſultè dederat. Noxia enim iſta animalia non ſolum ad tantam voracitatem pervenere, ut integrum bovis cadaver qvotidie abſumerent, ſed & peſtilenti halitu vicinum aërem tandem infecerunt. Herothus itaqve facti pœnitentiâ ductus, potiturum filiâ, qvi peſtem amoveret, edixit. Regnerus hoc audito in Sveciam trajecit, ſumtis ſecum villoſis femoralibus laneoqve ſagulo. Anteqvam vero cum venenato hoſte congrederetur, veſtes aqvæ immerſit, geluqve (bruma erat) conſtringi fecit. Hinc Regiam armatus acceſſit; qvem ſerpentes protinus invaſere, virusqve in eum certatim evomuerunt, enecasſentqve, ni rigens gelu veſtis à vi veneni corpus protexiſſet. Tandem utroqve ſerpente occiſo, Herothus ei Thoram filiam dedit, atqve à villoſis illis braccis *Lothbrog* cognominavit. Regneri & Thoræ filii erant Rathbarthus, Dunvattus, Syvardus, Biornus, Agnerus & Ivarus. Succedente tempore Juti & Scani defectionem iterantes, Haraldum qvendam ſibi Regem præpoſuere, qvem Regnerus Norvegorum, & repudiatæ præſertim uxoris Lathgerthæ auxiliis fugavit. Eo prælio filius ejus Syvardus grave vulnus accepit, qvem Roſtarus qvidam ſanitati reſtituit, ac pupillas ejus pulvere aſperſit; unde in oculis ejus exortæ maculæ, vermiculorum ſpeciem referentes, *ſerpentini oculi* cognomen illi dedere. Interea Thora moritur. Regnerus ut contractam ex conjugis obitu animi ægritudinem diſpelleret, pirati-

raticis ſeſe exercitiis addixit. Primò Britanniam adortus Regem illius terræ Hamam (alias Hamonem) Hellæ nobiliſſimi juvenis patrem, occidit. Inde Scotiam, Petiam, Auſtralesqve inſulas (Hæbudas intellige) ſubegit, dictasqve terras, rectoribus vacuas, Syvardo & Rathbartho filiis regendas commiſit. Nec minus Norvegiam Orcadesqve Fridlevo filio ſuo parere coëgit. Inde Haraldum prædictum, cum Danorum nonnullis iterum rebellantem, denuò devicit, atqve in Germaniam fugere compulit. Supplicio deinde de perduellibus ſumto, Saxoniam, qvod Haraldo complicibusqve aſyli inſtar eſſet, vocatis in auxilium filiis, invaſit, Carolum (Francorum Regem, vulgò Magnum) iſtis in locis tunc morantem, in fugam egit, Saxonibusqve tributum impoſuit. Dehinc ad artes amatorias digreſſus, Svanlogam qvandam matrimonio junxit, atqve ex eâ Regnaldum, Witſercum & Ericum progenuit. Interea Herothus Sveciæ Rex moritur, poſt qvem Sorlus ſceptra invadit. Hoc comperto Regnerus, Biorno, Fridlevo ac Rathbartho filiis comitatus, in Sveciam cum exercitu tranſiit, occiſoqve Sorlo Biornum regno præfecit; qvi qvod è pugnâ incolumis evaſiſſet, *Ferrei Lateris* cognomen poſtea uſurpavit. Regnerus exinde ex obſcuri generis fæmina Ubbonem procreavit. Poſthæc expeditione in Helleſponticos (Livones forte intelliguntur) factâ, Regem eorum Dian, variis contuſum bellis perdomuit, atqve ad ultimum extinxit. Filios qvoqve ejus Dian & Daxon, Rutenorum Regis generos, qvi paternæ necis vindictam moliebantur, prælio devicit, Scythasqve Daxoni amicos eodem conflictu obtrivit, & Witſerco diti-

ones

ones iſtas regendas commiſit. Rutenorum Rex viribus ſuis diffiſus Regnerianorum armorum vim fugâ declinavit. Qvinqvennio circiter bellis hiſce inſumto, Regnerus in Biarmos, devictos nuper, ſed obſeqvio exire parantes, arma vertit. Qvi ad magicas converſi artes magnam exercitui illius cladem intulere; unde retrocedere coactus, Curorum Semborumqve regionem acceſſit, ibiqve exercitum parumper refecit. Mox Biarmos iterum aggreditur, qvorum Rex ſubitâ hoſtium irruptione territus ad Matullum Finnorum Regem perfugit. Ambo itaqve conjunctis viribus in Regnerum movent, qvi prælio ſecum congreſſos ſuperavit, Biarmorum Rege occiſo, Finnorum vero in fugam acto. Interea Ubbo Regneri filius Sveciam paterno obſeqvio ſubducerē ſibiqve aſſerere tentavit, ſed infelici niſu; mox enim à patre ſuperatus captusqve, ægrè tandem delicti veniam impetravit. Dum hæc aguntur, Daxon antememoratus, Witſercum, qvi patri illius Diani in Helleſpontico regno ſucceſſerat, (Sveciæ præfuiſſe Saxo hic dicit: ſed perperam, *uti* ex antecedentibus apparet; Livonia *forte, uti prius dictum, intelligi debet)* fraudulenter ſuperatum occidit, regnumqve illius occupavit. Hoc audito Regnerus claſſem paravit, qvâ in Ruſſiam transvectus, Daxonem invaſit protinusqve cepit; at mox annua tributa ſupplicitèr ſtipulantem, è cuſtodiâ dimiſit, patriæqve reddidit ac præfecit. Hinc claſſem iterum ingresſus, ſolutâqve Ruſſiæ orâ, Sveciam petiit, cui Ericum filium præfecit, *Ventoſi pilei* cognomine celebrem. Regnero his rebus occupato, filiisqve illius Syvardo & Fridlevo paterna caſtra ſeqventibus, Norvegi Scotiqve rebel-

bellandi occaſionem nacti, alios ſibi Reges ſumſere. Qvo comperto Regnerus primò in Norvegos expeditionem movit, iisqve Biornum filium, ſublato regni uſurpatore, rectorem præpoſuit. Deinde, Orcades inſulas adnavigans illas populatur. Hinc Scotiæ advectus, cum Muriale, Regis nomen ibi uſurpante, triduo pugnavit, eumqve tandem occidit; ſed viciſſim Dunvatum & Rathbarthum filios hìc amiſit. Inde in Daniam rediens Svanlogam uxorem mortuam deprehendit. Nec multo poſt ex Angliâ Ivarus filius ad eum venit, qvem regno illi præfectum Angli expulerant, aſcito in illius locum Hellâ, Hamæ (vel Hamonis) à Regnero olim occiſi filio. Itaqve ut Ivarum in regnum reſtitueret, Angliam claſſe petiit, Hellamqve Gallicanis auxiliis fultum poſt tridui pugnam tandem vicit, ac extra regnum fugere compulit. Cumqve in Angliâ annum victor exegiſſet, arma in Hiberniam transtulit, occiſoqve inſulæ Rege Melbrico, per integrum annum Dublini commoratus eſt. Hinc trajecto oceano per fretum, qvod vulgo Herculeum dicitur, mediterraneum mare intravit, atqve ad Helleſpontum usqve navibus permeans, litorea regna ſine ſuorum clade paſſim vaſtavit, indeqve retrocedens ſalvis rebus in Daniam pervenit. Ceterùm Regnero expeditionibus hiſce occupato, memoratus anteà Haraldus regnum illius invaſit, Danorumqve nonnùllorum auxiliis fretus, Regium nomen ſibi ſumſit. Sed Regnerus ab Helleſponto redux, eum ſtatim adortus, tertiâ vice fudit, atqve in Germaniam denuò ſe recipere compulit. Haraldus itaqve Ludovicum (Pium Caroli Magni filium) Moguntiæ tunc conſtitutum, acceſſit, auxiliumqve illius imploravit.

vit. Cui Ludovicus opem ſe laturum promiſit, ſi relictis gentilitatis erroribus Chriſto nomen dare vellet. Accepit conditionem Haraldus ſacrâqve ſeſe ablui fecit undâ. Mox à Ludovico diſceſſit, Saxonicis roboratus auxiliis; nec multo poſt Slesvicenſe territorium cum copiis ingreſſus Chriſtianam religionem propagare cœpit, ædemqve ſacram ſuis impenſis exſtruxit, dirutis paſſim ethnicorum delubris. Hæc agenti Regnerus ſupervenit; cui ſe viribus imparem cernens Haraldus, fugâ ſalutem qværſivit, abjectâqve poſtea Chriſtianâ religione, qvem à teneris inbiberat paganiſmum recoluit. Regnerus vero allata per Haraldum Chriſtianorum ſacra proſcripſit, eorumqve loco priſtinam gentilium religionem reſtituit. Dum hæc aguntur, Hella (qvem à Regnero Angliâ exturbatum fuiſſe ſuperius dictum eſt) Hiberniam invadens, Regneri partibus addictos ferro ſuppliciisqve mulctat. Qvem Regnerus claſſe adortus poſt infelicem pugnam ipſe capitur, atqve in carcerem conjectus ſerpentibus lacerandus objicitur. Cujus adeſo jecinore, cum cor ipſum coluber obſideret, operum ſuorum curſum animoſâ voce recenſuit, hanc adjiciens clauſulam: ſi ſuculæ verris ſupplicium ſcirent, haud dubiè, irruptis haris, afflictum abſolvere properarent; atqve hoc dicto non minus fortiter qvam calamitoſè exſpiravit. Regneri filii, de paternâ nece certiores facti, ultionem anhelarunt. Ivarus aſtu rem peragere conſultum duxit. Itaqve Hellam adiens, pacem amicitiamqve ei obtulit, ſpatium arvi, qvantum eqvino tergore complecti posſet, in ſeqveſtræ pacis pignus expoſtulans. Annuit petitis Hella; Ivarus vero corio in ſubtiliſſimas corrigias

ſciſſo, habilem exædificandæ urbi agrum occupavit, urbemqve condidit, ac commeatibus replevit. Hoc facto Syvardus & Biornus cum qvadringentarum navium claſſe ſuperveniunt, bellumqve Hellæ inferunt. Qvo comprehenſus in hoſtium poteſtatem vivus pervenit. Itaqve Regneri filii dorſo illius plagam aqvilam figurantem infligi, ſciſſasqve ab invicem carnes ſale aſpergi curarunt, atqve ita patris occiſorem per cruciatus enecarunt. Peremto Hellâ Syvardus & Biornus regna ſua repetiere; Ivarus vero Angliam biennio rexit. Exinde vero Danorum rebellione revocatus, poſt compreſſos perduelles in Daniâ reſedit, Agnerus vero, Regneri filius, Angliæ dominatum obtinuit.

Expoſitis hactenus iis qvæ noſtrorum relationibus partim convenientia, partim diſſimilia de Ragnare Lodbroche Saxo retulit, locus poſtulare videtur, ut in chronotaxeωs noſtræ ſtabilimentum progeniem ejus hic ſubjungamus, eamqve ad notiora nobis tempora deducamus.

Heic primam ſeſe Olufa offert, qvam ex Thorâ, Herraudi Gothiæ Comitis filiâ, Ragnarem ſuſcepiſſe ſuperius diximus. Olufa (uti ex *Landnama* & *Olafi Tryggvini Vita* diſcimus) Steinari de Canibus, Duci Anglico, nupſit, eiqve binos filios, Eiricum & Biornum peperit. Eiricus Sigurdum genuit, cognomento Biodaskallium, patrem Vikinga-Karii, cujus filius Eiricus de Oſtruſtadis Aſtridem genuit, matrem Olafi Tryggvini, Norvegiæ Regis, qvi in flore ætatis anno Chriſti milleſimo regnum amiſit. Biornus, Olufæ & Steinaris filiorum alter, Audunum Skokulem genuit, Islandiæ poſtea incolam, cujus filia Thora Hallum peperit: Hallo nata eſt Ulfhildis

dis, mater Aſtæ, cujus filius Olafus Rex Norvegiæ, vulgo Sanctus, anno Chriſti MXXX. occiſus eſt. Genealogia, qvæ ſeqvitur, ſingula melius ob oculos ponet.

Ragnar Lodbroch — Thora Borgarhiortis.

Steinar de Canibus — Olufa

Eiricus	Biornus
Sigurdus Biodaskallius.	Audunus Skokull Islandiæ incola.
Vikinga-Karius.	Thora.
Eiricus de Offruſtadis.	Hallus.
Aſtridis.	Ulfhildis.
Olafus Tryggvinus. Norveg. Rex. anno 1000.	*Aſta.*
	S. Olafus Rex Norv. anno 1030.

Aslaug, ſecunda Ragnaris Lodbrochis uxor, Biornum Ferrei Lateris & Sigurdum Angvioculum ei peperit, prout ſuperius dictum eſt. Ex Biorno Sveciæ Reges procreati ſunt, & duo proceres inter Islandiæ aborigines primarii, Tordus de Hofdio & Slettu-Biornus. Sveciæ Regum ſtemma prius perſeqvar: cumqve in eo recenſendo monumenta noſtra varient, diverſas eorum

traditiones primò exponam, ac deinde qvomodo ſingula conciliari poſſint. *Hervoris Hiſtoria* curâ Verelii apud Svecos impreſſa, hac de re ita loqvitur: Epter dauda „ Ragnars Kongs tok Biorn ſonur hans Jarnſida Svia„ velldi. - - Syner Biarnar Jarnſidu voru þeir Eirikur oc „ Refill. hann var herkongur oc ſækongur. enn Eiri„ kur Kongur riedi Sviariki epter faudur ſinn. oc lifdi „ litla hrid. þa tok rikid ſon Refils *Eirikur* ad nafni. „ hann var mikill hermadur oc allrikr Kongur. *Biar*„ nar ſyner voru þeir Eirikur Upſali oc Biorn Kongur. „ þa kom Sviariki enn i brædra skipti: þeir toku riked „ epter Eirik Refils (ſon). Biorn Kongur efldi þann bæ „ er ad Haugi hiet. hann var kalladur Biorn ad Haugi. „ med honom var Bragi Skalld. Eirikur hiet ſon Amun„ dar Kongs, er riki tok epter faudur ſinn ad Upſolum. „ hann var rikur Kongur. A hans dogum hofſt til rikis „ Haralldr Kongr Harfagre i Norege er fyrſtur kom „ einvalldskongr i Norege ſinna ættmanna. *id eſt*: Poſt „ mortem Ragnaris Regis (*Lodbrochis*) Biornus Ferreum „ Latus Sveciam regendam accepit. *Filii Biorni Ferrei* „ Lateris erant Eiricus & Refill; & *hic* qvidem exerci„ tus marisqve Rex fuit, Eiricus vero Sveciam poſt pa„ trem ſuum rexit, & brevi tempore vixit. Tunc reg„ num adiit filius Refilis nomine Eiricus; qvi ſtrenuus „ Dux & potens Rex erat. Biorni filii fuerunt Eiricus „ Upſalius & Biornius Rex: tunc regnum Sveciæ denuo „ inter fratres diviſum eſt. Illi regnum acceperunt poſt „ Eiricum Refilis filium. Biornus Rex amplificavit „ villam, qvæ Haugr (i. e. *Collis*) appellata eſt; unde Bior„ nus de Colle dicebatur. Apud ipſum Bragius Poëta

com-

commorabatur. Eiricus Amundi Regis filius nomi- „ ne fuit, qvi regnum Upſalis adiit poſt patrem ſuum. „ Hic fuit potens Rex. In diebus illius cœpit regna- „ re in Norvegiâ Haraldus Pulchricomus, qvi ſuæ „ ſtirpis hominum primus monarchiam in Nor- „ vegiâ condidit. Hactenus Svecica editio. Aliud *Hervorianæ hiſtoriæ* exemplar, manu exaratum, nobis communicavit memoratus antea Arnas Magnæus, idqve Bryniolfi Svenonii, Epiſcopi Scalholtenſis olim fuiſſe dixit. (idem illud eſt, qvod libri hujus Capite VIII. non procul ab initio allegavimus). Dictum exemplar in pluribus ab editione Svecicâ hoc loco diſcrepat, qvæ omnia diligentiſſimè annotare, operæ pretium non ducimus, cum plurima eorum minoris ſint momenti. Id ſaltem mentionem hic meretur, qvod ubi in Svecicâ editione legitur: *Eirikur hiet ſon Amundar Kongs.* id eſt: *Eiricus Amundi Regis filius nomine fuit.* prædictum Bryniolfi exemplar habeat: *Aunundr k. hiet ſon Eireks Kongs.* hoc eſt: *Aunundus Rex nomine fuit filius Eirici Regis.* Extant in vetuſto codice pergameno Bibliothecæ Reſenianæ, item alio pervetuſto qvi in ſæpe dicti Arnæ Magnæi muſéo aſſervatur, Septentrionis principum ſeries (*Langfedgatal* vulgo vocamus) qvarum nonnullas libri hujus Cap. I. ſuperius adduximus. Ex dictis ſeriebus ad hunc locum pertinet Catalogus Sveciæ Regum qvi Ragnarem Lodbrochem immediatè ſecuti ſunt. Eſt autem hujusmodi:

Ragnarr Lodbrok.
Biorn Jarnſida.
Eirikr Biarnarſon.

Eirikr Refilsſon.
Emundr oc Biorn at Haugi
Eirikr Emundar ſon.
Biorn ſon hans.
Eirikr Sigrſæli oc Olafr
Olafr Sænski. *id eſt:*

Ragnar Lodbroch.
Biornus Ferrei Lateris.
Eiricus Biorni filius.
Eiricus Refilis filius.
Emundus & Biornus de Colle.
Eiricus Emundi filius.
Biornus filius illius.
Eiricus Victorioſus & Olafus.
Olafus Svecus.

Tandem *Verelius* in Notis ad Hiſtor. Hervor. Cap. XX. ex editionis ſuæ textu ſeqventem genealogiam format:

Ragnar Lodbrok.
Biornus Ferreum Latus.

Eiricus Rex Svec.	Refill.
Biornus.	Eiricus R. Svec.

Eiricus Rex Svec.	Biornus de Colle R. Svec.

Emundus vel Amundus Rex Svec.
Eiricus Rex Sveciæ.
Biornus Rex Sveciæ.

Eiricus Victorioſus R. Svec.	Olafus.
Olafus Skautkonungus Rex Sveciæ, alio cognomine *Svecus.*	Styrbiornus.

Nunc

Nunc ſingula examinabimus, obſcurioraqve, qvantum in nobis eſt, enucleabimus. Primò de Biorno Ferreo Latere ex *Langfedgatale* & *Hiſtor. Hervorianâ* ſatis conſtat, qvod in Sveciæ regno patri Ragnari ſucceſſerit, nec non qvod Eiricum regni hæredem genuerit. Eirici iſtius fratrem & Biorni filium Refilem fuiſſe *Hiſtoria Hervoriana* nos docet, qvem *Langfedgatal* eapropter omiſiſſe videtur, qvod regnum non tenuerit, piraticis ſaltem exercitiis deditus. Refili Eiricum filium fuiſſe, eumqve patruo Eirico in regno ſucceſſiſſe tam *Langfedgatal* qvam *Hervoris Hiſtoria* teſtatur. Poſt hunc Eiricum in Svecico ſolio Emundum & Biornum de Colle fratres *Langfedgatal* collocat. *Hervoris hiſtoria* Eiricum Upſalium & Biornum de Colle ei ſurrogat, Biorni cujusdam filios. Biornus ille (qvem *Verelius*, ſolâ conjecturâ ductus, Eirici filium, Biorniqve Ferrei Lateris nepotem facit) præterqvam in adducto Hiſtoriæ Hervorianæ loco, nusqvam, qvod ſciam, invenitur. Qvem librariorum culpa vitiatum hìc eſſe, ſatis apparet. Nulla enim *Biorni* alicujus mentio præcedit, qvi Biorni de Colle ac fratris illius pater eſſe poſſit. Et *Eiricus* ille *Upſalius* pro *Emundo* perperam ponitur, qvod vel ex ipſo hoc loco ſatis aſtrui poteſt, ubi ſtatim poſt Biornum de Colle, fratremqve illius, *Amundi filius Eiricus* adducitur, nullâ in anteceſſum *Amundi* mentione factâ. Satis itaqve tutò adductum Hiſtoriæ Hervorianæ locum hìc emendare poſſumus, pro: *Biarnar ſyner voru þeir Eirikur Upſali oc Biorn Kongur.* (i. e. *Biorni filii fuerunt Eiricus Upſalius & Biornus Rex*) legendo: *Eiriks ſyner voru þeir. Emundr oc Biorn Kongur* (i. e. *Eirici filii fuerunt Emundus & Biornus Rex*) qvo facto cum *Langfedga-*

ga-

gatale nobis optime convenit; eritqve fratrum illorum, Emundi & Biorni, pater, vel Eiricus Biorni Ferrei Lateris filius, vel, qvod nobis ſtatuere magis placet, Eiricus Refilis filius. Hæc ſi Doctiſſ. Verelio in mentem veniſſent, adeo hæſitanter de Amundi, ſecuturi mox Eirici patris, (qvi hic idem eſt Emundus, Biorni de Colle frater) *paterno genere non ſcripſiſſet: nempe obſcurum eſſe, an is Biorni de Colle aut fratris illius (qvem Eiricum Upſalium nomine fuiſſe, ac Amundum nno gradu præceſſiſſe exiſtimavit) filius fuiſſet*; qvum Amundus iſte, cum Eirico illo Upſalio unus idemqve ſit homo, ac itaqve ſæpedicti Biorni de Colle nec filium, nec fratris filium, ſed fratrem germanum conſtituere debeat. Emundo & Biorno de Colle Eiricum Emundi filium ſucceſſiſſe *Langfedgatal* teſtatur, ſuffragante *Hervor. hiſtoriæ* editione Svecicâ, niſi qvod pro *Emundo* levi errore *Amundum* habeat. Varia illa lectio, qvam ex Bryniolfi codice ſuperius attulimus, vitioſiſſima eſt, patrisqve & filii nomina transponit, ac itaqve ulterius excuti non meretur. Eiricus ille Upſalis regnavit cum Haraldus Pulchricomus in Norvegiâ regnare cæpiſſet, teſtantibus id, præter *Herṿoris hiſtoriam*, pluribus noſtratium ſcriptoribus. Decimo imperii Haraldiani anno in facta ceſſiſſe perhibetur; qvi à principio regni, non vero monarchiæ, numerandus eſt, & in annum DCCCLXXIII. aut proximè ſeqventem deſinit. Succeſſit illi Biorno, etiam *de Colle* à nonnullis dictus; cujus regni periodus, ſecundum *Snorrium* in Haraldi Pulchricomi vitâ, qvinqvaginta annis abſolvitur, ut eâ ratione anno Chriſti DCCCCXXIII. obierit. Poſt eum in Svecia regnarunt filii ejus Eiricus Victorioſus & Ola-

Olaſus, qvod ex *Hervoris hiſtoriâ* & multis aliis auctoribus certum eſt. Olaſi filius erat Styrbiornus à patruo Eirico, cum Sveciam ei eripere tentaret, prælio victus & occiſus. Hic Eiricus filium & regni hæredem reliqvit Olaſum, qvem noſtrates *Svecum* & *Skautkonungum* promiſcuè cognominant. Notari hoc loco merentur Olaſi iſtius ad Hialtium Skegginum verba, qvæ *Snorrius Sturlæus* in vitâ S. Olaſi tali modo refert: Ek em hinn „ tiundi konungr at Uppſolum, ſva at hverr hefir eptir „ annan tekit varra frænda, oc verit einvalldz konun- „ gar yfir Sviavelldi oc yfir morgum odrum ſtorum lon- „ dum. id eſt: *Ego nunc Upſalis regno, decimus eorum, qvi ex meâ gente ordine continuo regnârunt, abſoluti Sveciæ Reges & multarum aliarum magnarumqve terrarum.* Snorrii verſio Danica pro *decimus*, habet *trigeſimus*: ſed contra vetuſtorum codicum tenorem; unde fruſtra eam tuetur *Rudbeckius* Atlant. Cap. VII. pag. m. 209. Olaſum Skautkonungum trigeſimo vel trigeſimo qvinto gradu à Gylfio, antiqviſſimo Sveonum Rege, recta lineâ deſcendiſſe arbitratus; cum tamen vetuſtiſſimorum Upſalenſium Regum ſtemma in Ingialdo Aſtuto deſierit, qvi Ivaris Vidfadmii, Daniæ Regis, arma metuens, ſeipſum incendio abſumſit, uti ſuperius dictum eſt. Decem itaqve iſtorum Upſalenſium Regum numerus ordiendus eſt à Sigurdo Hringo, qvi Haraldi Hilditannis, Daniæ Regis, beneficio ad Svecica ſceptrà pervenit. Et ecce Sveciæ Regum ſtemma à Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi filio, ad Olaſum Skautkonungum; prout nos id ad *Hervoris hiſtoriæ* & *Langfedgatalis* tenorem delineavimus, & genuinum eſſe arbitramur:

Ragnar Lodbroch.

Biornus Ferreum Latus

Eiricus. — Refill.

Refill. → Eiricus

Eiricus → Emundus. — Biorno de Colle.

Emundus. → Eiricus → Biornus.

Biornus. → Eiricus Victorioſus. — Olafus.

Eiricus Victorioſus. → Olafus Skautkonungus.

Olafus. → Styrbiornus.

Nunc dictorum Sveciæ Regum tempora ad certos annos referemus, chronologiam proponentes non eam, qvæ omnibus numeris abſoluta ſit, ſed qvam cum rerum & temporum circumſtantiis ſatis concordare exiſtimamus.

Ragnaris Lodbrochis nativitatem ad annum Chriſti DCCXX. mortem ad annum Chriſti DCCXC. libri hujus Capite II. retulimus.

Biornum Ferreum Latus anno Chriſti DCCL. natum eſſe ſupponimus: regnum in Svecia inchoaſſe anno Chriſti DCCXC. ætatis ſuæ XL. Eiricum filium genuiſſe anno Chriſti DCCLXX. ætatis XX. Refilem vero

ro DCCLXXIII. ætatis XXIII. regnaſſe XIIII. annis,ac obiiſſe anno Chriſti DCCCIIII. ætatis ſuæ LIIII.

Eiricus anno Chriſti DCCLXX. natus,regnare cœperit anno Chriſti DCCCIIII. ætatis XXXIIII. regnaveritqve qvadriennio: Improlem obiiſſe ſtatuimus anno Chriſti DCCCVIII. ætatis XXXVIII.

Refill anno Chriſti, ut diximus, DCCLXXIII. natus, ſceptra Svecica non geſſit; ſed ſaltem Eiricum regni hæredem procreavit, anno, ut conjicimus, DCC-XC. *ætatis* XVII. obiiſſe Refilem ſtatuimus anno Chriſti DCCC. ætatis XXVII.

Eiricum, anno DCCXC. natum, anno Chriſti DCCCVIII. ætatis XVIII. patruo Eirico ſucceſſiſſe conjicimus. Emundum genuerit anno Chriſti DCCCX. ætatis XX. Biornum vero de Colle anno Chriſti DCCC-XII. ætatis XXII. regnaverit XII. annis, mortuus anno Chriſti DCCCXX. ætatis XXX.

Emundus anno Chriſti DCCCX. genitus, anno Chriſti DCCCXX. regnare cœperit, ætatis ſuæ X. Eiricum procreaverit anno ætatis ſuæ XX. Chriſti DCCC-XXX. regnum XXVIII. annis tenuerit, deceſſeritqve anno Chriſti DCCCXLVIII. ætatis ſuæ XXXVIII.

Biornus de Colle cum Emundo Sveciæ ſceptra tenuit, ac itaqve iisdem ac ille annis vixit & regnavit; neqve ullam, qvantum ſcimus, progeniem reliqvit.

Eiricum, qvem anno Chriſti DCCCXXX. natum eſſe conjecimus, regnum inchoaſſe ſtatuimus anno Chriſti DCCCXLVIII. ætatis ſuæ XVIII. Biornum filium progenuerit anno Chriſti DCCCLXII. ætatis XXXII. regnaverit XXV. annis, mortuus anno Chriſti DCCC-LXXIII. ætatis XLIII.

 Bior-

Biornus (nonnullis patrui magni cognomine *de Colle* dictus) anno, ut diximus, DCCCLXII. natus, regnare cœpit anno Chriſti DCCCLXXIII. ætatis ſuæ XI. filios procreavit Eiricum & Olaſum: illum, ut conjicimus, anno Chriſti DCCCCVIII. ætatis XLVI. hunc vero DCCCCXX. ætatis LVIII. Biornum L. annis regnaſſe conſtat, ut eâ ratione anno Chriſti DCCCCXXIII. deceſſerit, ætatis ſuæ LXI.

Eiricus, cognomento Victorioſus, *qvem anno* DCCCCVIII. natum eſſe voluimus, Biorno patri ſucceſſit anno Chriſti DCCCCXXIII. ætatis ſuæ XV. Olaſum Skautkonungum genuit, anno, ut videtur, DCCCCLXXXII. ætatis ſuæ LXXIIII. regnaſſe eum ſtatuimus annis LXX. atqve obiiſſe anno Chriſti DCCCCXCIII. ætatis ſuæ LXXXV.

Olaſus Eirici frater, anno DCCCCXX. natus, cum fratre regnare cœpit, anno Chriſti DCCCCXXIII. ætatis ſuæ III. Styrbiornum filium procreavit, qvi ad ſceptra Svecica nunqvam pervenit, cæſus à patruo Eirico. Olaſum XLVII. annis regnaſſe ſtatuimus, *ut mortuus ſit* anno Chriſti DCCCCLXX. ætatis ſuæ L.

Olaſus Skautkonungus, Eirici Victorioſi filius, anno DCCCCLXXXII. natus, patri in regno ſucceſſerit anno Chriſti DCCCCXCIII. ætatis ſuæ XI. Hic anno Chriſti MXXII. obiit, ætatis ſuæ, ſecundum noſtrum calculum, anno XL.

Hactenus Sveciæ Reges recenſuimus, qvos Ragnar Lodbroch, mediante filio Biorno Ferrei Lateris, progenuit. Nunc inferioris ordinis viros addemus, ſed claros tamen, ab eodem Biorno prognatos. Integer

Land-

Landnamæ, ſeu Originum Islandicarum libri locus ex pag. illius 100. deſumtus, hic inſeri meretur: Gormr het herſir agiætr i Sviþiod. hann atti þoru, dottur Eiriks Konungs at Uppſolum. þorgils het ſon þeirra. hann atti Elinu dottur Burislafs Konungs or Gordum auſtan oc Ingibiargar ſyſtur Dagſtigs Riſa konungs. Synir þeirra voru þeir Hergrimr oc Herfinnr. — Groa het dottir Herfinns — hana atti Hroar, þeirra ſon var Slettubiorn. id eſt: *Gormus inſignis qvidam in Sveciâ Baro nomine fuit; hic Thoram Eirici Regis Upſalenſis filiam in matrimonio habuit, Eorum filius erat Thorgils, qvi connubio ſibi junxit Helenam, natam Burislafo Ruſſiæ Rege & Ingibiorge ſorore Dagſtigi Riſalandiæ Regis. Eorum filii erant Hergrimus & Herfinnus. Herfinni filia erat Groa, qvam Roar uxorem duxit, atqve ex ea Slettubiornum ſuſcepit.* Slettubiornus inter Islandiæ clariſſimos aborigines numeratur. Qvantum autem ad Eiricum, Upſalenſem vel Sveciæ Regem attinet, non additur qvisnam Eiricorum, Refillis vel Biorni Ferrei Lateris filius is fuerit: nos Biorni filium intelligi arbitramur, graduum inter eum & Slettubiornum multitudine inducti.

Alterum adhuc ramum, à ſæpedicto Biorno Ferrei Lateris in Islandiam derivatum, antememoratus *Originum Islandic. liber* pag. 102. ſuppeditat. Verba hæc ſunt: þordr het madr agiætr. hann var ſon Biarnar Byrduſmiors, Hroalldz ſonar Hryggs, Asleiks ſonar, Biarnar ſonar Jarnſidu, Ragnars ſonar Lodbrokar. þordr for til Islandz oc nam Hofdaſtrond — oc bio at Hofda. id eſt: *Thordus, vir inſignis, nomine fuit, filius Biorni Byrduſmior. filii Hroaldi Hryggi, filii Asleiki, filii Borni Ferrei Lateris, filii Ragnaris Lodbrochis. Thordus in Islandiam ſe tranſtulit,*

lit, territoriumqve Hofdaſtrandenſe occupavit, & Hofdii habitavit. Is communiter Thordus de Hofdio in antiqvitatibus noſtris appellatur, ac magni nominis vir fuit. Sed libet has generationes ſchemate genealogico ſimul exhibere:

Ragnar Lodbroch — Aslaug.
|
Biornus Ferreum Latus.
Eiricus R. Svec. | Asleicus.

Burislafus Ruſſiæ Rex. — Ingibiorgis ſoror Dagſtigi Riſaland. Regis.
Gormus Baro Svecus. — Thora

Helena — Thorgils
Herfinnus. | Hergrimus.

Roar — Groa
Slettubiornus, Islandiæ aboriginum unus.

Hroaldus Hryggus.
Biornus Byrduſmior.
Thordus de Hofdio, inter primos Islandiæ incolas.

Talis erat Biorni Ferrei Lateris progenies; reſtat ut Sigurdi Angvioculi poſteros, uſqve in nonum à Chriſto nato ſeculum (qvo Septentrionis Chronologia clarior eſſe incipit) deducamus. Inter illos præcipuum ſibi locum vendicant ſucceſſores illius, Daniæ Reges, Hordaknutus ejus filius, Gormi Grandævi pater, Haraldi Cæruli-

rulidentis avus, Sveni Admorſæ (aliis Furcatæ) barbæ proavus.

Hordaknuti ſoror & Sigurdi Angvioculi filia fuit Aslaug, mater Sigurdi Hiorti, ſeu Cervi; cujus filia Ragnhildis Haraldum Pulchricomum peperit, prout hæc ſtemmata in Genealogiis libri hujus capite I. à nobis adductis, & ubivis ferè aliàs viſuntur.

Thora Sigurdi Angvioculi filia in *Eyrbyggiorum Hiſtoria* occurrit. Verba illius hæc ſunt: Ketill Flatnefr gipti Audi dottur ſina Olafi Hvita er þa var meſtr herkonungr fyrir veſtan haf. hann var ſon Ingialldz Helga ſonar. en modir Ingialldz var þora dottir Sigurdar Orms i auga, Ragnars ſonar Lodbrokar. id eſt: *Ketill Simus Audurem filiam ſuam in matrimonium dedit Olafo Albo, qvi tunc temporis in occidente maximus erat pirata: Is filius erat Ingialdi, filii Helgii, mater vero Ingialdi erat Thora filia Sigurdi Angvioculi, filii Ragnaris Lodbrochis.* Olafi hujus paternum genus *Landnama* pag. 51. ulterius hoc modo refert: Oleifr hinn hviti het herkonungr. hann var ſon Ingialldz Konungs Helgaſonar, Olafs ſonar, Gudraudar ſonar, Halfdanar ſonar Hvitbeins Upplendinga konungs. h. e. *Oleifus Albus pirata qvidam nomine fuit; hic filius erat Ingialdi Regis, filii Helgii, filii Olafi, filii Gudraudi, filii Halfdani Albipedis, Uplandorum Regis.* Oafus iſte Albus idem eſſe videtur cum Amlavo illo, cujus ad annum DCCCLIII. meminit *Waræus* Antiqvit. Hibern. Cap. XXIIII. & paulo poſt annum DCCCLXX. obiiſſe ſcribit. Olafi & Auduris filius erat Thorſteinus Ruffus, celebris qvoqve pirata, qvi magnam Scotiæ partem ſibi ſubjecit; cujus & liberi nobiliſſimas in Islandiâ, Orcadi-

cadibus & Færeyis *familias propagârunt.* Genealogicâ tabulâ hæc Ragnarianæ *ſobolis pars clarior* qvoqve fiet.

Ragnar Lodbroch —— Aslaug.

Sigurdus Angvioculus

Hordaknutus Dan. Rex.	Aslaug.	Thora.
Gormus Grandævus, Dan. R.	Sigurdus Cervus.	Ingialdus
Haraldus Cærulidens, Dan. R.	Ragnhildis	Olafus Albus.
Svenus admorſæ Barbæ, Dan. Rex.	Haraldus Pulchricomus.	Thorſteinus Ruffus, Pulchricomo ſynchronus.

Sed nunc ad alia, qvæ de Ragnare Lodbroche agunt, diverſi generis ſcriptorum loca ſtylum convertamus.

CAPUT XI.

Qvo varia auctorum teſtimonia de Ragnare Lodbroche ulterius adferuntur.

Hactenus Ragnaris Lodbrochis, Sigurdi Hringi filii, vitam compendio deſcripſimus; progeniem qvoqve illius per aliqvot generationes uſqve ad noni ferè ſeculi exitum, optimæ notæ ſcriptorum teſtimoniis inſiſtentes deduximus. Sunt autem longè plures qvi Ragna-

Ragnaris Lodbrochis filiorumqve illius meminere auctores; ex qvibus nonnulla heic deſcribere à re alienum non erit.

Primum hic locum dabimus *Wilhelmo Gemmeticenſi*, qvi Hiſtoriæ Normannorum lib. I. Cap. V. & ſeqventibus, ſcribit Lothrocum (*puta* Lodbrochem) Daniæ Regem, ad exhauriendam nimia populi multitudine patriam, filium ſuum Bierem Ferreæ Coſtæ cum ingenti juvenum agmine à ſuo abdicaſſe regno, ut peregrina regna petens exteras ſibi armis acqvireret ſedes. Bierem itaqve, cum pædagogo ſuo Haſtingo & magna militum manu, naves conſcendiſſe, iisqve ſine ullâ morâ ad Veromandenſem Galliæ Belgicæ tractum perveniſſe. Mox eſcenſionem in terram exteros hos piratas feciſſe, totumqve illum Comitatum populatos eſſe. Hinc ſubſeqvente tempore per Galliam huc illuc armatos curſitaſſe, omniaqve devaſtaſſe, incolas cecidiſſe, ac urbes flammis abſumſiſſe. Triginta annis Galliam malis hiſce miſeriisqve ſuccubuiſſe, anteqvam Haſtingus ad majora adſpirans, Dominumqve ſuum Bierem ad Romanum ſolium evehere cupiens, relictâ Galliâ claſſem in Italiam dirigeret. Accidiſſe autem, ut qvi Romam rectà tendere armisqve eam ſubigere in animo haberent, adverſo vento ad Lunam (Hetruriæ urbem) deferrentur. Hanc itaqve, Romam ſe veniſſe ratos, adortos eſſe, doloqve tandem cepiſſe, atqve ingentem hominum ſtragem edidiſſe. Comperto autem ſe à ſcopo aberraſſe, ac pro Româ Lunam expugnaſſe, metuentes ne Itali conjunctis viribus ſibi occurrentes partarum eatenus victoriarum gloriam forte offuſcarent, Lunâ ſolò æqvatâ retroceſſiſſe. Ac Haſtingum qvidem Galli-

am repetiiſſe, & cum Carolo Francorum Rege, cujus regno tanta mala intulerat, reconciliatum eſſe. Bieri vero Ferreæ *Coſtæ*, totius excidii ſignifero, exercituumqve Regi, cum in patriam redire cogitaret, tempeſtates marisqve procellas ſuperveniſſe, magnamqve claſſis illius partem ſubmerſiſſe; ipſum in Angliæ qvendam portum ægrè perveniſſe, indeqve Friſiam petentem mortem obiiſſe. Hactenus Gemmeticenſis, qvi primum Haſtingi & Bieris in Veromanduos adventum ad annum Chriſti DCCCLI. refert. Alii rectius in annum DCCCXLI. *Radulfus de Diceto* in Abbreviationibus Chronicorum ad annum DCCCXLIII. hæc habet: *Normanni ſub Bier filio Regis Danemarchiæ & magiſtro ejus Haſtungo Franciam infeſtant & usqve Pariſius navigio veniunt.* Et ad annum DCCCLXXIII. *Normanni Ducem habentes Bier, cum per* XX. (corrige XXX) *annos Galliam infeſtaſſent, in patriam ſuam reverſi inteſtino bello perierunt.*

Olafi Tryggvini vita, qvam in membranis exaratam poſſidet Arnas Magnæus, poſtqvam Jutiæ Regulos, Sigurdi Hringi, Ragnaris Lodbrochis & filiorum ejus vaſallos, usqve ad Gormum, Hordaknuti Daniæ Regis nutritium, (qvidam eorum ſuperius Capite VIII. pag. 322. enumerantur, de ſingulis plura inferius dicentur) recenſuit, ſeqventia ſubjungit: Synir Ragnars Lodbrokar voru „ hermenn miklir; þeir hefndo fodur ſins oc drapu El„ lo Konung i Englandi. giordiz Ivarr enn Beinlauſi þa „ Konungr yfir þeim luta Englandz er adr hofdu att hans „ ættmenn oc frændr. Hann jok riki ſitt à marga ve„ ga. hann let drepa hinn heilaga Eatmund Konung, oc „ lagdi undir ſik riki hans. Sva er ſagt at Lodbrokar

ſynir

ſynir hafi rekit meſtan hernad i forneskiu um oll þeſ- „
ſi lond: England, Valland, Frakland, Saxland, oc alt ut „
um Lungbardi. Sva komu þeir fremzt at þeir unnu „
þa borg er Luna het. oc um hrid ætladu þeir at vin- „
na Roma borg. En er þeir komu aptr i riki ſitt, ſki- „
ptu þeir med ſer rikinu, tok Biorn Jarnſida Uppſala „
riki, *S*viþiod alla, oc hvarttveggia Gautland, oc oll „
þau lond er *þar liggia til.* Sigurdr Ormr i auga hafdi „
Eygotaland oc allar eyiar, Skani oc Hallland. Hvitſer- „
kr *hafdi* Reidgotaland oc þar med Vindland. Si- „
gurdr Ormr i auga atti Blæjo dottur Ello Konungs „
þeirra ſon var Hordaknutr. *id eſt*: Filii Ragnaris Lod- „
brochis ſtrenui bellatores erant; hi patris ſui cædem „
ulti ſunt, Ellamqve Angliæ Regem occiderunt. Tunc „
Ivar Exos illam Angliæ partem, cui majores illius an- „
tea præfuerant, regendam accepit. Hic ditionem ſu- „
am variis modis auxit, Sanctumqve Edmundum Re- „
gem occidi curavit, ac regnum illius ſibi aſſeruit. Tradi- „
tum eſt, Lodbrochis filios præ omnibus aliis vetuſta- „
tis heroibus has terras armis laceſſiviſſe: Angliam, „
Vallandiam, Galliam, Saxoniam & Lombardiam. Ad „
ultimum urbem Lunam devicerunt; habueruntqve „
aliqvando in animo, Romam expugnare. Cum vero „
in regnum ſuum redirent, illud inter ſe diviſerunt. „
Biornus Ferreum Latus Upſalenſe regnum accepit, Sve- „
ciam totam & utramqve Gothiam, cum omnibus pro- „
vinciis illuc pertinentibus. Sigurdo Angvioculo ceſ- „
ſerè Eygothia (*Gothia inſularis*) & omnes inſulæ, „
Scania qvoqve & Hallandia. Hvitſercus Reidgothi- „
am & Vandaliam obtinuit. Sigurdus Angvioculus in „

 matri-

„ matrimonio habuit *Blæjam* filiam *Ellæ* Regis: eorum „ filius Hordaknutus erat.

Huc pertinet alius *Olafi Tryggvini vitæ* locus, qvem ex citatis Arnæ Magnæi membranis adferam, licet eadem ferè verba repræſentet dicti Olafi vita, qvæ Codice Regio Flateyenſi continetur: Ivarr enn Beinlauſi var Ko-
„ nungr i Englandi langa æfi. hann atti ecki barn. þviat
„ ſva ſegiz at hann hefdi til þeſſ enga fyſt ne edli. en ei-
„ gi ſkorti hann ſpekt ne grimd. hann vard ellidaudr þar a
„ Englandi oc var þar heygdr. þa voru daudir allir Lod-
„ brokarſynir. Eptir þat tok Konungdom i Englandi
„ Adalmundr Jatgeirs ſon, brodur ſon Eatmundar hins
„ helga, oc kriſtnadi hann vida England oc tok ſkatt af
„ Nordimbralandi er heidit var. Eptir hann var Konungr
„ Adalbrikt. hann var godr konungr, oc vard gamall. A
„ hans dogum ofarliga kom Danaherr til Englandz. oc
„ voru þeir brædr hofdingiar fyrir lidinu ſynir Gorms
„ hins gamla, Knutr oc Haralldr. *id eſt*: Ivar Exos lon-
„ go tempore in Anglia regnavit. Hic improlis erat;
„ traditur enim nullum procreandæ ſcbolis appetitum
„ habuiſſe, prudentia vero & ferocia illi non defuere. Senio
„ in Angliâ mortuus eſt, ibiqve tumulo conditus. Tum
„ omnes Lodbrochis filii mortui fuere. Poſt hæc in An-
„ glia Regium imperium accepit Adalmundus filius Edge-
„ ri fratris Sancti Edmundi. Hic Angliam paſſim ad Chri-
„ ſti fidem convertit, & tributa ex Northumbriâ, tunc
„ ethnicâ, accepit. Poſt eum regnavit Adalbrichtus, qvi
„ bonus Rex erat & ad ſenium pervenit. Eo ſeneſcen-
„ te Danorum exercitus in Angliam venit, cui præfue-
„ re Knutus & Haraldus (*poſtea Daniæ Rex*) Gormi Grand-
„ ævi (*Daniæ Regis*) filii.

An-

Annales Iſlandici, qvos inter alia continet codex Regius Flateyenſis, ad annum DCCCIX. hæc habent: *Hofz riki Ragnars Lodbrokar.* id eſt: *Initium regni Ragnaris Lodbrochis.* Ad annum DCCCXII. *Segia ſumir her heſaz riki Ragnars Lodbrokar.* id eſt: *qvidam initium regni Ragnaris Lodbrochis hic collocant.* Ad annum DCCCXXXVIII. *Drap Ragnars ſona.* id eſt: *Cædes filiorum Ragnaris.* Item ad annum DCCCXLV. *Drap Ragnars Lodbrokar.* id eſt: *Cædes Ragnaris Lodbrochis.*

Ex Hiſtoriæ Danicæ compendio, qvod *Erico Pomerano*, Daniæ Regi, vulgò adſcribitur, ſeqventia huc pertinent: Anno Domini DCCLXXVI. venit Carolus Im- „
perator, cum toto imperio ſuo, contra Godefrith Re- „
gem Daciæ, cui idem Godefrith ultra Albiam occur- „
rens, fugavit Carolum de Saxonia, & eam totam vaſta- „
vit, qvod eodem anno Saxonia converſa fuerat ad „
fidem Chriſti per Carolum, poſtqvam contra Francos „
XXXVI. annis continuis pugnaverat. Poſtea idem „
Godefrith, fugato Imperatore, & Saxonia vaſtatâ, „
ibidem à proprio milite cultro transfixus eſt in ventre. „
Poſt ipſum regnavit Olaf filius ejus. „

Olaf dictus Gothdranker. Huic ſucceſſit Hen- „
ning filius ejus. „

Henning regnavit XXVIII. annis, qvi cum Impe- „
ratore pacem faciens, Eydoram terminum regni ſui „
accepit. Huic ſucceſſerunt duo Reges, Ring & Si- „
wardus. „

Ring regnavit in Jutiâ. „

Sywardus regnavit in inſulis. Iſti duo Reges in- „
ter ſe diu pugnaverunt, & tandem in bello mutuo am- „

„ bo corruerunt. *Qvibus ſucceſſit in* regnum Reyner
„ filius Ring.

„ Reyner *Lechbroki* (*lege* Lothbrok). Iſte ſubjugavit
„ *Angliam, Scotiam,* Hyberniam, Norwegiam, Sweciam,
„ Teutoniam, *Slaviam*, Ruſciam & omnia regna occi-
„ dentis; *ita* qvod IX. filios ſuos, ſingulos in ſingulis terris,
„ Reges fecit, & ipſe de uno regno in aliud inter illos
„ pertranſivit. Tandem in Hybernia occiſus eſt &
„ filii ejus fere omnes in diverſis locis ſunt occiſi. Hic
„ per XI. annos urbes Franciæ vaſtavit, & Pariſiis veni-
„ ens in Eccleſia Sancti Germani & Aqvisgrani in pala-
„ tio Imperatoris ſtabulum eqvorum fecit, & multa ma-
„ la eccleſiæ intulit. Huic ſucceſſit Ingvar filius ejus.

„ Ingvar filius Lotbroki. Iſte omnium fratrum ſuo-
„ rum crudeliſſimus fuit. Cui ſucceſſit Sywardus.

„ Huic ſucceſſerunt Anulo & Sigefridus.

„ Anulo: Sigefridus. Iſti duo nepotes fuerunt Regis
„ Godefridi: inter qvos pugna fuit X. annis; & cum
„ inter ſe de primatu regni convenire non poſſent, ſce-
„ ptrum *prælio diviſerunt, in qvo ambo Reges* corrue-
„ runt, & cum *illis* XI. *M. hominum. Pars autem Anu-*
„ lonis cruenta victoria potita, Reinfridum & Haraldum
„ in regnum poſuit, & facta eſt pugna inter eos IX.
„ annis.

„ Haraldus tandem Reinfridum de regno expulit,
„ & ſolus regnavit. Tunc filii Sigefridi Haraldum de
„ regno expulerunt. Qvi ad Imperatorem Lodewicum
„ ſupplex confugit.

„ Anno Domini DCCCXXVI. baptizatus prædictus
„ Rex Haraldus apud Maguntiam cum uxore & fratre
ſuo

ſuo Erico, & per auxilium Imperatoris in regnum re- „
ſtitutus eſt; moxqve Chriſtianitatem reliqvit. „

Regenarium qvendam ex *Aimonio*, ſcriptore Gallico, ad annum DCCCXLV. *Pontanus* Rer: Danic. lib. IV. adfert, eumqve cum Ragnare Lodbroche unum eundemqve eſſe cenſet; verba Pontani hæc ſunt: Regenari- „
us Rorici Danorum Regis auſpiciis, majore animo ac „
vi ad littora vicina applicans, modo Friſiam, modo Flan- „
driam, atqve ultimo Gallias armis infeſtas habuit. Ad „
oſtia *Seqvanæ* delatus, primo Pariſiorum civitatem in- „
curſavit, mox D. Germani monaſterium depopulatus, ad „
Melodunum, Senonum oppidum, igne & flammis deva- „
ſtandum ſe vertit, prius, qvæ in urbis erat conſpectu, „
inſulâ in ſuam poteſtatem redactâ. Tandem etiam „
prælio cum regiis copiis, intes Santonas & Burdiga- „
lam commiſſo, ſuperior diſceſſit. Siguino Vaſconum „
præfecto inter pugnandum cæſo, ipſoqve Rege Cal- „
vo vix ægrè per fugam dilapſo, tantâ omnium con- „
ſternatione, ut ingentis pecuniæ ſummâ in publicum „
collectâ, Rex gravioris belli metu, mercari ab eo pa- „
cem coactus fuerit. Addit miraculum Aimonius, Ra- „
ganarium ſcilicet, dum ſe ſuosqve adverſus Calvum „
ſucceſſus, & hanc præcipue S. Germani devaſtatio- „
nem Regi Rorico jactaret, diceretqve plus ibi mortuos „
qvam vivos potuiſſe, qvod ſolos ſibi Divi Germani „
manes occurſantes habuiſſet, continuo collapſum, at- „
qve inde per triduum exſpiraſſe; ex commilitonibus „
qvoqve permultos, qvi ſacrilegas ædi manus intulis- „
ſent, dyſenteria extinctos. Hunc Regenarium, Ai- „
monio dictum, regem eſſe Regnerum Lothbrogum „
pa-

„ parum ambigam; licet Saxo, qvi eum qvoqve pere-
„ gre fato ſuo functum ait, paulo aliter narret. Hactenus Pontanus.

Longè aliud mortis genus Ragnari Lodbrochi ſcriptores Anglici aſſignant: audiamus *Polydorum Vergilium* Hiſtor. Anglicæ libro IIII. ita ſcribentem: Lothe-
„ bricus qvidam, natione Dacus, pater Agneri & Hubo-
„ nis (de his alibi ſæpius fiet mentio) cùm aucupio plu-
„ rimum delectaretur, fertur hyberno tempore, aſcensâ
„ parvula naviculâ, dum ſtudio inſectandi aqvatiles a-
„ ves circa littus vagaretur, ſubita ventorum vi in al-
„ tum raptus, duas noctes huc atqve illuc agitatus fuiſ-
„ ſe, ac tertio tandem die ad Orientalium Anglorum lit-
„ tus perveniſſe, & ob ſcientiam aucupandi ab Edmun-
„ do in familiam receptus. Non interceſſerant multi
„ dies, cum hunc qvidam ſervus, accipitrum domitor,
„ invidiâ motus, qvod ille in ea aucupandi parte periti-
„ or eſſet, per inſidias interemit: propter qvod facinus,
„ cum à Rege venia negaretur, in Daciam aufugit, ibi-
„ qve Edmundo infenſus, qvod impunitatem non con-
„ ceſſiſſet, tale comminiſcitur ſcelus: Indicat enim Ag-
„ nero & Huboni ob patris caſum valde anxiis, de Lothe-
„ brico, narratqve Edmundi juſſu illum necatum eſſe
„ apud Orientales Anglos. Agnerus cognita patris
„ morte, ira & furore accenſus, dicitur ſumptis repentè
„ armis, cum bene magna armatorum manu in inſulam
„ properaſſe ad ulciſcendam injuriam: & ut ad Orienta-
„ les Anglos pervenit, unum exſuis exploratum miſiſſe,
„ ubi terrarum Edmundus Rex ſe teneret, mandaſſeqve
„ ut nomine ſuo Regi tanqvam jam victo imperaret pe-

cu-

cuniam ac cætera uſui neceſſaria, atqve ediceret illum „
non amplius regnaturum, niſi ſe maturè Dacis dede- „
ret. Interea ipſe exploratorem hoſtilem in modum „
ſeqvebatur, omnia cæde & igne complens. Edmun- „
dus audito nuntio, magnopere admiratus barbaricam „
temeritatem, nonnihil timore afficitur, & aliqvan- „
tum cunctando ſecum cogitat, ecqvid factu optimum „
ſit in re tam ſubitâ. Tandem vir innocentiſſimus „
memor documenti Chriſti: Qvi perdiderit animam ſu- „
am, inveniet eam; omni metu prorſus depoſito in hunc „
fere modum nuntio reſpondit: Dicito duci tuo, Ed- „
mundum Regem Chriſtianum neqvaqvam velle ſe ſer- „
viliter ſubjicere populo Daco, pietatem Chriſtianam „
abhorrenti, niſi illam prius complectatur. Vix ea fa- „
tus erat, cum Agnerus repente adfuit, regiamqve in- „
greſſus, multis mortalibus trucidatis, Edmundum ce- „
pit. Sunt qvi ſcribant Regem aufugiſſe & perſeqven- „
tibus Dacis ſponte occurriſſe, atqve interrogatum an „
ſciret ubi loci Rex eſſet, reſpondiſſe ſic: *Dum ego in* „
regia fui, ibi etiam Edmundus qvem qværitis fuit: u- „
bi abivi, ille qvoqve abiit: qvi utrum manus veſtras „
fugiturus ſit, nec ne, ſolus Deus noſcit: & Dacos ubi „
per interpretem audiviſſent Deum nominari, probe in- „
telligentes, illum eſſe Regem ilicò cepiſſe, ac primo „
fuſtibus ferè ad necem cæſum ſagittis transfixiſſe, de- „
inde Chriſtum invocantem obtruncaſſe. Sic pius Rex „
martyrii palmam tulit. At barbari in demortuum ad- „
huc ſævientes, ejus caput inter denſiſſimas vepres ab- „
diderunt, ne Chriſtiani illud debitis colerent cære- „
moniis.

 Ean-

Eandem hanc hiſtoriam adfert *Johannes Bromton* Chronici ſui pag. m. 804. ubi Lothebricum Polydori, Lothebrocum rectius nominat, filiumqve ejus Agnerum Ingvaris nomine appellat; atqve eum cum fratre Hubbâ Sanctum Edmundum Orientalium Anglorum Regem anno Chriſti DCCCLXX. vel ſecundum alios anno DCCCLXVI. occidiſſe ait: addens Hubbam poſtea anno DCCCLXXIII. ab Aluredo Rege cæſum eſſe. Ingvarem anno DCCCLXXVII. in Anglia interfectum ſcribit *Simeon Dunelmenſis* de geſtis Regum Angliæ. Unde omninò emendandus eſt *Radulfi de Diceto* calculus, qvi Hingvarem & Hubbam Angliam circa annum DCCCCXCV. vaſtaſſe ſcribit.

Adamus Bremenſis Hiſtor. ſuæ Eccleſiaſt. libro I. Cap. XXXIII. ſeqventia ſcribit: Qvi Reges Danorum ſuo „ (*Rimberti Archiepiſcopi, qvi ſedit ab anno DCCCLXV. ad* „ *annum DCCCLXXXVIII.*) tempore fuerint, non invenitur in geſtis ejus. In hiſtoria Francorum Sigafrid cum „ fratre Haldan regnaſſe leguntur; qvi etiam munera „ Ludovico Cæſari miſerunt: gladium videlicet capulotenus aureum & alia, pacem rogantes. *Et miſſis* „ utrinqve ad Egdoram fluvium mediatoribus, pacem „ firmam, ritu gentis, per arma juraverunt. Erant & „ alii Reges Danorum vel Nordmannorum, qvi piraticis excurſionibus eo tempore Galliam vexabant; qvorum præcipui erant: Horich, Orduig, Godafrid, „ Rodulff & Ingvar Tyranni. Scriptum eſt in Geſtis „ Francorum: Crudeliſſimus omnium fuit Ingvar filius Lodparchi, qvi Chriſtianos ubiqve per ſupplicia „ necavit.

CAPUT. XII.

Qvo plures fuiſſe Ragnares Lodbroches aſtruitur, & Sigurdi Hringi filii ætas ulterius demonſtratur.

Huc uſqve veterum de Ragnare Lodbroche filiisqve illius ſcriptorum loca exhibuimus; reſtat ut nonnulla diſqviſitionis loco heic annectamus. Noſtrates qvæcunqve de Lodbroche audiverunt, ad unicum hominem retulere; in qvo eos valde erraſſe apparet. Etenim plures fuiſſe Ragnares Lodbroches, ex allatis auctorum teſtimoniis ſatis evincitur. Neqve enim illa, qvæ ſcriptores Anglici Gallicique & noſtratium nonnulli Lodbrochis filios in Angliâ Galliâqve geſſiſſe tradunt, in Sigurdi Hringi nepotes ullo modo qvadrant. Qvin, ſi vera ſint, qvæ noſtrates de conditâ per Lodbrochis filium urbe Londinenſi referunt, iſtum Lodbrochem à duobus illis diverſum eſſe oportet, ac ante Chriſti nativitatem vixiſſe: cum Londinum Neronis temporibus *copiâ negotiatorum & commeatuum maxime celebre* fuiſſe ex *Taciti* Annal. lib. XIIII. diſcamus. Sed neqve ad ullum horum referri poteſt is, qvem Jormunreco vel Ermanarico coævum fuiſſe, ac uxoris illius filiam duxiſſe tradunt; cum Ermanaricus ab anno Chriſti CCLXVI. ad CCCLXXVI. vixerit, uti ex libri hujus Cap. IX. pag. 336. ſuperius videri poteſt. Nos, ne qvid diſſimulemus, illa qvæ de Londini initiis noſtri adferunt, exiguam fidem mereri arbitramur. Nec minus nobis ſuſpecta eſt affinitas iſta, qvam inter Jormunrecum & Ragnarem Lod-

brochem interceſſiſſe volunt, veluti nos citato Capite pag. 343. noſtram de eâ re ſententiam declaravimus. Etenim mirum videri poſſet, ſi unus Ragnar Lodbroch ſeculo qvarto in matrimonio habuiſſet Aslaugem, *Sigurdi* Fafnericidæ & Brynhildis Budlinæ filiam: & poſt qvatuor ſecula alter ejusdem nominis vir (qvod ex tot vetuſtis monumentis abundè probari poteſt) Aslaugem duxiſſet, Sigurdo Fafnericidâ & Brynhilde Budlinâ ſimiliter natam. Nobis itaqve primus Ragnar Lodbroch erit is, qvi, ſecundum noſtrates & Saxonem, Sigurdo Hringo natus eſt, ac primò Thoram Herraudi filiam, deinde Aslaugem Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis filiam in matrimonio habuit. Illius majores uſqve ad Odinum, libri hujus Capite I. videri poſſunt, & hic Ragnar locum inter Daniæ Monarchas omni jure ſibi vendicat. Ætatem ejus in ſeculum à nato Chriſto Octavum incidere ſæpius antea dictum eſt. Nec facilè loco, qvem nos in Chronologiâ noſtrâ libri hujus Capite II. ei aſſignavimus, dimoveri poteſt. Altius qvominus evehi qveat, in cauſâ eſt Ingialdi Aſtuti Ivarisqve Vidfadmii *ſynchroniſmus*, Haraldi deinde Hilditannis longævitas & bellum *Bravallenſe*, cui Sigurdus Hringus, Ragnaris pater, interfuit, noſtratibus & Saxone id abunde teſtantibus. Qvin & Herraudum, Thoræ Ragnaris uxoris patrem, in memorato Bravallenſi bello ſub Sigurdi Hringi ſignis militaſſe *Herraudi & Boſii vita* teſtatur, id qvod cum temporum circumſtantiis optimè concordat. Sed nec ad inferiora tempora deprimi Ragnar Lodbroch poteſt, obſtantibus tam nepotum ejus genealogiis Capite X. ſuperius adductis, qvam Jutiæ Regulorum, inferius à nobis exhiben-

do-

dorum, chronologiâ, & cum dicto Ragnare filiisqve illius ſynchroniſmis. Adde qvod Haraldi Hilditannis, Lodbrochis patrui magni, poſterorum ſeries, cum genealogiis à Ragnare derivatis in graduum numero ſatis benè conveniat. Ex qvibus omnibus abunde patet, nos in hac chronologiæ noſtræ parte non multum à vero aberraſſe. Ad rem noſtram heic non parum facit locus ex *Nornageſti hiſtoria* deſumtus, qvo haud obſcurè monſtratur, Sigurdum Faſnericidam, Ragnaris Lodbrochis ſocerum, vixiſſe anteqvam Carolus Magnus Imperatoriam dignitatem Francis aſſeruit. Verba dictæ hiſtoriæ hæc ſunt: Helgi Sigmundarſon, er Hundings bani var kalladr, var brodir Sigurdar, er ſidan var kalladr Fafnisbani. Helgi brodir Sigurdar hafdi drepit Hunding konung oc ſonu hans þria, Eyiulf Herraud Hiorvard. Lyngvi komzt undan oc tveir brædr hans Alfr oc Hemingr. voru þeir hinir fræguztu menn um alla atgiorvi, oc var Lyngvi fyrir þeim brædrum. þeir voru miok fiolkunnigir. þeir hofdu kugat marga ſmakonunga, oc marga kappa drepit, oc margar borgir brent, oc giordu hit meſta hervirki i Spanialandi oc Fracklandi. en þa var eigi Keiſarariki komit nordr hingat yfir fiallit. *id eſt:* Helgius Sigmundi filius, qvi Hundingsbanius ſeu Hundingicida dictus eſt, frater fuit Sigurdi, qvi poſtea Faſnisbanius ſeu Faſnericida cognominatus eſt. Helgius, Sigurdi frater, Hundingum Regem & tres filios ejus, Eyulfum, Herraudum & Hiorvardum, occiderat, Lyngvius vero cum duobus fratribus ſuis Alfo & Hemingo fugâ evaſerat. Hi qvâvis maſculâ

„ virtute celeberrimi fuerunt, primas tamen Lyngvius „ tenuit. Artibus etiam magicis exercitatiſſimi erant. „ Hi Regulos permultos ſubjugaverant, pugnatores for- „ tiſſimos interfecerant, urbesqve incendio deleverant, „ ac in Hiſpania & Gallia immenſam ſtragem ediderant. „ Tunc autem Imperatoria dignitas Alpes nondum „ transſcenderat.

Sigurdo Fafnericidæ coævus erat Sigurdus Hringus, Ragnaris Lodbrochis pater: uti aliqvoties antea dictum eſt. Unde in tempore non parum hallucinatum eſſe apparet auctorem *Catalogi Regum Daniæ*, qvem ex Bibliothecæ Academ. Hafnienſis codice pergameno exſcriptum mihi communicavit ſæpius antea memoratus Arnas Magnæus; verba illius ita ſeſe habent: I „ þenna tima er Carll Konungr, er kalladr er Magnus, „ oc um ſidir vard Keiſari, ſtyrdi Rumveriariki, hyg- „ gio vær riki oc konungdom haft hafa a nordrlaund- „ um Sigurd Ring, fadur Ragnars Lodbrokar. þann „ Sigurd ſegia menn verit hafa brodorſon Haralldz Hill- „ ditannar. Carll Keiſari andadiz a þvi are er lidit var „ fra burd vars herra Jeſu Kriſti VIII. hundrat oc XV. „ ar. *id eſt*: Tempore qvo Carolus, cognomento Ma- „ gnus, qvi tandem Cæſar factus eſt, Romano impe- „ rio præfuit, in ſeptentrionalibus terris regnaſſe exi- „ ſtimamus Sigurdum Ringum, Ragnaris Lodbrochis „ patrem. Sigurdus ille Haraldi Hilditannis ex fratre „ nepos fuiſſe perhibetur. Ceterum Carolus Imperator „ anno à nativitate Domini noſtri Jeſu Chriſti octingente- „ ſimo decimo qvinto obiit. Diverſorum hominum homonymia decepiſſe videtur hunc ſcriptorem; qvi cum

Ragna-

Ragnaris Lodbrochis patrem Carolo Magno coævum fuiſſe fortè audiviſſet, iſtud ad Sigurdi Hringi filium retulit, qvod alteri Lodbrochi, tempore poſteriori, verius applicandum erat, uti ex ſeqventibus colligi poterit.

Sed & plura ſunt, qvæ contra hunc noſtrum calculum opponi poſſe videmus; ac ingens qvidem dubium ſuppeditare qveunt genealogiæ: qvarum unam ex *Originibus Norveg.* deſumtam libri hujus Capite III. pag. 251. ſuperius attulimus, ubi Aslaug, Ragnaris uxor, qvindecim tantum vel ſedecim gradibus à Fornioto, (qvem Odino coævum fuiſſe apparet) removetur. Alteram eædem *Origines Norvegicæ* exhibent, qvæ Ragnarem ipſum à memorato Fornioto nonniſi qvindecim gradibus ſeparat, majoresqve illius hac ſerie recenſet: 1. Forniotus; 2. Karius; 3. Jocull; 4. Snær; 5. Thorrius; 6. Nor; 7. Raumus; 8. Finnalfus; 9. Svanus Ruffus; 10. Sæfarius; 11. Ulfus; 12. Alfus Senex; 13. Alfgeir; 14. Gandalfus; 15. Alfhildis, Sigurdi Hringi uxor Ragnarisqve Lodbrochis mater. Tertia libri hujus Capite I. extat, ex *Hervoris hiſtoriâ* deſumta, qvæ ab Odino ad Ragnarem qvindecim tantum gradus recenſet. Qvi generationum numerus, cum temporum ratione collatus, Ragnarem altius qvam nos fecimus collocare videtur. Et multis antea ſeculis vixiſſe ex *Herraudi & Boſii vita* colligi poterit, qvæ Herraudum, Thoræ Lodbrochis uxoris patrem, Hringo genitum eſſe ait, Hringum vero Gautio Odini Aſiatici filio; ut Thora hac ratione non niſi qvatuor generationibus Odino ſit inferior.

Nos genealogiis hiſce Ragnaris ipſius genealogiam opponimus, libri hujus Capite I. ſuperius exhibitam, ubi

ubi ab Odino gradus & viginti generationibus diſtat; unde facilè apparet, ſtemmatographias illas, qvas hìc & ſuperius pag. 271. ex *Originibus Norvegiæ* attulimus, mutilas eſſe, iisqve aliqvot in medio deeſſe generationes. qvod & dicto tractatui ſæpius aliàs uſu venit, qvippe qvi multas genealogias continet, qvibus nunc plures nunc pauciores gradus deeſſe plusqvam manifeſtum eſt. De tertia, qvæ hìc memoratur genealogiâ ſuperius Cap. IV. pag. 261. ſententiam noſtram diximus. Ultima vero, qvam Herraudi & Boſii vita exhibet, omnium vitioſiſſima eſt, qvod vel ex ipſâ illa hiſtoriâ probari poteſt: Dicitur enim ibi Herraudum illum, Odini Aſiatici pronepotem, pugnæ Bravallenſi interfuiſſe, qvam ab unâ parte geſſiſſe conſtat Haraldum Hilditannem, ab altera vero Sigurdum Hringum, qvorum hic viginti uno, ille vero viginti gradibus ab Odino diſtant, uti ex genealogiis libri hujus Capite I. adductis videre eſt. Nihil itaqve memoratæ genealogiæ noſtrum turbant calculum, nec Ragnarem Lodbrochem Sigurdi Hringi filium, ſupra locum ei per nos aſſignatum ſummovere altiusve elevare poſſunt.

Tertium contra hanc chronologiæ noſtræ partem argumentum *Saxo* ſuggerit, ubi Ragnaris Lodbrochis proavum facit Gotricum ſeu Gothofredum, Carolo Magno coævum, ac itaqve non ſolum regnum, ſed & nativitatem ejus in ſeculum IX. rejicit; ſuffragante *Erici Pomerani* Chronico, qvod Ragnaris ætatem longe infra illa qvæ nos ei attribuimus tempora ſimiliter deprimit. Qvorum aſſertis, ut & iis qvæ de Lodbroche ac filiis illius Gallici Angliciqve ſcriptores referunt, moti Da-

norum

Danorum chronographi Ragnarem ſeculo IX. vixiſſe communiter exiſtimarunt; & *Hvitfeldius* qvidem regni illius initia ad annum Chriſti DCCCXVIII. refert, mortem ad DCCCLXV. *Lyſchander* eum ab anno DCCCXII. ad DCCCXLI. regnaſſe ſcribit: *Svaningius* anno DCCCXV. regnum inchoaſſe & DCCCXLI. occiſum eſſe ſtatuit.

Ad Saxonem qvod attinet, nos ſuperius Cap. VIII. pag. 333. ubi de illius Gotrico actum eſt, monuimus, relationes illius hoc loco parum ſibi conſtare: et *Crantzius* Dan. lib. IV. Cap. VII. ingentem temporum confuſionem ei heic exprobrat, aſſertionesqve illius *Somnia* vocat. Exigui itaqve ponderis argumentum ex eo contra nos depromi arbitramur.

Nec majoris auctoritatis eſſe exiſtimamus Chronicon qvod Erici Pomerani nomen præfert; qvippe cujus auctor in temporibus dirigendis plusqvam negligens erat, uti ex ſeqventibus abunde patebit: Anno DCCLXXVI. Godefridum cum Carolo Magno congreſſum refert. Ei poſtea (forte poſt aliqvot annos) occiſo, Olaſum ſucceſſiſſe memorat, non additâ regni illius periodo. Hinc Henningum XXVIII. annis regnaſſe ait; atqve poſt eum ad ſceptra aſcendiſſe Ringum & Sywardum, qvorum regni tempus non definit. Exinde Reynerum (Ragnarem) Lothbrochem ad regnum perveniſſe tradit: qvi præter alia non parum temporis reqvirentia geſta Franciam XI. annis vaſtaverit. Ei Ingvarem ſucceſſiſſe memorat; atqve illi Sywardum: omiſſo qvot iſti annis regnaverint. Hinc Anulonem & Sigefridum decennio de rerum ſummâ dimicaſſe ait: atqve poſt illos Reinfri-

dum & Haraldum novem annis. Fugato tandem Reinfrido Haraldum regnaſſe, donec per Sigefridi filios regno pulſus, ab Imperatore Ludovico auxilia petere coactus fuerit anno Chriſti DCCCXXVI.

Nos ſi ab anno DCCLXXVI. rationes ducamus, licet omnes illos reges, qvibus nullos certos annos Chronici auctor aſſignat, prætereamus, eosqve ſolos annos in calculum noſtrum admittamus, qvos ille expreſſis verbis addit, nihilo tamen minus ad annum DCCCXXXIIII. pervenimus. Addantur nunc eorum regum tempora, qvorum annos dicti Chronici auctor exprimere vel neglexit vel non potuit, (qvum eos à tempore penitus excludere illum voluiſſe veriſimile non ſit) & nos eò magis infra annum DCCCXXVI. qvi in calculo illius ultimus eſt, deſcendemus.

Hinc lubrico fundamento calculum ſuum ſuperſtruxiſſe Hvitfeldium, Lyſchandrum & Svaningium apparet. Neqve illos Gallici Angliciqve ſcriptores hic qvicqvam juvare poterunt; cum illa qvæ hi de Lodbroche & filiis ejus habent, ad hunc noſtrum, Sigurdi Hringi filium, illiusqve natos, nullo modo pertineant, uti nos id ſuperius diximus & inferius adhuc repetemus.

Qvarto loco contra noſtrum de Ragnaris Lodbrochis ætate calculum opponi poterit *Epicedii Lodbrochiani*, à Celeberrimo Wormio editi, Stropha XIX. qvæ ita ſonat:

Hiuggum ver med hiorve
Harfagran ſa ek rockva
Meyiar dreng enn um morgin
oc malvin eckiu. *id eſt*:

Pug-

Pugnavimus gladio: Pulchricomum vidi fugere (*crepuſculare* apud *Wormium* habetur, qvaſi vox *rockva* à *rockr*, qvod *crepuſculum* notat, deſcenderet: qvæ tamen hìc pro *hrockva*, qvod *fugere* vel *loco cedere* ſignificat, omiſſâ aſpiratione, ponitur) *virginis amatorem tempore matutino, & confabulatorem viduæ.* Addit *Wormius: Intelligit Haraldum Harfagre* (Pulchricomum) *primum Norvagiæ Monarcham, de qvo conſule editam hiſtoriam noſtro* (Danico) *idiomate.* Haraldus ille anno Chriſti DCCCLIII. natus eſt, ut Ragnarem Lodbrochem ad longe inferiora, qvam qvæ nos diximus, tempora vitam produxiſſe oporteat, ſi cum èo pugnaverit.

Ceterum nulla nos neceſſitas cogit, ut iſtam *Harfagrii* vel *Pulchricomi* vocem ad Haraldum Pulchricomum Norvegiæ Regem referamus, qvippe qvam epithetum eſſe apparet, ad *virginis amatorem* & *viduæ confabulatorem* pertinens. Unde nihil ex hoc loco de Ragnaris Lodbrochis ætate concludi poteſt; qvem cum Haraldo Pulchricomo præliatum eſſe, nuſqvam, qvod ſcio, aliàs extat. Manebit itaqve Lodbrochi huic, Sigurdi Hringi filio, ſuus in ſeculo octavo locus, qvem ei in Chronologia noſtra aſſignavimus, donec meliores iis, qvas nos attulimus, rationes eum inde deturbaverint. Et ſane heic in calculi noſtri ſtabilimentum ipſum Saxonem advocare poſſumus, ubi Ragnarem Lodbrochem cum filiis ſuis, jamtum adultis, Carolum Francorum Regem, poſtea Imperatorem, & Magnum dictum, bello laceſſiviſſe ait; id qvod cum noſtrâ Chronologiâ apprimè convenit, & à veriſimili nihil abludit; cum negare non poſſimus, Saxoni de Ragnaris geſtis plura conſtitiſſe, qvam poſteritas apud noſtrates conſervavit; qvorum notitiam cum

Skioldungorum hiſtoriâ *noſtratibus* periiſſe ſuſpicamur. Ruunt itaqve, *uti ſuperius attigimus*, *illa*, qvæ de Ragnaris ſtemmate à Gotrico vel Godefrido Saxo habet: cum Godefridus hac ratione Ragnare inferior fuerit; qvò & *Eginhardi* teſtimonium pertinet, tradentis, ultimum Carolo bellum fuiſſe cum Godefrido Danorum Rege; qvod *Regino* & alii ad annum DCCCVIII. referunt. Nec magis ea ſibi conſtant, qvæ de præliis Ragnaris & Haraldi illius, qvi Moguntiæ anno Chriſti DCCCXXVI. baptizatus eſt, idem Saxo adfert. Iſta enim non ad Ragnarem Lodbrochem, ſed ad Reginfridum Jutiæ Regulum pertinent, uti ex inferioribus patebit, & vel ipſum Erici Pomerani Chronicon ſatis innuit.

Ragnarem, Sigurdi Hringi filium, in Anglia ab Ellâ Rege necatum eſſe, noſtrates & *Saxo* concorditer aſſerunt. Nos inter terræ illius Reges tres eo nomine vocatos invenimus: unum Auſtralium Saxonum Regem, qvi ab anno CCCCXCI. ad ann. DXIIII. regnavit; alterum Northumbrorum Regem ab anno DLIX. ad ann. DLXXXIX. & tertium *qvi dictos Northumbros ab anno DCCCLXII. ad annum DCCCLXVII. rexit.* Sed nullus eorum in Ragnaris hujus tempora qvadrat. Aut igitur in hoc *Ellæ* nomine erratum eſt: aut, qvod magis credimus, Ella iſte, qvi Ragnarem interfeciſſe perhibetur, exercitus Dux vel alius conſpicuæ dignitatis vir fuit; unde noſtrates, qvi Saxoni hac in re præiverunt, eum forte Regem fuiſſe credidere.

Neſcio an huc pertineat, qvod in ſua de geſtis Regum Anglorum hiſtoriâ ſcribit *Simeon Dunelmenſis*, hunc in modum: Eodem ſane anno (*id eſt* DCCXCIII.) pagani

gani (*Danos eo nomine intelligit*) ab aqvilonali climate na- „
vali exercitu ut aculeati crabrones Britanniam venien- „
tes, hac illacqve ut diriſſimi lupi diſcurrentes, prædan- „
tes, mordentes, interficientes, non ſolum jumenta, o- „
ves & boves, verum etiam ſacerdotes Levitasqve, cho- „
rosqve monachorum atqve ſanctimonialium, veni- „
unt, ut præfati ſumus, ad Lindisfarnenſem Eccleſiam: „
miſerabili prædatione vaſtant cuncta, calcant ſancta „
pollutis veſtigiis, altaria ſuffodiunt, & omnia theſaura- „
ria ſanctæ eccleſiæ rapiunt. Qvosdam è fratribus inter- „
ficiunt, nonnullos ſecum vinctos aſſumunt, perpluri- „
mos opprobriis vexatos nudos projiciunt, aliqvos in „
mare demergunt. Anno DCCXCIIII. prædicti pa- „
gani portum Ecgfridi Regis vaſtantes, monaſterium ad „
oſtium Doni amnis prædarunt. Sed Sanctus Cuthber- „
tus non ſine punitione eos ſinebat abire. Princeps „
qvippe eorum ibidem crudeli nece occiſus eſt ab An- „
glis; & poſt exigui temporis ſpatium vis tempeſtatis „
eorum naves qvaſſavit, perdidit, contrivit, & perplu- „
rimos mare operuit. Nonnulli itaqve ad littus ſunt „
ejecti, & mox interfecti absqve miſericordia. Neſcio, inqvam, an hæc ad Ragnarem Lodbrochem, ejusve in Angliam expeditionem pertineant. Tempora certè ſatis concordant, nec multum à Dunelmenſis relatione noſtrates diſcedunt, qvi Ragnarem naves ad Angliæ littora amiſiſſe, ac poſtea crudeli nece interemtum tradunt.

Hunc eundem Ragnarem, Sigurdi Hringi filium, *Annalium Flateyenſium* auctor cujus verba proximo Capite pag. 377. adduximus, reſpexiſſe videtur, etſi in tempore

illius graviter eum erraſſe, ex iis, qvæ de Ragnaris ætate nuper diſſeruimus, appareat. Nec enim nos iſta ad *Aimonii* Regenarium trahere audemus, licet *Pontanus* (*Hvitfeldii*, ut videtur, & *Lyſchandri* chronographiis inductus) non dubitaverit, illum cum Ragnare Lodbroche unum eundemqve hominem eſſe. Etenim nuſqvam, qvantum ſcio, Regenarius iſte *Lodbrochis* cognomine inſignitur, & nullum ei inter Daniæ Reges locum deberi vel illud arguit, qvod Galliæ arma intulerit, non propriis innixus viribus, ſed auſpiciis Rorici, qvem Pontanus Daniæ Regem vocat, nos Regulum tantum fuiſſe inferius monſtrabimus.

A Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi filio, diverſus plane eſt Lothbrocus ille, qvem ſcriptores Anglici à S. Edmundi Regis aucupe non procul ab anno DCCC-LXX. interemtum perhibent: cujus & necem filii illius Ingvar ac Hubba in dicto Rege ulti ſunt. Iſtius filius etiam fuiſſe videtur Bier Ferrei Lateris, qvi circa ſeculi IX. medium Galliam armis ſuis infeſtavit, ac Lunam Italiæ urbem cepit; qvod noſtrates, poſteriorem hunc Ragnarem ignorantes, ad prioris Ragnaris, Sigurdi Hringi filii, natos perperam referunt, uti ex iis, qvæ ex *Ragnaris Lodbrochis vitâ* & *Olafi Tryggvini hiſtoriâ* ſuperius adduximus, abunde liqvet. Lothbrocum huncce in Dania regnaſſe *Wilhelmus Gemmeticenſis* innuit; qvod de univerſâ Daniâ neutiqvam intelligi poteſt: qvippe qvam illius tempore Gormo Grandævo paruiſſe certum eſt. Fuerit itaqve celebris pirata, vel, ſi mavis, territorii alicujus in Daniâ Dominus: fortè in occidentali Jutiæ littore ſiti; id enim tam feſtina illius in Angliam jactatio in-

nuere

nuere videtur. Regiâ Danorum ſtirpe Lothbrocum genitum fuiſſe *Bromton* teſtatur. Potuit ſuperioris Lodbrochis, Sigurdi Hringi filii, nepos eſſe; qvod tamen ſolâ conjecturâ nititur. Atqve hæc de Ragnare Lodbroche Sigurdi Hringi filio, Daniæ Rege, eiqve cognomine, altero illo Lodbroche, dicta ſunto.

CAPUT XIII.

De ditionis Ragnarianæ diviſione, & de Sigurdo Angvioculo Daniæ Rege.

Expoſitis hactenus iis, qvæ de Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi filio, Daniæ Rege, alteroqve ei cognomine Lodbroche vetuſti ſcriptores tradunt, operis ratio exigit, ut qvid de prioris iſtius poſteris, antiqvæ in hunc uſqve diem apud noſtrates conſervatæ memoriæ ſuppeditant, nunc etiam depromamus. Conſtat autem ex iis, qvæ ex ſæpedicti *Ragnaris*, Sigurdi Hringi filii, *Vitâ* ſuperius Capite X. attulimus, filios illius, tam vivo patre, qvam poſt mortem illius, varias & longinqvas expeditiones ſuſcepiſſe. Tandem in patriam reduces vaſtiſſimam parentis ditionem inter ſe diviſiſſe *Olafi Tryggvini Vita* teſtatur. Verba illius, licet ſuperius libri hujus Capite XI. pag. 375. adducta, heic apponi merentur: En er þeir (*Lodbrokar-ſynir*) komu aptr i riki ſitt, skiptu þeir med ſer rikinu. tok Biorn Jarnſida Uppſalariki, „ Sviþiod alla, oc hvarttveggia Gautland, oc oll þau lond „ er þar liggia til. Sigurdr Ormr i auga hafdi Eygotaland oc allar eyiar, Skani oc Hallland. Hvitſerkr hafdi „

Reid-

„ Reidgotaland oc þar med Vindland. *id eſt*: Cum
„ vero in regnum ſuum rediiſſent *Lodbrochis filii*, illud in-
„ ter ſe diviſerunt. Biornus Ferreum Latus Upſalenſe
„ regnum accepit, Sveciam totam & utramqve Gothi-
„ am, cum omnibus provinciis illùc pertinentibus. Sigur-
„ do Angvioculo ceſſere Eygothia (*Gothia inſularis*) (*in*
„ Chronici Snorrini *verſione Danica pro* Eygothiâ *perperam*
„ *legitur* Jutia.) & omnes inſulæ *Danicæ*, Scania qvoqve
„ & Hallandia. Hvitſercus Reidgothiam (*Jutiam*) & Van-
„ daliam obtinuit.

Ad Biornum Ferrei Lateris (alteri, in Friſiâ, uti ſuperius dictum, mortuo, cognominem) qvod attinet, is ſuam ditionem poſteris ſuis, qvorum nonnullos libri hujus Capite X. pag. 366. recenſuimus) poſſidendam reliqvit.

De Hvitſerki progenie nihil ſcimus: neqve de eo in noſtratium monumentis qvicqvam habetur præter ea, qvæ ex *Ragnaris Lodbrochis Vitâ* ſuperius retulimus. *Saxo* eum ante patrem obiiſſe ſcribit, qvod noſtris planè adverſatur, & omninò erroneum eſſe videtur.

Sigurdus inferiores Daniæ Reges progenuit, Ragnaris filiorum natu minimus, ab oculorum maculis Angvioculus dictus. Expeditiones illius, qvas unà cum fratribus ſuis ſuſcepit, ſuperius attigimus. Verum qvæ poſt accepta rerum gubernacula, tam in regno qvam extra regnum egerit, parùm conſtat. *Olafi Tryggvini vita* ſuperius pag. 375. adducta, uxorem Sigurdo aſſignat Blæjam, (*Helenam* dicti Olafi vita in Codice Flateyenſi nominat) filiam Ellæ illius, qvi patrem ejus Ragnarem occidiſſe perhibetur. Eorum filius erat Hordaknutus, de qvo plura

plura inferius dicentur. A Sigurdo qvoqve genus duxit Haraldus Pulchricomus, primus Norvegiæ Monarcha, uti ex tabellâ genealogicâ in calce Capitis X. ſuperius poſitâ conſtare poteſt.

CAPUT XIV.

De Jutiæ Regulis, Sigurdi Hringi, Ragnaris Lodbrochis & filiorum illius vaſallis.

Huc uſqve de Regibus locuti ſumus, qvi Danicas terras ſummâ cum poteſtate gubernârunt: nunc Regulos interſeremus, recenſitorum monarcharum nonnullis ſubditos tributariosqve.

Hos inter primus nominari meretur Olafus Anglus, Kinrici filius, qvem Northumbriâ profugum Sigurdus Hringus recepit, Jutiæqve præfecit, teſtante *Olafi Tryggvini vitâ*, cujus verba ex Arnæ Magnæi membranis ſuperius Capite VIII. pagg. 320. 321. exſcripſimus. Kinricus Olafi pater, ſecundum memoratam hiſtoriam, genitus eſt fratre Moaldæ Craſſæ, matris Ivaris Vidfadmii Daniæ Regis. *Olafi Tryggvini vita*, qvæ codice Flateyenſi continetur, Kinricum Moaldæ, non fratris filium, ſed fratrem fuiſſe perhibet, conſentiente *Snorrini Chronici* verſione Danicâ pag. 116. id qvod cum temporum ratione minus concordat. Olafus Jutiæ diu præfuit, primum vivente Sigurdo Hringo, ac deinde ſub Ragnare Lodbroche, illius filio & in monarchiâ Danicâ hærede. Hic Olafus absqve omni dubio ille eſt, qvem *Saxo* libb. VII. & VIII. Olonem vocat, Vegetiqve cognomine decorat, ac

Scaniæ à Ringone, Haraldi Hilditannis nepote & antagoniſtâ præfectum eſſe ait; qvemadmodum nos ſuperius libri hujus Cap. V. pag. 281. & Cap. VIII. pag. 324. id uberius adſtruximus. Ab eodem qvoqve Olafo Saxonem *Anglici* cognomen, qvod Gormonum ſuorum medio aſſignat, mutuatum fuiſſe, Cap. VI. pag. 282. conjecimus, & tutò credi poſſe arbitramur.

Olafo in Jutiæ præfecturâ & Reguli dignitate ſucceſſit filius illius Grimus, *Canus* vel *Cineraceus* cognomine dictus: qvem, Ragnari Lodbrochi vectigalem fuiſſe temporum ſeries evincit.

Poſt Grimum in Jutiâ regnavit filius ejus Audulfus cognomine *Auſtgius* id eſt *Robuſtus*. *Audgium*, id eſt *Divitem* alii eum cognominant. Hunc Ragnaris Lodbrochis filiis vectigalem fuiſſe dicit *Olafi Tryggvini vita* in codice Flateyenſi: ipſius Ragnaris vaſallum verius eum faciunt ſæpius memoratæ *Arnæ Magnæi* membranæ, qvibus in hac re conſentit *Snorrini Chronici* verſio Danica pag. 117.

Audulfi filius erat Gormus, *Stultus* ac *ſine liberis* cognomine dictus, qvi patri in Jutiâ ſucceſſit. Ragnaris Lodbrochis vaſallum fuiſſe *Snorrini Chronici* verſio Danica pag. cit. tradit; qvod licet alibi, qvantum ſcimus, non extet, falſum tamen non eſſe, ex temporum ſerie apparet. Ex hoc Gormo, illum, qvem *Saxo* libro VIII. ab abſtruſarum rerum cognoſcendarum aviditate commendat, & Gotrici patrem facit, efformatum eſſe, libri hujus Cap. VIII. pag. 332. conjecturam fecimus. Hujus noſtri tempore rerum in Holſatiâ potiebatur Comes qvidam, nomine Arnfinnus, qvi propriam ſororem inceſto amore complexus, filium ex eâ genuit. Id facinus ne

in

in vulgus emanaret, infantem recens natum ſervorum ſuorum duobus exponendum clam tradidit; qvi eum in ſilvam, *Myrkvid*, id eſt *Opacum ſaltum* (*Snorrini Chronici* verſio Danica *Dyſterholt* appellat, id qvod idem denotat) dictum, detulerunt, ibiqve ſub arbore qvâdam depoſitum reliqverunt. Accidit autem (*Olafi Tryggvini vitam* in ſæpius allegatis Arnæ Magnæi membranis, heic ſeqvimur) ut prædicti Regis Gormi ſervorum nonnulli, qvos ille negotiorum qvorundam expediendorum cauſâ in Holſatiam ablegaverat, hoc eodem tempore per memoratam ſilvam domum verſus iter facerent. Ubi cum, ſupervenientibus forte tenebris, inter ſaltus pernoctarent, vagientem non procul infantem audivere; qvem anxiè mox qværentes tandem invenerunt, pretioſis involutum pannis, obnuptumqve exterius linteo, qvod in pectore illius nodus connectebat, aureos tres annulos complexu ſuo interius abſcondens. Inventum itaqve puerum ſervi ad dominum ſuum Gormum detulere, qvi eum enutriri curavit, *Knutumqve* (id eſt *Nodum*) appellavit, nominis ratione à nodo illo, qvi linteo puerum circumdanti innexus, aureos iſtos annulos in pectore pueri ſervaverat, deducto. Arnfinnum, Knuti patrem, *Olafi Tryggvini vita*, qvæ codice Flateyenſi continetur, territorium qvoddam in Saxonia rexiſſe, ac Caroli Magni vaſallum fuiſſe refert; id qvod vix ſubſiſtere poteſt. Rei qvoqve geſtæ circumſtantias eadem hiſtoria non nihil variat; ac inter alia, puerum repertum eſſe tradit, non à ſervis, ſed ſatellitibus binis Gormi Regis, ad *Opacam* illam *ſilvam* venationem cum ſuis exercentis. Ad *Knuti* nomen qvod attinet, nobiſcum conſentit *Sveno Aggonis*, (qvi eum

Siwardi filium & Ragnaris Lodbrochis nepotem fuiſſe credidit) ubi eum à materni cinguli *nodo* nomen accepiſſe memorat. Knutum Gormus ſollicite educari curavit; qvi ingenii acumine corporisqve agilitate alios longè anteibat. Hinc Gormus eum valde dilexit; cumqve improlis eſſet, filii loco ſemper habuit. Provectior Gormus in morbum incidens lethalem, multos amicorum cognatorumqve convocavit, petebatqve ab iis, ut poteſtatem ſibi facerent, Regem ſibi, qvem liberet, ſubſtituendi; ſe vero, permiſſu eorum Knuto omne regnum, reliqvamqve ſubſtantiam ad illum augendum neceſſariam, teſtamento legaturum. Datum eſt illud voluntati Regis extremæ, ſtudiis civium valde culti; atqve hoc modo Knutus Gormi, patris adſcititii, ſucceſſor deſignatur. Obſervationem heic meretur, Regem fiduciarium, inconſulto ſummo principe, ſucceſſorem ſibi, ſubditorum tantum voluntatibus fultum, in regno hæreditario conſtituere potuiſſe: niſi per *cognatos* Gormi, Ragnaris Lodbrochis filios intelligere velimus, qvi ſeptimo gradu lineæ inæqvalis eum cognatione attingebant. Nobis tamen veriſimilius videtur, clientelares illius temporis Reges, ſubditosqve illorum, eo potiſſimum jure vixiſſe, qvo gaudebant anteqvam in ſuperioris poteſtatem ditiones illæ perveniſſent, ſive regna iſta electiva eſſent, ſive ſucceſſiva: ſupremæqve poteſtatis Reges, tributis & conventionibus, qvæ interceſſerint, contentos fuiſſe. Forte etiam conſenſus populi, talisqve vaſalli teſtamentum à ſupremi Regis confirmatione dependebat.

Mortuo Gormo Knutus ſucceſſit, adoptivus illius filius, ac moribundo, uti dictum eſt, ſucceſſor datus.

Hic

Hic ut primum rerum gubernacula accepit, proclamari latè fecit, magna ſe illi munera daturum, qvi ſtemma ſuum (qvod hactenus latuerat) verè ſibi indicaret. Ita de genere ſollicitum duo viri aliqvando acceſſere, qvi ſe Comitis cujusdam in Saxoniâ ſervos eſſe dicebant; retuleruntqve Arnfinnum Holſatiæ Comitem ex propriâ ſorore filium qvondam progeneraſſe, ſibiqve, tunc temporis ipſi ſervitio addictis, exponendum tradidiſſe; ſe autem eum in Opacam ſilvam deportatum, ſub arbore qvadam depoſuiſſe. Enumeratis dein omnibus expoſiti infantis notis, rei veritas ex ſimili Knuti repertorum relatione agnita omnium calculo comprobabatur. Indicibus ſtemmatis Knutus pecuniam ad libertatem redimendam dedit: Illos nec minus ſervos, qvi expoſitum olim invenerant, libertate donavit: ac utrosqve amplis ditionibus præfectos, Comitum titulis ornavit. Ob tantam in ſervos munificentiam cognomen Knuto adhæſit, ut *Þræla-knutr*, id eſt *Knutus Servius*, diceretur. Alio cognomine *Inventus* (*Expoſititium* nos alibi eum vocamus, qvod idem eſt) dictus eſt, vernaculè *Knutr Fundne*: unde deſumtam eſſe puto *Lodne-knuti* appellationem, qvam Canuto, Erici Pueri (ut volunt) filio, rerum Danicarum ſcriptores communiter imponunt. Knutus Servius glorioſè qvidem, ſed paucis tantum annis regnavit.

Knuto filius ejus ſucceſſit, qvem ille nutritii ſui & adſcititii patris nomine Gormum vocaverat. Gormum huncce *Olafi Tryggvini vita* in codice Flateyenſi primò *Heimskium*, id eſt *Stultum*, ac deinde in provectiori ætate *Rikium*, id eſt *Potentem*, cognominatum eſſe tradit. *Stulti* cognomen non ad hunc Gormum Knuti filium, ſed alte-

rum, Audulfi filium, refert *Olafi Tryggvini vita* in membranis Arnæ Magnæi: ſuffragante *Snorrini Chronici* verſione Danicâ pag. 117. Ad *Potentis* appellationem qvod attinet, illa huic Gormo jure competere poterit: qvippe qvi majores ſuos potentiâ multum ſuperavit. Etenim Ragnaris Lodbrochis filiorum beneficio non ſolum in Jutiâ regnavit, ſed & (teſtantibus ſæpius allegatis *Arnæ Magnæi* membranis, ut & *Snorrini Chronici* verſione Danicâ pag. 118.) toti Daniæ, eorum vice præfuit; cum ſcilicet illi, poſt mortuuum patrem peregrinis expeditionibus exteriſqve bellis occuparentur. Sigurdo Angvioculo inprimis carus erat, ac filium illius Hordaknutum educavit; eidemqve, poſt mortuum patrem Sigurdum, in pueritia ad ſceptra venienti, tutoris officium præſtitiſſe videtur. Ex hoc Gormo & Olafo Anglo, cujus ſuperius mentio facta, coaluiſſe videtur Gormo Anglicus apud Saxonem libro IX. Nec mirum, noſtrum hunc Gormum à ſcriptoribus Danicis inter genuinos Reges recenſeri: cum ampliori ditioni præfuerit, qvam ſinguli Lodbrochis filii, poſtqvam regnum inter eos diviſum erat. Gormus hicce an liberos reliqverit, vel improlis deceſſerit, in incerto eſt; de poſteris ſanè illius altum apud noſtrates eſt ſilentium. Hic recenſitorum Jutiæ Regulorum chronologiam ſubnectere libet, ex conjecturis qvidem magnam partem concinnatam, cum temporum tamen rerumqve circumſtantiis benè concordem, ac itaqve vero, uti putamus, ſimillimam.

Olafum Kinrici filium Sigurdo Hringo natu majorem fuiſſe, cognationis illorum gradus innuunt: natus itaqve erit anno Chriſti DCLXX. In Jutiâ regnare eum

cœ-

cœpiſſe ſtatuimus anno Chriſti DCCXXXVIII. ætatis ſuæ LXVIII. Grimum Cineraceum progenuiſſe conjicimus anno Chriſti DCXC. ætatis XX. Sedecim annis regnaverit, ut mortuus ſit anno Chriſti DCCLIV. ætatis ſuæ LXXXIV.

Grimus Cineraceus, anno Chriſti DCXC. natus, regnare cœperit anno Chriſti DCCLIV. ætatis ſuæ LXIV. Audulfum progenuerit anno ætatis XX. Chriſti DCCX. Biennio eum regnaſſe ſtatuimus, mortuumqve anno Chriſti DCCLVI. ætatis ſuæ LXVI.

Audulfum Robuſtum anno Chriſti DCCX. natum eſſe conjecimus. Patri ſucceſſerit anno Chriſti DCCLVI. ætatis ſuæ XLVI. Gormum progeneraverit anno Chriſti DCCXXX. ætatis XX. regnaverit duobus annis, mortuus anno Chriſti DCCLVIII. ætatis ſuæ XLVIII.

Gormus, qvem alii *Stultum*, alii *ſine liberis* dicunt, natus erit anno Chriſti, ut diximus, DCCXXX. regnare cœperit anno Chriſti DCCLVIII. ætatis ſuæ XXVIII. regnaverit XXXIV. annis, obieritqve anno ætatis LXII. Chriſti DCCXCII.

Knutum Expoſititium anno Chriſti DCCLX. natum eſſe ſtatuimus. Nutritio ſuo Gormo ſucceſſerit anno Chriſti DCCXCII. ætatis XXXII. Gormum genuerit anno Chriſti DCCLXXVIII. ætatis ſuæ XVIII. Qvadriennio regnaſſe eum ponimus, ac itaqve mortuum anno ætatis XXXVI. Chriſti DCCXCVI.

Gormus, anno Chriſti DCCLXXVIII. natus, patri Knuto ſucceſſerit anno Chriſti DCCXCVI. ætatis ſuæ XVIII. Lodbrochis filiorum, in peregrinis expeditionibus occupatorum, vicarius fuit, totamqve Daniam rexit,

rexit. Hordaknutum, *Sigurdi Angvioculi filium*, anno Chriſti DCCCX. ex noſtro calculo natum, educavit, ejusqve, poſt mortuum anno DCCCXX. patrem, in regimine curator *fuiſſe* videtur. Gormum XXXII. annis ad ſceptra *ſediſſe* ponimus, deceſſiſſeqve anno Chriſti DCCCXXVIII. ætatis ſuæ qvinqvageſimo.

CAPUT XV.

De poſterioribus Jutiæ Regulis.

Hi fuere Reguli, qvi Daniæ monarchis *cognati*, centum circiter annis eorum beneficio in Jutiâ regnarunt. Sunt autem alii Jutiæ Reguli, de qvorum generis origine non æqvè conſtat. Horum primi recenſitorum ultimis tempore æqvales ſunt. Agmen illorum Godefridus ducit: de qvo & ſucceſſoribus illius ſeqventia habet *Olafi Tryggvini vita*, qvam ex binis Arnæ Magnæi membranis ſæpius antea allegavimus. A þeim tima er Karlamagnus var konungr. þa red fyrir Jotlandi ſa konungr er *Godefridus het. hann drap Hrærek* Friſa hofdingia oc *skattgilldi* Friſi. ſidan for Karlamagnus konungr med mikinn her i moti Godefrido. þa var Godefridus drepinn af ſialfs ſins lidi. en Hemingr brodir hans tekinn til konungs. Hemingr hellt fram lidinu til motz vid Karlamagnus konung. þar til er þeir funduz vid a þa er Egda heitir. þar ſættuz þeir. en Hemingr andadiz vetri ſidarr. þa giordoz konungar at Jotlandi Sigfrodr (Sigraudr) frændi Godefridi. en annarr het Hringr Anulo. þeir deildo um rikit. oc drogu badir her at ſer. Um ſidir attu þeir

mikla

mikla orroſtu. oc lauk ſva at hvartveggi þeirra fell. I „
þeirri orroſtu fellu X. þuſundir oc DCCCC. oc XL. „
(tiu þuſundir oc fimm hundrat oc ſextigir) manna. „
þa tok konungdom ſa madr er Haralldr het. hann vár „
fimm vetr konungr adr hann bardiz vid Reinfridum „
ſon Godefridi. I þeirri orroſtu het Haralldr þvi til ſigrs „
ſer. ef hann kæmiz or orroſtu þeirri. at hann skylldi „
taka skirn med ollu skulldalidi ſinu. I þeim bardaga „
feck hann ſigr. oc for litlu ſidarr med konu ſina oc Ha- „
rek brodur (brodur ſon) ſinn oc mikit Dana lid til fun- „
dar vid Lodue ſon Karlamagnuſs. er þa var keiſari. „
Var Haralldr þa skirdr oc hans menn i Meginzuborg. „
a dogum Paskalis pava. for þa Haralldr aptr i Danmork. „
oc med honum Ansgarius biskup. oc skirdi hann þar „
margt manna. Haralldr vard ſottdaudr. en Harekr fræn- „
di hans tok konungdom. oc red fyrir Jotlandi. þar til „
er Guthormr brodur ſon (modur brodir) hans bardiz „
vid hann. þa var lidit fra holldgan vars herra Jeſu Kri- „
ſti atta hundrat ara ſextigir oc tvau ar. I þeirri ſokn fel- „
lu þeir badir oc alt konunga kyn þat er med þeim var. „
utan ſveinn einn lifdi eptir er Harekr het. oc vard „
ſa konungr ſidan. Ansgarius biskup for þa enn i Dan- „
mork til fundar vid Harek. oc skirdi hann. Harekr „
let giora kirkiu i Ripum. en Haralldr (Harekr) hafdi „
adr latit giora i Heidabæ. Ansgarius biskup andadiz „
þrim vetrum eptir bardaga þeirra Hareks oc Gu- „
thorms. þa er ſagt at Harekr kaſtadi kriſtni oc do litlu „
ſidarr. Eptir þat voru konungar heidnir Sigfrodr oc „
Halfdan. *id eſt.* Carolo Rege Magno imperante, Ju- „
tiæ Rex præfuit, Godefridus dictus. Hic Hrærecum „

„ Friſorum principem occidit, & Friſos ſub tributum
„ miſit. Poſtea Rex Carolus Magnus numeroſo cum
„ exercitu contra Godefridum movit; Godefridus au-
„ tem tunc à propriis militibus occiſus eſt, fraterqve il-
„ lius Hemingus Rex creatus; qvi Regi Carolo Magno
„ cum exercitu obviam proceſſit, donec convenirent
„ ad amnem, qvi Egda (*Egdora*) vocatur. Ibi pax utrin-
„ qve facta eſt: Hemingus autem proximè ſeqvente an-
„ no deceſſit. Tunc Reges in Jutia facti ſunt Sigfrodus
„ Godefridi cognatus, & alius nomine Hringus Anulo.
„ Hi de regno invicem contendentes exercitum utrin-
„ qve conſcripſerunt, ac ingenti prælio conflixerunt,
„ qvod utriusqve illorum cæde finiebatur. Iſto prælio de-
„ cem millia hominum, nongenti & qvadraginta (qvin-
„ genti ſexaginta) occubuere. Tum Rex factus eſt vir
„ qvidam, nomine Haraldus, Is qvinqvennium regna-
„ vit, anteqvam cum Reinfrido Godefridi filio prælio de-
„ certaret. Eo prælio Haraldus, obtinendæ victoriæ gra-
„ tia, voto ſe obſtrinxit recipiendi cum univerſâ familiâ
„ ſacri baptiſmatis, ſi ſalvus evaderet. Itaqve victor fa-
„ ctus, paullo poſt cum uxore ſua & fratre (fratris ſui
„ filio) Hareco & magno Danorum comitatu, ad Ludovi-
„ cum, Caroli Magni filium, qvi tunc Imperator erat,
„ profectus eſt, ſacroqve ſe baptismate cum ſuis omni-
„ bus ablui fecit, Moguntiæ, ſedente Paſchali Pontifice.
„ Hinc in Daniam regreſſus eſt Haraldus, Ansgario E-
„ piſcopo comitatus, qvi magnam populi partem ſacro
„ fonte ibi abluit. Haraldus morbo deceſſit. Cui Ha-
„ recus cognatus ejus ſucceſſit, Jutiæqve præfuit, do-
„ nec Guthormus fratris illius filius (avunculus illius)

præ-

prælium cum eo committeret. Tunc temporis e- „ lapſi fuere ab incarnatione Domini noſtri Jeſu Chriſti „ DCCCLXII. anni. Illo certamine uterqve eorum cæ- „ ſus eſt: ceciditqve univerſa Regia proſapia, qvæ iſti „ bello interfuit. Unicus ſaltem puer ſupervixit, nomine „ Harecus, qvi poſtea Rex factus eſt. Ansgarius Epi- „ ſcopus tunc in Daniam ad Harecum denuò profectus „ eſt, eumqve baptizavit. Harecus Ripis templum ex- „ ſtrui curavit; ceterum Haraldus (Harecus) aliud pri- „ us Heidabæi (*Sleswici*) ædificari curaverat. Ansgarius „ Epiſcopus triennio poſt conflictum Hareki & Guthor- „ mi fato functus eſt. Harecus tunc Chriſtianam religio- „ nem abjeciſſe dicitur, & paullo poſt vitam cum mor- „ te commutaſſe. Ei Sigfrodus & Halfdanus ſucceſſere: „ Reges à Chriſtiana religione alieni.

Eadem fere habentur in *Olafi Tryggvini vita*, qvæ Codice Regio Flateyenſi continentur: pauculas qvæ occurrunt differentias, nos occaſione datâ in ſeqventibus annotabimus. Ceterùm notari hoc loco meretur, interpolatio illa, qvam *Snorrinum Chronicon*, verſionis Danicæ pag. 112. & ſeqventibus paſſum eſt. Traditur ibi, tempore Caroli Magni, Daniæ (non Jutiæ tantum) ſceptra geſſiſſe Godefridum vel Gotricum; eiqve à ſuis occiſo ſucceſſiſſe Hemingum, qvi cum Carolo fœdus ſanciverit. Poſt eum Regium in Jutia nomen aſſumſiſſe Sigurdum vel Sigrodum, Godefridi filiâ ac Sigurdo Norvegiæ Rege natum, & Ringum Annulonem. Sigurdo Sælandia & Scania paruiſſe mox dicuntur: Ringo autem Jutia. Hi de ſummâ rerum prælio decertaſſe memorantur, qvod, præter utrumqve eorum, hominum decem mil-

lia qvingentos & qvindecim abſumſerit. Poſthæc Daniæ regnum invaſiſſe traditur princeps qvidam, nomine Haraldus; cui, cum qvinqvennio regnaſſet, Ragnar Lodbroch bellum intulerit. De Chriſtiana religione aſſumendâ votum tunc concepiſſe Haraldus dicitur, ac obtentâ de hoſte victoriâ cum fratre Hareco & uxore Ludovicum Imperatorem adiiſſe, ſacrumqve cum ſuis baptiſma Moguntiæ ſuſcepiſſe. Mox in Daniam Ansgario Epiſcopo comitatus rediiſſe perhibetur; additurqve: ſcribere nonnullos, hunc Haraldum, à Ragnare Lodbroche expulſum, Ludovici Imperatoris ope in Daniæ Regnum reſtitutum eſſe, tempore Sigurdi Angvioculi; ditionem tamen illius ultra Jutiam ſeſe non extendiſſe. Poſt Haraldum, morbo extinctum, Harecus frater illius regnaſſe perhibetur, fruſtra ſe ei opponente Erico, Sigurdi Angvioculi filio. Hunc cum avunculus illius Guttormus anno Chriſti DCCCXXVI. bello laceſſeret, uterqve eorum concidiſſe traditur, cum univerſâ Daniæ Regum proſapiâ, unico tantum excepto Sigurdi Angvioculi filio, qvi poſtea ad ſceptra pervenerit. Hunc Ansgarius, denuò in Daniam profectus, baptizaſſe dicitur; additurqve; iſtum Regem, Harecum, Ripis ſacram ædem exſtruxiſſe, cum alteram Slesvici prior Harecus antea ædificari curaſſet. Triennio exinde Ansgarius deceſſiſſe ſcribitur, anno Chriſti DCCCXXIX. poſteaqve Harecus ad paganiſmum relapſus mortem oppetiiſſe. Hactenus interpolatio iſta; cujus in Snorrini Chronici codicibus manuſcriptis ne minimum qvidem fundamentum apparet. Et certè, qvæ de Jutiæ Regibus memorata Snorrini Chronici verſio pag. cit. uſqve ad pag. 120. profert,

à Snor-

à Snorrii manu haud ſunt profecta, ſed deſumta primùm ex *Olafi Tryggvini* ſeorſim editâ *vitâ*: ac deinde à recentiore qvodam interpolata & corrupta: idqve, veluti apparet, ut eo melius cum Saxonis relationibus convenire poſſent. Nunc poſteriores hoſce Jutiæ Regulos ſingulatim examinabimus.

Primus eorum, uti nuper diximus, Godefridus eſt, qvi anno Chriſti DCCLXXXII. legatos ad Carolum Magnum miſit. Legati iſti in *Reginonis* chronico *Altdeni* et *Hoſmundus* nominantur: in *Fuldenſibus* autem *Annalibus* prior illorum *Halpdani* vocatur; Halfdanum & Aſmundum nomine fuiſſe clarum eſt. *Danorum Regem* Godefridum appellant *Annales Fuldenſes*; qvem in Jutiâ tantum rerum potitum ex *Olafi Tryggvini vitâ* conſtat; non tamen ſolum, uti ex hiſtoriarum collatione patet. Legatos itaqve ad Imperatorem, ut ei maximè vicinus, miſiſſe videtur. *Adamus Bremenſis* eum tam potentem fuiſſe tradit, ut Friſos, Nordalbingos, Obotritos & alios Sclavorum populos ſub tributum miſerit. Nos militiæ præfectum à ceteris Regulis eum conſtitutum fuiſſe exiſtimamus. Eâ ratione is, qvi magnam Jutiæ partem proprio jure tenuit, ditionem ſuam extra eam extendere potuit, fortè uſqve ad Weſtfaliam, qvam poſtea Danis rebellem factam, ac ab Haraldo & Reginfrido, de qvibus inferius dicetur, ad obſeqvium redactam eſſe, *Regino* ad annum DCCCXIII. innuit, ſuffragantibus incerti auctoris *Annalibus Francicis* de Pipino Carolo M. & Ludovico. Godefridi genus noſtratium monumenta reticent. Gormi filium Saxo facit, qvod ad Gormum illum, qvi Stulti cognomine vocatus eſt, & Knutum Expoſititium filii loco habuit, refer-

ferri poſſet, niſi eum ſine liberis obiiſſe conſtaret. Hvitſerco, Ragnaris Lodbrochis filio, genitus eſſe potuit, ac eâ ratione abſoluto jure in Jutiâ regnaſſe; neqve enim Hvitſerki illius in Jutiâ & Vandaliâ ſucceſſor usqvam exprimitur. Nihil tamen absqve præviâ literarum auctoritate, qvæ hic omnino deeſt, pronunciare audemus. Tributum, à Godefrido Friſis impoſitum, qvam ſuperbè avareqve exactum ſit, *Ubbo Emmius* Rer. Friſic. lib. V. exponit. Godefridum anno Chriſti DCCCX. à proprio ſatellite interemtum *Annales Fuldenſes* & *Regino* teſtantur.

Hemingus Godefrido ſucceſſit, frater illius ſecundum *Olafi Tryggvini vitam*: patruelem Godefridi *Adamus Bremenſis* vocat: *Sigebertus* filium fuiſſe ſcribit: nepotem, nempe Olafo Godefridi filio prognatum, eum facit Chronicon, qvod *Erico Pomerano* vulgò adſcribitur. Hemingus cum Carolo Magno pacem compoſuit, limite regnorum Eydorâ fluvio conſtituto, obiitqve anno Chriſti DCCCXII. teſtibus *Reginone* & pluribus vetuſtis Annalibus.

Sigfrodum & Hringum Anulonem Hemingo in Jutiâ ſucceſſiſſe *Olafi Tryggvini vita*, cujus verba nuper adduximus, ait. Hringus ille in Flateyenſi codice perperam Hergeir vocatur: ſcribæ, absqve dubio, culpâ. Exteri ſcriptores Sigefridum & Anulonem appellant, omiſſo *Hringi* nomine, qvod aliàs *annulum* ſignificat. Sigefridum Godefridi nepotem fuiſſe volunt; qvem *Olafi Tryggvini vita*, generaliori voce, cognatum illius vocat. Anulo Herioldi (Haraldi) cujusdam, Regio ut credere par eſt ſangvine prognati, nepos fuiſſe perhibetur. Hos du-

os ſceptra attigiſſe magis qvam geſtaſſe ex eo apparet, qvod uterqve eorum dicto anno DCCCXII. mutuo prælio conciderit. Etenim cum inter eos de diviſione regni non conveniret, comparatis copiis & commiſſo prælio ambo moriuntur, victoriâ tamen penes Anulonis partem manente, uti hæc in *Annalibus Fuldenſibus* & *Reginonis* chronico ad dictum annum habentur. Decies mille nongentos qvadraginta viros iſto prælio cecidiſſe, memorati ſcriptores tradunt: XM. DCCCC. LX. ait *Olafi Tryggvini vita*, qvæ Codice Flateyenſi continetur: *Arnæ Magnæi* membranarum altera XM. D. LX. habet: *Adamus Bremenſis*, qvi prædictum prælium in Ludovici pii tempora perperam rejicit, undecim millia hominum eo periiſſe ſcribit.

Sigefrido & Anulone occiſis, victrix hujus pars Herioldum & Reginfridum, defuncti Domini fratres, ad Regiam dignitatem allevârunt, teſtibus *Reginone* & *Fuldenſibus Annalibus* ad ann. DCCCXII. Herioldus noſtris Haraldus appellatur, in Codice Flateyenſi corruptiſſimè Herdus dictus. Haraldum & Reginfridum memorato anno DCCCXII. ad Imperatorem Carolum concorditer legatos miſiſſe, ex *Reginone* liqvet; qvi & eos, communibus copiis, Weſtfalos, dominium eorum detrectantes, anno ſeqventi DCCCXIII. perdomuiſſe innuit, conſentientibus incerti auctoris *Annalibus Francicis* de Pipino, Carolo M. & Ludovico. Eodem anno Godefridi Regis filii, & ex primoribus Danorum non pauci, qvi patriâ profugi apud Svecones exulârant, domum reverſi, Haraldum & Reginfridum prælio adorti, eos regno expulerunt, prout ad annum DCCCXIII. *Regino* & memorati incerti auctoris *Annales* habent,

bent. Seqventi anno, qvi DCCCXIV. fuit, Haraldus & Reginfridus, reparatis viribus in Daniam regreſſi, cum Godefridi filiis prælium commiſerunt; qvo Godefridi filiorum unus cecidit: Reginfridus qvoqve occiſus; Haraldus vero, deſperatis rebus ad Ludovicum Pium, nuper tunc Imperatorem factum, ſe conferens, auxilium illius imploravit, teſtantibus prædictis incerti auctoris *Annalibus*. Reginfridum Godefridi filium fuiſſe, ac itaqve Haraldi hoſtem credidit *Olafi Tryggvini vitæ* auctor. Concordes eos vixiſſe, ac Godefridi filiis communibus viribus obſtitiſſe, ex citatis ſcriptorum locis clarum eſt; qvicqvid in contrarium aſſerant Chronicon, qvod *Erici Pomerani* nomen præfixum habet, & *Adamus Bremenſis*: qvorum illud Reinfridum & Haraldum novem annis de rerum ſummâ decertaſſe tradit: hic Reginfridum ab Haraldo regno pulſum memorat. Anno DCCCXV. Ludovicus Imperator Haraldo, priori anno ad ſe profugo, contra Godefridi filios copias ſubminiſtravit: qvæ tamen, prævalentibus in Daniâ dictis Godefridi filiis, re infectâ in Germaniam rediere, prout *Fuldenſes* & incerti auctoris de Pipino, Carolo & Ludovico *Annales* teſtantur. *Sigebertus Gemblacenſis* hanc auxiliarium Ludovici militum expeditionem in Daniam ad ann. DCCCXVI. refert. Seqventibus annis Haraldum, Imperatoris auxiliis ſuffultum, Godefridi filios infeſtaſſe, ex ſæpedictis incerti auctoris *Annalibus* ad ann. DCCCXVII. colligi poteſt. Anno DCCCXIX. in ſocietatem regni aliqvo modo receptum iidem *Annales* innuunt; confirmante id *Sigeberto*, qvi ad hunc eundem annum, Haraldum in regnum Danorum à Ludovico remiſſum ſcribit. Anno DCCCXXI.

in-

inter Haraldum & Godefridi filios omnia pacata fuiſſe, in ſæpedictis *Annalibus* traditur. Sic anno ſeqventi DCCCXXII. tam Haraldum qvam Godefridi filios legatos ad Imperatorem è Daniâ miſiſſe ibidem habetur. Anno DCCCXXIII. inter eos lites de novo exortas, inde patet, qvod Haraldus, dicto anno, Imperatorem acceſſerit, *auxilium petens contra filios Godefridi, qvi eum patria pellere minabantur*, uti loqvuntur ſæpedicti anonymi *Annales* de Pipino, Carolo M. & Ludovico. Anno DCCCXXV. Ludovicus Imperator cum Godefridi filiis pacem fecit; qvi & anno ſeqventi legatos ad eum pacis ac fœderis cauſa miſerunt. Hoc eodem anno DCCCXXVI. Haraldus cum uxore ſuâ & magna Danorum multitudine veniens Moguntiam, ibidem cum iis, qvos ſecum adduxerat, baptizatus eſt, teſtantibus incerti auctoris *Annalibus*, & iis, qvos *Fuldenſes* vocant. *Sigebertus* Haraldi filios unà cum patre baptizatos ſcribit, idqve ad annum DCCCXXV. refert. *Adamus Bremenſis* eâ qvoqve vice baptizatum ſcribit fratrem Haraldi Horicum, eiqve partem Friſiæ ab Imperatore in feudum conceſſam. Horicus ille in *Olafi Tryggvini vitâ* Harecus nominatur, atqve in *Arnæ Magnæi* codicum uno Haraldi frater dicitur: in altero, ut & Flateyenſi, Haraldi fratre genitus perhibetur. *Fuldenſes Annales* eum Roruc appellant, ac exiguam Danici regni partem poſtea accepiſſe innuunt, prout inferius dicetur. In baptiſmi Haraldiani tempore graviter errat *Gotfridus* presbyter *Viterbienſis*, in ſuo Pantheo, qvi eum ſuosqve ſalutari undâ ablutos ſcribit, ſedente ad imperii clavum Cæſare Lothario, Ludovici Pii filio. Verſus illius hac de re ita ſonant:

Solus in imperii Lotharius arce reſedit,
Jureqve Teutonicis Romana monarchia ſedit,
Juraqve Teutonicus Cæſar in urbe dedit:
Tunc Rex Danorum baptiſma recepit Heroldus,
Filius ipſius cum matre puer Manigoldus.
Et reliqvi populi chriſma tulere ſui.

Hæc de Haraldi & Godefridi filiorum contentionibus, ac baptiſmo Haraldi *Adamus Bremenſis* parum diſtinctè refert lib. I. Cap. XV. qvaſi Haraldus, cum primùm regno pulſus Imperatorem Ludovicum adiret, Chriſto nomen dediſſet; qvod ita ſe non habere, ex ſuperioribus manifeſtum eſt. Ad votum Haraldi de Chriſtiana religione ſuſcipiendâ, cujus *Olafi Tryggvini vita* meminit, qvod attinet, id longè ſerius qvam ibi dicitur conceptum eſſe videtur: fortè poſt annum DCCCXXIII. cum ſcilicet inimicitiæ inter eum & Godefridi filios recrudeſcerent. Et non potuit Haraldus, poſt tam crebram cum Francis & Saxonibus Chriſtianis converſationem de religione eorum non benè ſentire. Suſcepto baptiſmo Haraldus in Daniam mox regreſſus eſt, Ansgario comitatus, qvi biennio ibi manſit, multosqve ad veri Dei notitiam perduxit, teſte *Adamo Brem.* lib. I. Cap. XVI. Haraldo autem diuturnâ qvies non dabatur. Etenim anno DCCCXXVII. à Godefridi filiis conſortio regni ejectus Daniâqve expulſus eſt. Qvos cum Imperator Ludovicus anno ſeqventi DCCCXXVIII. conciliare vellet, ac in eam rem, omnes ferè Saxoniæ magnates convocaſſet, Haraldus rerum gerendarum nimis cupidus, condictam & per obſides firmatam pacem rupit, incenſis ac direptis aliqvot Danorum villis. Qvâ injuriâ accenſi Godefridi filii,

tranſito flumine Eydorâ, Imperatoris milites, nil adverſi metuentes, caſtris exuunt, eaqve diripiunt. Mox miſſâ ad Imperatorem legatione exponi curant, qvam inviti & qvantâ neceſſitate compulſi hæc fecerint; eſſe ſe ad æqvas conditiones paratos, poſſeqve Imperatorem ita ſeſe in hac re gerere, ut firma in poſterum pax maneat. Reſtitutum paulo poſt Haraldum ex *Adami Bremenſis* lib. I. Cap. XVI. colligi ſatis claré poteſt. Ansgarius enim illum anno DCCCXXVI. in Daniam ſecutus, biennium ibi manſit. Inde ad Imperatorem reverſus, Svecicam legationem in ſe ſuſcepit. Qva perfuncturus cum Daniam tranſiret, Gislemarum ſocium ſuum apud Haraldum ibi reliqvit, anno, ut apparet, DCCCXXIX. vel qvi proximè ſeqvitur. Hic ille eſt Haraldus, qvem cum Ragnare Lodbroche toties conflixiſſe, Chriſtianum factum ſacram ædem Slesvici extruxiſſe, tandemqve ad paganiſmum relapſum eſſe *Saxo* ſcribit, prout nos illius relationem ſuperius Cap. X. pag. 356. & ſeq. compendio exhibuimus. Verum illa, qvæ de Haraldi & Ragnaris ſynchroniſmo à Saxone & recentioribus rerum Danicarum ſcriptoribus traduntur, fundamento carere, abundè, ut credimus, ex ſuperioribus patent: confuſioni vero iſti occaſionem dediſſe videtur Ragnaris & Reginfridi nominum convenientia; ad qvam nos antea digitum intendimus libri hujus Cap. XII. pag. 392. Qvod de Haraldi apoſtaſiâ Saxo ſcribit, indubiam apud nos fidem non invenit, cum *Adamus Bremenſis* & alii, qvotqvot illius meminere ſcriptores veteres, ne verbum qvidem eâ de re habeant. *Olafi Tryggvini vita* impietatem iſtam poſteriori Hareco, de qvo inferius, impingit, &

Haraldum morbo deceſſiſſe tradit. Ad templum vero Slesvicenſe qvantum attinet, illius ædificationem Haraldo huic attribuit *Olafi Tryggvini vita* in codice Flateyenſi, ubi illud ab Herdo extructum eſſe tradit: ita enim corruptum Haraldi nomen ibi legitur, uti ſuperius dictum eſt. *Arnæ Magnæi* membranarum una eundem illius conditorem facit: altera vero Hareco, qvi ei proxime ſucceſſit, pietatem illam adſcribit, ſuffragante *Adamo Bremenſi* lib. I. Cap. XXV. Haraldum huncce inter univerſales Daniæ Reges Danicarum Rerum ſcriptores collocant, Klackiiqve cognomine vulgò inſigniunt. Ab univerſæ Daniæ regimine qvantum abfuerit, abundè ex ſuperius dictis eluceſcit. In Klackii cognomine perſonarum error eſt, qvippe qvod ad hunc non pertinet, ſed alterum Haraldum, qvi Comitis dignitatem officiumqve in Jutiâ (aliis Holſatiâ) geſſiſſe ſcribitur, ac, ſecundum noſtratium aſſertiones, pater fuit Thyræ, qvæ Gormo Grandævo, Daniæ Regi nupſit, eiqve Haraldum Cærulidentem, Daniæ itidem Regem, peperit. Iſtum Haraldum Klackium, Comitis officio poſtea ſeſe abdicaſſe, ac in Galliam profectum, Chriſtianam religionem ſuſcepiſſe, nec unqvam in Daniam rediiſſe tradit *Olafi Tryggvini vita*, qvæ Flateyenſi Codice continetur. Haraldus Jutiæ Regulus qvamdiu vixerit, nobis non ſatis conſtat: *Hvitfeldius* eum anno Chriſti DCCCXLVI. deceſſiſſe ſcribit; qvod licet antiqviorum ſcriptorum auctoritati, qvantum ſcimus, non innitatur, abſurdi tamen nihil inferre, ex ſeqventibus patefiet.

Harecus Haraldo ſucceſſit: qvem *Olafi Tryggvini vita* ſuperius adducta anteceſſoris ſui *cognatum* appellat; e-

um-

umqve ſine dubio intelligit, qvi cum Haraldo Moguntiæ baptizatus eſt. Codex Flateyenſis eum hoc qvoqve loco *Haraldi fratris filium* vocat: qvo adhuc clarius oſtenditur, de prædicto Hareco Moguntiæ baptizato ſermonem eſſe. Idem Danici ſcriptores intendunt, qvi Haraldi Moguntiæ baptizati fratrem, Ericum communiter appellant, eumqve Daniæ regnum invaſiſſe, tandemqve cum Guthormo mutua cæde periiſſe tradunt: addentes eundem cum fratre Haraldo ſacro fonte ablutum eſſe. Verum ſunt qvæ dubitandi anſam ſuggerunt, ſitne hic Harecus, Haraldi ſucceſſor, idem cum eo, qvi Moguntiæ baptizatus eſt, an vero hi duo homines diverſi ſint: imò ſunt qvæ perſvadent, ſolum nomen his commune fuiſſe. *Adamus Bremenſis* Horici Danorum Regis, qvi hic ipſe eſt Haraldi ſucceſſor, meminit lib. I. Cap. XXV. his verbis: *Hoc regalis munificentiæ dono* (ſc. Epiſcopatu Bremenſi ſibi collato) *confeſſor Dei* (Ansgarius) *valde gaviſus in Daniam feſtinavit: ubi Regem Danorum Horicum inveniens Chriſtianum reddidit. Is ſtatim eccleſiam in portu maritimo erexit apud Sliaſuuig, datâ pariter licentiâ, ut qvisqvis vellet in regno ſuo, fieret Chriſtianus.* Circa annum Chriſti DCCCXLVII. hæc acta eſſe, Adami contextus monſtrat; qvæ in Harecum anno DCCCXXVI. converſum & baptizatum benè non qvadrant. Viderunt id *Pontanus Meurſius*qve, ac igitur Ericum ſuum ab Ansgario tunc non ad Chriſtum converſum, ſed in verâ fide ac pietate magis firmatum eſſe ſcribunt. Ceterum, qvo minus hanc limitationem admittamus, præter allata Adami verba, in cauſâ eſt *Archiepiſcoporum Bremenſium hiſtoria*, qvæ Ansgarium Daniæ Regem *baptizaſſe*, & primam Sleſvici eccle-

 ſiam

ſiam conſtruxiſſe, diſertis verbis perhibet. De Hareco, Moguntiæ baptizato, ſeqventia habent *Annales Fuldenſes*, qvi eum Roruc appellant: Anno DCCCL. Roruc na-
„ tione Nordmannus (*i. e. Danus*) qvi temporibus Hludo-
„ uuici Imperatoris, cum fratre Haraldo vicum Doreſta-
„ dum jure beneficii tenuit, poſt obitum Imperatoris,
„ defuncto fratre, ad Hlutharium, qvi patri ſucceſſit in
„ regno, proditionis crimine falſò (ut fama eſt) inſimu-
„ latus, tentus & in cuſtodiam miſſus eſt: unde fugâ
„ lapſus in fidem Hludouuici Regis Orientalium Fran-
„ corum veniens, cum per annos aliqvot ibi moraretur,
„ & inter Saxones, qvi confines Nordmannis (*Danis*)
„ ſunt, manſitaret, collecta Danigenarum non modica
„ manu, cœpit piraticam exercere, & loca regni Hlu-
„ tharii ſeptentrionalis Oceani littoribus contigua vaſtare;
„ venitqve per oſtia Rheni fluminis Doreſtadum, & oc-
„ cupavit eam atqve poſſedit. Et cum à Hluthario prin-
„ cipe ſine periculo ſuorum non poſſet expelli, cum
„ conſilio ſenatus, legatis mediantibus, in fidem rece-
„ ptus eſt, eâ conditione, ut tributis cæterisqve nego-
„ tiis, ad Regis ærarium pertinentibus, fideliter inſer-
„ viret, & piraticis Danorum incurſionibus obviando
„ reſiſteret. *De eodem in dictis* Annalibus *hæc leguntur ad Annum DCCCLVII.* Roruc Nordmannus (*Danus*), qvi præ-
„ erat Doreſtado, cum conſenſu Domini ſui, Lutharii
„ Regis, claſſem duxit in fines Danorum, & conſenti-
„ ente Horico Danorum Rege (*de qvo mox dicetur*) par-
„ tem regni, qvæ eſt inter mare & Egidoram, cum ſo-
„ ciis ſuis poſſedit. Ejusdem planè ſenſus ſunt qvæ ex Pithœi Annalibus Francicis *Pontanus* profert pag. m. 105.

hunc

hunc in modum: Annales Francorum, qvos à Pi- „
thœo editos habemus, ferè eodem hoc tempore, anno „
nimirum præcedente octavum & octingenteſimum „
qvinqvinqvageſimum, (*DCCCLVII*) iterum Erici(*ita* „
Pontanus & alii recentiores rerum Danicarum ſcriptores voca- „
re ſolent, qvos exteri Horici nomine appellant) qvi Dore- „
ſtado fuit præpoſitus, mentionem injiciunt; qvaſi is „
Lotharii auſpiciis, ductâ in fines Normannorum claſ- „
ſe, eam regni Danici partem, qvæ inter Eidoram & „
mare eſt, ab Erico (*Horico*), qvem Regem Danorum „
iidem Annales appellant, una cum ſociis obtinuerit. „
Ex adductis locis clarè ſatis apparet, Harecum, qvi Moguntiæ baptizatus eſt, Haraldo (qvem ante annum DCCCL. mortuum eſſe ex allatis *Annalium Fuldenſium* verbis liqvet; imò ante annum DCCCXLVII. uti ex *Adamo* colligitur) non ſucceſſiſſe, ſed patriâ qvaſi extorrem, diu poſt illius obitum, piraticam exercuiſſe, donec tandem, alterius in Daniâ Regis beneficio, exiguam regni partem acciperet: idqve triennio poſt necem illius Hareci, qvi Haraldo ſucceſſit, uti mox dicetur. Diverſi itaqve ab invicem ſunt Harecus, Haraldi Daniæ Reguli ſucceſſor, & Harecus, qvi Moguntiæ baptizatus, Doreſtado præfectus, tandemqve in Danici regni, vel rectius partis illius ſocietatem admiſſus eſt: & hic Harecus, altero in Daniâ regnante, Doreſtadi ſedem habuit, piraticisqve Danorum incurſionibus validè reſtitit. Nec dubitamus qvin is ille ſic Roricus, cujus auſpiciis Regenarium piraticam exercuiſſe, ex Aimonio *Pontanus* refert, cujus verba nos ſuperius Cap. XI. pag. 379. exſcripſimus. De Hareki (non Doreſta-

reſtadenſis illius, ſed ejus qvi Haraldo in Jutiâ ſucceſſit) morte in *Annalibus Fuldenſibus* ad ann. DCCCLIV. hæc leguntur: Ibi (*in Dania*) inter Horuc Regem Danorum „ & Gudurm filium fratris ejus, qvi eatenus ab eo re- „ gno pulſus, piratico more vixit, ortâ contentione, ita „ ſe mutuâ ſede mactaverunt, ut vulgus qvidem pro- „ miſcuum innumerabile caderet, de ſtirpe vero Regiâ „ niſi unus puer nullus remaneret. Hanc Regii ſangvinis effuſionem ad dictum annum DCCCLIV. *Sigebertus* qvoqve refert. Liber vero qvi inſcribitur: *Geſta Normannorum in Franciâ*, iſtam lanienam anno DCCCLIII. contigiſſe perhibet. *Olafi Tryggvini vitâ* annum DCCCLXII. præfert; cui hac in re minorem fidem habemus, licet illa Anſgarium (qvi anno DCCCLXV. deceſſit) triennio tantum poſt memoratam cladem vixiſſe addat: iſta enim ad ſuam mentem hiſtoriæ auctor absqve dubio diſpoſuit, non vero in antiqvioribus monumentis invenit. Guttormum, qvi cum Hareco pugnans unà interiit, fratris illius filium fuiſſe teſtantur *Annales Fuldenſes*, *Adamus Bremenſis* & *Olafi Tryggvini vitæ* exemplar unum penes Arnam Magnæum: alterum Hareci avunculum eum facit, qvod nullibi aliàs, qvantum ſcimus, invenitur; Codex Flateyenſis fratres fuiſſe tradit.

Hareco occiſo, in Jutiæ regno alter Harecus ſucceſſit; qvi, ut *Olafi Tryggvini vita* in codice Flateyenſi perhibet, ex univerſo Jutiæ Regum ſangvine ſolus ſupererat. Illius *Adamus Bremenſis* lib. I. Cap. XXVIII. meminit, ac *Juniorem Horicum* vocat: reſpectu prioris, qvi in communi illâ principum lanienâ periit. Danicarum rerum ſcriptores Ericum, more ſuo, eum appellant, & in univer-

verſalium Regum catalogo collocant, *Puerum* vulgò cognominatum. Hic eſt Harecus, qvi (uti nos *Fuldenſium Annalium* fide nuper retulimus) Harecum Doreſtadenſem, Haraldi Moguntiæ baptizati fratrem, anno Chriſti DCCCLVII. in regni partem admiſit, ditione, haut ex modicâ parte, Regii ſangvinis internecione, nunc auctus. Harecus hicce ex acerrimo Chriſtianæ religionis perſecutore, ſalutaribus Ansgarii monitis mitior factus, fidem ſuſcepit; atq; ab eodem baptizatus ſacram ædem Ripis extrui curavit. Poſt obitum Ansgarii, qvi anno DCCCLXV. contigit, Harecum Chriſtianæ religioni renunciaſſe, nec diu exinde ſuperſtitem fuiſſe noſtrates tradunt.

Sigfrodum & Halfdanum *Olafi Tryggvini vita* Hareco ſucceſſiſſe ait: Reges à Chriſtiana religione alienos. Horum in *Annalibus Fuldenſibus* ad annum DCCCLXXIII. his verbis mentio occurrit: Venerunt qvoqve illuc (*Wormatiam ad Ludovicum Germaniæ Regem*) Sigifridi (*Sigfrodi*) Danorum Regis legati, pacis faciendæ gratia inter illos & Saxones, & ut negotiatores utriusqve Regni invicem tranſeuntes, & mercimonia deferentes, emerent & venderent pacificè; qvæ omnia Rex ex ſua parte rata fore permiſit. *Et paulo poſt*: Deinde menſe Auguſto, cum apud urbem Mediomatricorum generalem conventum habuiſſet, Halbdeni frater Sigifridi Regis etiam ſuos ad eum nuntios miſit, eadem poſtulans, qvæ frater ſuus poſtulaverat, videlicet ut Rex legatos ſuos ad fluvium nomine Egidoram, qvi illos & Saxones dirimit, mitteret, & illi, eisdem occurrentes, pacem ex utrâqve parte omni tempore ſtabilem confirmarent. Obtulerunt qvoqve iidem nun-

„ tii gladium Regi pro munere, aureum habentem ca-
„ pulum, obnixè flagitantes, ut Rex dominos ſuos, ſu-
„ pradictos ſcilicet Reges, in loco filiorum habere di-
„ gnaretur, & illi eum qvaſi patrem venerari vellent
„ cunctis diebus vitæ ſuæ; jurabant etiam juxta ritum
„ gentis ſuæ per arma ſua, qvod nullus deinceps de re-
„ gno Dominorum ſuorum, regnum Regis inqvietare,
„ aut alicui in illo læſionem inferre deberet. Qvæ om-
„ nia Rex gratulanter accepit, & poſtulata ſe facturum
„ ſpoſpondit.

Huc pertinent *Adami Bremenſis* verba, in calce Capitis XI. pag. 382. ſuperius a nobis exſcripta, qvibus Sigafridi & Haldani mentio ſimiliter injicitur. Danorum expeditiones, in exteras nationes his temporibus ſuſceptas, *Olafi Tryggvini vita* ſeqventibus ediſſerit: qvæ Latinè tantum exhibenda, tam in Regio Flateyenſi, qvam binis Arnæ Magnæi codicibus, immediatè ſubjunguntur illis, qvæ ex eâdem hiſtoriâ Capitis hujus initio, de Jutiæ Regulis, tam veteri lingvâ Danicâ (qvâ conſcripta eſt) qvam Latinâ, attulimus: Anſgario (*ait*) proximus in
„ Epiſcopali cathedra (*Bremenſi*) Rimbertus ſedit. Illius
„ Epiſcopatus anno duodecimo (*id eſt anno Chriſti DCCC-*
„ *LXXVI.*) Dani & Nordmanni regionem, qvam ſuâ lin-
„ gvâ Kerlingalandiam *ſeu Kerlingiam* (Burgundiam *habet*
„ *Codex Flateyenſis ſed minus rectè*) dicunt, armis infeſta-
„ runt. Ludovicus vero Junior, Ludovici filius (*id eſt,*
„ *Ludovicus, Ludovici Germaniæ Regis filius, Caroli Craſſi &*
„ *Carolomanni frater*) adverſus eos exercitum miſit, eo-
„ rumqve XIII. (IV. *eſt in Codice Flateyenſi*) millia occidit.
„ Qvinqvennio exinde elapſo (Proximo exinde anno, *eſt*
in

in Codice Flateyenſi ; Ludovicus autem anno Chriſti DCCC- „
LXXXII. deceſſit) Ludovicus obiit. Eo anno Dani & „
Nordmanni vindictam qværentes, cum ingenti exer- „
citu adverſo Rheno profecti, vicinas qvasqve urbes ac „
ædes ſacras in cineres redegerunt; præcipuo Aqvisgra- „
nenſis urbis templo pro ſtabulo eqvorum uſi ſunt; Co- „
loniam (*Agrippinam*) omnesqve Rheno adjacentes „
urbes uſqve ad Moguntiam incendiis vaſtarunt. „
Tunc Carolus frater Lotharii (*in Codice Flateyenſi* Lu- „
dovici *habetur: idqve rectius*; *cum Carolus Craſſus Impera-* „
tor hic intelligi debeat) exercitum iis obviam miſit. Utri- „
qve ad amnem Moſam convenere. In Danorum exer- „
citu erant Sigfrodus & Gudfrodus Reges, filiiqve Ra- „
gnaris Lodbrochis; qvi cum Imperatore pacem fece- „
runt, ſacrumqve baptiſma ſuſceperunt. Paulo poſt, „
rupto fœdere, Occidentalem Franciam invaſerunt, in- „
feſtaqve arma usqve ad Pariſios geſtarunt, urbemqve „
flammis dederunt. Deinde iis cum permagno exerci- „
tu Arnaldus (*Arnulfus*) occurrit, qvi tunc Imperator e- „
rat, eorumqve nongentos (octingentos *eſt in Codice* „
Flateyenſi; *Snorrini Chronici verſio Danica* novem millia „
habet, qvod nullibi aliàs occurrit) occidit. Poſthæc Da- „
norum exercitus gradum ſiſtebat. Tum à nativitate „
Domini noſtri Jeſu Chriſti nongenti vel circiter anni ef- „
fluxerant. Septemdecim exinde annis elapſis Huno, „
Bremenſis in Saxonia Epiſcopus, conſecratus eſt. Hacte-
nus Olafi Tryggvini vita: ſed minus diſtinctè; nos ſin-
gula illuſtrabimus. De excurſione illâ, qvam duodeci-
mo Rimberti Archiepiſcopi anno, id eſt Chriſti DCCC-
LXXVI. Dani feciſſe perhibentur, cum fructu legi po-

terit *Pontanus*, qvi prolixè tradit, qvomodo ii dicto anno patriâ egreſſi, primò Saxones invaſerint; hinc, perculſâ & clade affectâ Friſiâ, ad Batavos & Gelros verſi, Ultrajectum exſciderint; inde, lectis Galliæ littoribus, Ligeris oſtia ingreſſi, Nannetum, Andium, Turonum, Pictonumqve agros diripuerint; hinc in Aqvitanos verſi clades incolis intulerint. Partem Rhenum ſubeuntem utriusqve ripæ incolas malè tractaſſe ait: Friſiam præ ceteris iis objectis regionibus fortunatam fuiſſe; qvippe cujus incolæ piratarum iſtorum partem, cum ingenti prædâ ad ſe venientem, majoriqve adhuc lucro inhiantem, ſpoliis exuerint, ac occiderint; ſociosqve eorum, ſeqventi anno ingenti numero ſibi imminentes, ad internecionem deleverint. De ultimâ hac Danorum in Friſiâ clade loqvitur *Adamus Bremenſis* lib. I. Cap. XXXV. atqve ex illis X. millia CCCLXXVII. ibi periiſſe ſcribit, plures inſuper, dum fugâ ſalutem qværerent, in tranſitu fluviorum necatos eſſe addens. De *Kerlingiæ* nomine monendum, illud, ſecundum *Æneam Sylvium*, à Carolo Martello inditum eſſe provinciæ inter Seqvanam & Ligerim, qvæ antea Gaudiana dicebatur. Verum *Siffridus Presbyter* Franciam Germanicè ita dici ſeqventibus innuit: *Rex eorum* (Francorum) *Carolus Martellus, Francos in duas partes diviſit: partem illam, in qvâ Seqvana & Ligeris, qvæ Gaudiana dicebatur, currunt,* Franciam, *& populos* Francigenas *ideſt à Francis genitos, appellavit, & in Teutonico* Kerlingen, *idiomate ſuo: alteram vero partem, in qvâ Rhenus currit,* Franconiam, *cujus populi* Franci *dicuntur.* Hoc *Kerlingiæ* nomen, cum veteri Danicâ lingvâ loqventibus contumelioſum videretur, (*Vetularum terram* denotare poteſt,)

ipſis

ipſis, eo tempore placuiſſe, ac itaqve dictam provinciam iſtâ appellatione, cujus interpretatio in eorum idiomate tam obvia erat, apud illos communitèr veniſſe veriſimile eſt, & cum allato Olafi Tryggvini vitæ loco congruit. Clades à Ludovico accepta, ad annum DCCCLXXIX. pertinet: eò enim anno, *Reginone* teſte, Ludovicus ad Carbonariam Silvam, in loco qvi dicitur Thimnin, innumeram Nordmannorum multitudinem occidit. *Annales Fuldenſes* iſta ad annum DCCCLXXX. referunt, ac qvinqve Nordmannorum millia cæſa eſſe perhibent. *Pontanus* in tempore errat, ubi hæc anno DCCCLXXVII. geſta eſſe ſcribit. Qvæ ſeqvuntur, ab *Adamo Bremenſe* lumen mutuari poſſunt, lib. I. Cap. XXXV. ita ſcribente:
Nordmanni plagam, qvam in Freſiâ receperunt, in to- „
tum imperium ulturi, cum Regibus Sigafrido & Go- „
dafrido, per Rhenum & Moſam & Scaldam fluvios „
Galliam invadentes, miſerabili cæde Chriſtianos ob- „
truncarunt; ipſumqve Regem Carolum (*Craſſum*) bel- „
lo petentes, ludibrio noſtros habuerunt. In Angliam „
qvoqve miſerunt unum ex ſociis Haldan (*hic absqve du-* „
bio eſt Sigfrodi in regno ſocius) qvi dum ab Anglis occi- „
deretur, clam conſtituerunt in locum ejus Gundre- „
dum. Flebilis illa civitatum templorumqve devaſtatio partim anno DCCCLXXXI. partim anno ſeqventi contigit, prout de eâ re luculenter teſtantur *Sigebertus*, *Regino*, *Annales Fuldenſes*, &, qvi reliqvos ſecutus eſt, *Joh. If. Pontanus*. Carolus, cujus in adducto Olafi Tryggvini vitæ loco mentio injicitur, Imperator eſt, Craſſus vulgo cognominatus: qvi cum Nordmannis, in loco Haslou prope Moſam conſidentibus, fœdus pepigit, qvo Godefrido

Regi, baptiſmum cum Chriſtianâ fide ſuſcipienti, Friſia in beneficium conceſſa eſt; Sigefrido autem & reliqvis Nordmannis immenſa pecunia data, jurantibus ſe Caroli regno nunqvam exinde infeſtos fore. Fœdus iſtud ſcriptorum nonnulli ad annum DCCCLXXXII. referunt: alii anno ſerius factum eſſe tradunt: ſunt & qvi anno DCCCLXXXIV. concluſum eſſe ſcribant. Ad Ragnaris Lodbrochis filios qvod attinet, qvi Danorum huic exercitui interfuiſſe, in adducto Olafi-Tryggvini vitæ loco traduntur, omninò ſtatuendum: aut memoratæ hiſtoriæ auctorem (qvi Ragnaris Lodbrochis Daniæ Regis, filios, Sigurdi Hringi nepotes, Galliam infeſtaſſe ſcivit, uti ex illius loco, ſuperius Cap. XI. pag. 375. allato, patet) tempora confudiſſe, iſtasqve Lodbrochidarum expeditiones huc rejeciſſe; aut, qvod magis placet, hos Lodbrochis filios ad poſteriorem Ragnarem (de qvo in calce Cap. XII. pag. 394. ſuperius egimus) pertinere. Neqve enim nos *Pontani* auctoritate hic qvicqvam movemur, qvi prioris iſtius Ragnaris Ringi filii natos, Danicis hiſce excurſionibus interfuiſſe paſſim ſcribit, eosqve *Horici ſive Rorici, Ordvigi, Rodulfi & Godefridi nominibus appellat.* Etenim iſta ſine ullo antiqvo auctore à Pontano traduntur: & recenſitos homines (qvorum nomina ex *Adami Bremenſis* libr. I. Cap. XXXIII. deſumta ſunt) Ragnare Lodbroche, priore vel poſteriore, natos eſſe, nemo veterum dixit; etiamſi credi poſſit, nonnullos eorum poſterioris filios fuiſſe. Prioris certè filiorum nomina qvæ à Danicarum rerum ſcriptoribus ut & noſtratibus recenſentur, omninò ab his diverſa ſunt: nec video, qvâ ratione ex *Saxonis* Fridlevo, Godefridus extrui poſſit; qvos tamen

men unicum virum fuiſſe *Pontano* pag. 113. aſſerere placuit. Godefridus (qvem Chriſtianam religionem cum Friſiæ feudo ſuſcepiſſe nuper dictum) dum res novas moliretur, Caroli Craſſi juſſu occiſus eſt, anno, ut nonnulli tradunt, DCCCLXXXV. alii anno DCCCLXXXVI. interemtum verius ſcribunt. Eodem anno Sigefridus, rupto fædere, cum triginta armatorum millibus Lutetiam Pariſiorum perrexit; ubi qvid ab una & alterâ parte factum ſit, ut & qvid inſeqventibus annis hi Nordmanni ſeu Dani egerint, apud *Pontanum* pagg. 113. 114. legi poteſt. Interea poſt Carolum Craſſum ad Imperialem dignitatem evectus eſt Arnulfus, qvi Nordmannorum graſſationibus occurrere volens, infeliciter primò cum eis pugnavit: ſed poſtea reparatis viribus, eos non procul à Lovanio, Brabantiæ oppido, adortus ſingulos ferè concîdit. Cæſorum numerum noſtrates exteris ſcriptoribus longè minorem referunt. *Regino* ex innumerabili multitudine vix fuiſſe reſiduum ſcribit, qvi ad claſſem adverſum nuncium reportaret. *Adamus Bremenſis* centum millia paganorum periiſſe auctor eſt. *Annales Fuldenſes* tantam multitudinem flumine merſam tradunt, ut cadaveribus interceptus alveus ſiccus appareret; adduntqve: cæſos eo prælio duos Nortmannorum ſeu Danorum Reges, Sigifridum & Godefridum; cui & *Albertus Stadenſis* conſentit. De fide utriusqve jure ambigi poteſt, „ *ait* Pontanus *pag.* 115. Nam de Sigefrido fortaſſis ut „ concedam, de Godefredo, Lotharii genero, qvomodo „ concedi aut verum id eſſe poteſt? Godefredum enim „ in Batavâ inſulâ dolo Ducis Henrici jam ante interfe- „ ctum, fide Reginonis aliorumqve idem accuratè refe- „

ren-

„ rentium modò memoravimus. Et accedunt Friſio-
„ rum annales, qvi teſtantur, tacentibus licet Franco-
„ rum chronologis, etiam Sigefridum, Godefredi ſoci-
„ um ac necis vindicem, cum tota æſtate Franciam af-
„ flixiſſet, ſub autumnum in Friſiam celeriter regreſſum,
„ ſive ut tumultuantem à morte Godefridi præſens com-
„ peſceret, ſive ut hibernorum ſedem qvietam eam ha-
„ beret; ibiqve (qvam verè neſcio) ferro peremptum
„ occubuiſſe. In Nordmannicæ hujus cladis anno computando ſcriptores valde diſſentiunt. Anno DCCCXC. contigiſſe eam vult *Conradus à Liechtenau*, Urſpergenſis Abbas: Ad ſeqventem annum DCCCXCI. *Regino* & *Annales Fuldenſes* illam referunt: Annus DCCCXCIII. *Petavio* placet Rationar. Temp. Part. I. lib. VIII. Cap. XI. *Sigebertus Gemblacenſis* annum DCCCXCV. habet: *Ubbo Emmius* DCCCXCVI. *Annales Islandici*, qvi Regio codice Flateyenſi continentur, annum DCCCCII. præferunt; qvibus huc in re conſentit Chronicon, qvod *Erico Pomerano* vulgò adſcribitur. Anno DCCCC. vel circiter memoratam cladem accidiſſe, *Olafi Tryggvini vitæ* auctor perhibet: qvi cum addat, ſeptendecim poſt illam annis Hunonem Archiepiſcopum Bremenſem conſecratum eſſe, eam hoc ipſo ad annum DCCCCI. refert. Etenim Huno, uti in ſuâ Metropoli *Crantzius* teſtatur, ſedere cæpit anno qvinto Conradi Imperatoris: qvem, omiſſis Chronologorum hac in re diſſenſionibus, anno DCCCCXIII. imperium orditum cum *Carione* ſtatuimus; ut eâ ratione Huno conſecratus ſit ànno Chriſti DCCCCXVIII. id qvod cum *Adami Bremenſis* & *Hiſtoriæ Archiepiſc. Bremenſ.* calculo convenit. Hæc de Sigfrodo & Halfdano, Jutiæ Regibus,

dicta

dicta ſunto; qvorum prior in memoratâ Danis per Arnulfum illatâ clade, vel paulo poſt, uti dictum eſt, periit: poſteriorem circa annum DCCCLXXX. in Angliâ cæſum eſſe, ex allatis Adami Bremenſis verbis concludi poteſt: & tertium ſociorum Godefredum, noſtratibus omiſſum, circa annum DCCCLXXXVI. Caroli Craſſi conſiliis occiſum eſſe, ſuperius qvoqve dictum eſt.

Hic continua illa poſteriorum Jutiæ Regulorum ſeries, qvam *Olafi Tryggvini vitæ* auctor exhibendam ſibi propoſuit, abrumpitur. Perſeqvitur qvidem dictus auctor inchoatæ relationis contextum, hoc modo: „Duodecimo ab Hunonis (*Archiepiſcopi Bremenſis*) conſecratione anno, Henricus Imperator, ejus nominis primus, in Daniam expeditionem movit, Danosqve, tum minis, tum blandimentis, tum etiam bellis ad Chriſtianam religionem ſuſcipiendam perduxit: nec prius deſtitit, qvam ſe Chriſto nomina daturos pollicerentur. Exinde Huno Epiſcopus Frodium Regem, qvi tunc Jutiam rexit, (*in Codice Flateyenſi eſt*: qvi tunc in Jutiâ regnavit) acceſſit, eumqve cum univerſo populo baptizavit. Tunc reparata ſunt templa, qvæ Heidabæi (Sleſvici) & Ripis deſolata fuerunt: tunc & Aroſiæ templum ædificatum eſt. Poſthæc Frodius Romam legatos miſit, atqve tres in Jutiam Epiſcopos, Agapiti (Aganippi *in Cod. Flat.*) Pontificis conſilio, conſecrari curavit. Heredus ad ſedem Heidabæenſem (*Slesvicenſem*) Lifdagus ad Ripenſem & Rimbrandus (*Cod. Flat.* Rimbertus) ad Aroſienſem conſecrati ſunt. Acta ſunt hæc anno à nativitate Domini DCCCCXLVIII. regni Ottonis Magni duodecimo. *His ſeqventia ſtatim auctor ſubnectit*:

„ *nectit*: þar var fyrr fra horſit konungatali, er þeir redu
„ fyrir Danmork Sigfrodr oc Halfdan. Eptir þa red fy-
„ rir Donum ſa konungr er Helgi het. hann atti barda-
„ ga vid Olaf Sviakonung. oc fell Helgi þar. en Olafr
„ red lengi ſidan fyrir Danmork oc Sviþiod. oc vard
„ ſottdaudr. Eptir hann toku riki i Danmork Gyrdr oc
„ Knutr. en eptir þa Siggeirr. *hoc eſt*: A Regum ſerie
„ ſuperius diſceſſum eſt, ubi Sigfrodus & Halfdanus
„ Daniæ præfuerunt. Poſt illos Danis Rex imperavit,
„ nomine Helgius. Hic cum Olafo Svecorum Rege pu-
„ gnans occubuit; Olafus vero longo exinde tempore
„ Daniam & Sveciam rexit. Poſt illum regnum in Da-
„ niâ ſuſceperunt Gyrdus & Knutus: & poſt eos Sig-
„ geir.

Perſeqvi, inqvam, his videtur *Olafi Tryggvini vitæ* auctor cœptam à ſe Jutiæ Regulorum ſeriem; verum nos proximè ſeqventi Capite monſtrabimus, fruſtrà heic dictum auctorem eſſe: nec ullum ex his ab eo recenſitis Regulis, poſt prædictam Nordmannorum ſeu Danorum cladem vixiſſe. De Frodio qvoqve, qvem Ottoni Magno & Agapito (*Secundo*) coætaneum in Jutiâ regnaſſe memorat, oportuniore loco agemus.

CAPUT XVI.

De Hordaknuto & Gormo Grandævo, Haraldi Cærulidentis patre, ac Danicæ monarchiæ reſtauratore ſecundo.

Sic binis Jutiæ Regulorum ſeriebus abſolutis, ad Daniæ monarcharum ramum ſtylum transferemus: eum-

eumqve ad tempus interruptum porrò continuabimus. Ultimus qvem in iſto ordine ſuperius recenſuimus, Sigurdus Angvioculus erat, Inſularum Danicarum, Scaniæ & Hallandiæ Rex.

Sigurdi filius erat Hordaknutus, (i. e. *Knutus Hordenſis*) qvem *Olafi Tryggvini vita* ita dictum aſſerit, eò qvod in Hordâ, Jutiæ provinciâ, (hodie Hardſyſſel) in lucem editus eſſet. Illius nomen retulit Hordaknutus, vel, uti alii ſcribere malunt, Hardeknutus, Knuti Magni, Daniæ & *Angliæ Regis* filius, qvem ſcriptores vulgo Canutum Durum vocant. *Sveno Aggonis* Cap. V. nomen iſtud à provinciâ, ex qvâ natalem duxit originem, profluxiſſe, rectius ſcribit: licet id ad eum Knutum non pertineat, ſed noſtrum huncce, Sigurdi Angvioculi filium. Hunc recens natum Gormus, Knuti Servii filius (qvi in parte Jutiæ, Regis, ſed beneficiarii, nomen tunc geſſit) pro ſeculi more aqvâ aſperſit, patrisqve ſui nomine appellavit. Nec minus ei intra pueritiæ annos conſtituto, nutricii officium præſtitit. De Hordaknuto nihil nobis antiqvæ memoriæ ſuggerunt, niſi qvod Sigurdo patri, in provinciarum Danicarum, qvas ille gubernaverat, (inſulæ Danicæ hæ fuere, Scania & Hallandia) regimine ſucceſſerit. Qvod cum in pueritiâ illius factum ſupponamus, ſub tutelâ dicti Gormi primùm regnaſſe ſtatuimus, donec adultior ſceptris gerendis ipſe ſufficeret.

Ad hæc tempora pertinere videntur Heiligo, Olaph, Ehnob, Giurd, Sigerich, Reges, qvorum *Adamus Bremenſis* lib. I. Cap. XL. & XLIV. meminit, his verbis: Audivi autem ex ore veraciſſimi Regis Danorum Sve- „ ni (*Eſtridii*) cum nobis ſtipulantibus atavos ſuos nume- „ raret;

„ raret; Poſt cladem, inqvit, Nordmannicam Heiligo-
„ nem (*in Daniâ*) regnaſſe comperi, virum populis ama-
„ bilem propter juſtitiam & ſanctitatem ſuam. Cui
„ ſucceſſit Olaph: qvi veniens à Sveoniâ regnum obti-
„ nuit Danicum vi & armis, habuitqve filios multos, ex
„ qvibus Ehnob & Giurd regnum poſt patris ſui obitum
„ tenuerunt. *Item*: Poſt Olaph, inqvit *idem Danorum*
„ *Rex Svenus*, Sveonum Principem, qvi regnavit in Da-
„ niâ cum filiis ſuis, ponitur in locum ejus Sigerich:
„ cumqve parvo regnaſſet tempore, Hardegon filius
„ Sveni, à Nordmannia (*Norvegiâ*) veniens, eum regno
„ privavit. Tanti autem Reges, imò tyranni Dano-
„ rum, utrum ſimul aliqvi regnaverint, an alter poſt al-
„ terum brevi tempore vixerit, incertum eſt. Hacte-
nus Adamus: qvi ſingulos hoſce Reges poſt Normanni-
cam cladem, de qvâ ſuperius dictum, regnaſſe exiſti-
mat, conſentientem habens *Olafi Tryggvini vitam*, cujus
locum nuper attulimus. Utriqve Chronicon, qvod *Erici*
Regis *Pomerani* nomen præfert, adſtipulatur, ubi anno
DCCCCII. in qvem cladem Nordmannicam refert, O-
laf Sveciæ Regem regnare cœpiſſe, ac ei poſt qvin-
qvennium Gyurth nepotem illius ſucceſſiſſe tradit.

Ad Adamum qvod attinet, is ex propriis verbis heic
refutari poteſt. Etenim Sigericum, qvi recenſitorum
Regum ultimus eſt, Hardegon, ſecundum eum, regno
privavit. Hardegonem autem illius, noſtrum eſſe Hor-
daknutum, præter nominis ſimilitudinem, illud arguit,
qvod Cap. XLVII. illius filium faciat Gormum, qvi no-
bis ſimiliter Hordaknuti filius eſt. Illius inqvam: neqve
enim hic pro diverſis habenda *Hardegonis* & *Hardewichi*
nomi-

nomina; qvorum prius ab Adamo, ſeptentrionis nominibus parum aſſveto, ex *Hordaknuti* vocabulo, uti dictum, corruptum eſt: poſterius librariorum oſcitantiâ magis adhuc vitiatum, ad Hardegonis nomen reduci debet; id qvod vel inde apparet, qvod proximè poſt Hardegonem, Gormum, Hardewichi filium, in ſolio Danico collocet, nullumqve inter eos Regem interſerat: argumento, Hardegonem & corruptum hunc Hardewichum, ei unum eundemqve hominem fuiſſe. Qvod autem Hardegonem Sueni filium facit, in eo, uti ſæpius aliàs in ſeptentrionis hiſtoriâ, vir bonus lapſus eſt: niſi librario hunc errorem imputare malimus, credereqve *Sigurdi* ab Adamo hoc loco ſcriptum, ubi nunc *Sveni* legitur. De Hordaknuti ætate qvicqvid Adamus dicat, certiſſimum eſt, eum longe ante ſtragem illam Nordmannicam vixiſſe. Etenim Aslaugis, illius ſororis, filius erat Sigurdus Cervus, pater Ragnhildis, qvæ circa annum Chriſti DCCCLIII. qvod certum eſt, Haraldum Pulchricomum peperit, primum Norvegiæ monarcham. Cui, virginis cujusdam amores circa annum DCCCLXV. vel LXVI. appetenti, ſuperbè illa, *Snorrio Sturlæo* teſte, reſpondit, tunc demum ſe ei nupturam, cum ad exemplum Gormi Daniæ Regis, totius Norvegiæ Regulis extirpatis, univerſæ regionis monarchiam ſibi aſſeruiſſet: id qvod de Hordaknuti ætate iterum teſtatur. Si enim Gormus, illius filius, poſt debellatos Daniæ Regulos, regni iſtius monarchiam hoc tempore ſolus tenuit, ac itaqve glorioſo principi tanqvam exemplum proponi meruit, ſeqvitur patrem illius Hordaknutum, ante aliqvot ad minimum annos rebus humanis exemtum fuiſſe, ac itaqve longè,

ut diximus, ante prædictam. Nordmannorum ſtragem vixiſſe. Jam Hordaknutus, agnoſcente ipſo Adamo, recenſitorum Regum ultimum regno privavit: omnes igitur iſti Reges ſæpedictam cladem non parum anteceſſere, ac Adamus conſeqventer heic in tempore valdè hallucinatur. De cetero dictum auctorem non niſi confuſam memoratorum Regum notitiam habuiſſe, ex eo patet, qvod primò Sveni Regis auctoritate tradat, eos ordine regnaſſe: ac mox, temporis anguſtias fortè metuens, neſcire ſe fateatur, utrum illi ſimul regnaverint, aut unus poſt alterum brevi tempore vixerit.

Similis cum Adamo temporum confuſionis reus peragi, atqve ex proprio opere redargui poteſt *Olafi Tryggvini vitæ* auctor. Recenſet ille (uti in prioris Capitis calce verba ejus jacent) Helgium, Olafum, Gyrdum & Knutum, ac Siggeirem; eosqve poſt Sigfrodum & Halfdanum clademqve Nordmannicam ſucceſſivo ordine in Daniâ regnaſſe tradit. Hinc immediatè de Sigurdi Hringi expeditione in Angliam loqvitur, incipiendo ab illis, qvæ nos Cap. VIII. pag. 320. ſuperius attulimus; indeqve priorum Jutiæ Regulorum ſeriem ab Olafo Kinrici filio usqve ad Hordaknuti tempora pertexit: qvaſi omnes iſti homines poſt Siggeirem, vel, ut Adamus eum vocat, Sigericum, ac conſeqventer longè poſt cladem Nordmannicam vixerint. In *Flateyenſi Codice* ſine ambagibus traditur, Siggeiri Olafum Kinrici filium ſucceſſiſſe. Qvæ omnia qvantum abſurditatis involvant, ex Sigurdi Hringi poſterorum ſtemmate, Jutiæqve Regulorum genealogiâ ac ſucceſſionibus, & noſtrâ, qvæ his innititur, chronologiâ plusqvam manifeſtum eſt.

Erici Pomerani vulgò ſic dictum Chronicon refutationem hoc loco vix meretur; qvippe qvod Olaſum ſuum & Gyurthum Adamo Bremenſi debet. Aliàs dictum chronicon heic uti ſæpius mirè in calculo confuſum eſt. Etenim anno cladis Nordmannicæ, qvi eidem eſt Chriſti DCCCCII. Erico in Daniæ regno ſucceſſiſſe tradit Olaf Regem Sveciæ, eumqve qvinqvennio regnaſſe. Poſt Olaf Gyurth nepotem ejus regnum adeptum perhibet, qvi qvinqvennio itidem ad rerum gubernacula ſederit. Illi ſuccedit Lotheneknut, XI. annis regnans. Poſt eum Frothi ſolium aſcendit, ac XX. annis regnum moderatus dicitur. Seqvitur eum Gorm hin Enske, i. e. Anglicus, Orm Hartiſnut alias dictus, qvem qvatuor annos regnaſſe tradit. Ei Haraldum ſurrogat, nullo certo annorum regni numero addito. Haraldum Gorm Gamele, i. e. Grandævus ſeqvitur, mortuus anno DCCCCL. Hinc Haraldus Blatan, i. e. Cærulidens regnat, cujus imperium L. annis deſcribit, ac eâ rationne obitum illius in annum Chriſti milleſimum refert.

Haraldi imperium ad annum Chriſti M. qvam malè protrahatur, inde evidens eſt, qvod Svenus Admorſæ barbæ, illius in Daniæ regno ſucceſſor, dicto anno, cum Olafo Tryggvino conflixerit, uti ex veteri hiſtoriâ notiſſimum eſt, & chronici hujus auctor vel ex ſolo Adamo Bremenſe diſcere poterat. Nec ceterorum Regum chronologia melior eſt; utpote ſecundum qvam Gormus Anglicus regnare deſiit anno Chriſti DCCCCXLVII. adeo ut hoc modo Haraldo, & cui non paucos annos aſſignari debuiſſe vel ſolum *Grandævi* cognomen oſtendit, Gormo, triennium tantum relinqvatur.

Nos

Nos Helgium, & qvi eum apud Adamum & Olafi Tryggvini vitæ auctorem ſeqvuntur Reges, in Hordaknuti tempora, uti ante dictum eſt, referimus: videturqve Helgius ille, veterum piratarum more, memorati Hordaknuti vel minorennis vel abſentis ditionem invaſiſſe; devicto fortè vel ex inſulis Danicis fugato, qvi illius tum tutelam geſſit, Gormo Potente, Jutiæ Regulo. Helgio mox ſupervenire potuit Olafus, Sveciæ Regulus (inter monarchas Sveciæ id temporis non reperitur) vel fortè pirata; cui Ehnob & Giurd (Knutum & Giurdum) ſucceſſiſſe Adamus libro I. Cap. XL. tradit: cum patre autem Olafo ſimul regnaſſe Cap. XLIV. verius fortè innuit. Ultimus Sigericus, vel Siggeir, qvem Olafo Sveco ſucceſſiſſe, regnoqve ab Hardegone, vel Hordaknuto, privatum Adamus ſcribit, ipſo fatente, parvo tempore regnavit; adeo ut hac ratione exigua imperii periodus ab Helgio ad Sigericum vel Siggeirem juvenili Hordaknuti ætate facile abſolvi potuerit. Qvin & *Erici Pomerani* Chronicon eundem hunc Hordaknutum & nutricium ejus Gormum, Regum licet temporumqve ordine inverſo, indicare nobis videtur. Nam *Lothneknut*, *Fundne-knutus* eſt, uti antea dictum. Hic Erici Barni vel Pueri filius dicitur; non qvod eum reverâ patrem habuerit, ſed confuſione traditionum. Etenim deletâ proſapiâ Regiâ, unicus puer, vernaculâ *barn*, Ericus ſcilicet hicce (nobis Harecus II.) ſuperfuit. Knutus autem ipſe puer expoſitus & inventus eſt. Hinc eum poſteri, confuſis relationibus ſeducti, Erici Barni vel Pueri filium credidere. Knuti filius erat, non Frothius, qvi fruſtra heic interſeritur, ſed Gormus (Hordaknuti nutricius

qve

qvem dicti Chronici auctor nepotem ejus facit, ac *Enske*, i. e. *Anglicum*, cognominat. *Enskii* illud cognomen ex *Heimskii* i. e. *Stulti* appellatione fortè profluxit; qvam huic eidem Gormo, Knuti Expoſititii filio; *Olafi Tryggvini vita*, qvæ codice Flateyenſi continetur, annectit, uti ſuperius dictum extat. Gormum huncce *Orm-Hartiſnut* aliàs dictum fuiſſe, idem Chronicon tradit; qvo nihil magis indicatur, qvam Gormum &, qvem ille educavit, Hordaknutum eodem tempore vixiſſe. Cumqve Chronici auctor ſtatum Daniæ, abſolutis & ſtipendiariis Regibus hoc tempore mixtum, non percepiſſet, hinc duorum ſimul, vel diverſâ conditione imperantium Regum nomina uni tribuere viſum eſt. Helgium & ceteros usqve ad Siggeirem Reges, tempore Gormi Grandævi, patris Haraldi Cærulidentis, tributarios in Dania Reges fuiſſe, in *Snorrini Chronici* verſione Danicâ pag. 116. legitur; id qvod nusqvam aliàs extat, nec ullo modo conſiſtere poteſt: cum Hordaknutus, qvi memoratorum Regum ultimum, Adamo Bremenſe teſtante, throno dejecit, Gormi illius pater fuerit, prout antea ſæpius dictum eſt, & mille noſtratium teſtimoniis probari poteſt.

Ad hunc Hordaknutum referendum puto *Guthredum filium Hardecnut*, cujus *Simeon Dunelmenſis* lib. II. de Dunelm. Eccleſ. Cap. XIII. meminit, & ex ſervitute ad regale faſtigium perveniſſe, atqve anno Chriſti DCCCXCIIII. obiiſſe ſcribit.

Nunc priſtinâ methodo obſervatâ, Saxonem parumper inſpiciamus, Regesqve, qvi poſt Ragnarem Lodbrochem apud eum ſeqvuntur, examinemus. Primus eorum Sivardus eſt, Angvioculus noſtratibus dictus,

qvem inter ſupremos Daniæ Reges Saxo jure collocavit. Seqvuntur illum duo Erici: qvos ſub Harecorum nomine proximè præcedenti Capite exhibuimus, oſtendimusqve in Jutiâ eos regnum tenuiſſe, non vero univerſæ Daniæ præfuiſſe. Succedit Canutus, poſterioris Erici, ut vult Saxo, filius. Hunc noſtratium Knutum Expoſititium eſſe, ſuperius Cap. XIV. pag. 401. & nuper pag. 436. dictum eſt: et hic ad Jutiæ Regulos, non vero Daniæ monarchas pertinet. Frotho qvem Canuto ſucceſſiſſe Saxo ſcribit, fruſtra in hunc ordinem intruditur: qvippe qvi ad longè inferiora tempora pertinet, coævus nempe, ſecundum ipſum Saxonem, Agapito Pontifici Romano, qvi Secundus illius nominis eſt, in thronum evectus anno Chriſti DCCCCXLVI. Haraldum Cærulidentem, Gormi Grandævi filium, Daniæ monarchiam tum tenuiſſe certum eſt: unde Frothonem ſupremorum Regum ordine excludendum eſſe patet. In Jutia eum regnaſſe ac circa annum DCCCCXLVIII. ab Hunone (Unnio) Bremenſi Archiepiſcopo baptizatum eſſe tradit *Olafi Tryggvini vita*, cujus verba proximo Capite pag. 429. ſuperius recitavimus. Gormonem Anglicum ex Gormo Knuti Expoſititii filio nutricioqve Hordaknuti, ac Olafo Anglo, Sigurdi Hringi in Jutiâ vaſallo, compoſitum eſſe, ſæpius antea conjecimus; qvæ opinio ſi nos non fallit (fallere autem non putamus) ille à Daniæ monarcharum ordine longe abeſt. Haraldus, qvem Gormoni huic ſucceſſiſſe Saxo voluit, qvisnam fuerit, inventu tam difficile eſt qvam inutile; etenim Saxoni de geſtis illius nihil planè conſtitit: forſan & pauca memorabilia geſſit, ſi modo unqvam in rerum naturâ extitit. Nos de illo parum ſolli-

citi

citi ſumus, dummodo nullum inter Daniæ Reges locum ei deberi ſciamus.

Itaqve ad Gormum ventum eſt, Haraldi Cæruli dentis patrem; qvem nos, cum Saxone, Daniæ monarcham jure agnoſcimus, & Hordaknuto, Sigurdi Angvioculi filio, ſucceſſiſſe, noſtrarum antiqvitatum fide aſſerimus; nullum conſeqventer illorum, qvos inter Sivardum Ragnaris Lodbrochis filium (qvi noſtratibus Angvioculus dicitur) & hunc Gormum regnaſſe, Saxo & ejus ſectatores ſcribunt, in ſupremis Daniæ Regibus habentes. Nec omninò temporum ratio tot generationes patitur, qvot Danici ſcriptores ab hoc Sivardo ad Gormonem proponunt. Clarum id fiet, ſi Regum iſtorum ſtemma cum chronologiâ eorum à *Lyſchandro* & *Svaningio* exhibitâ conferamus; qvæ ita eſt:

Sivardus Angvioculus	obiit anno Chriſti	846.
Ericus Puer - -		863.
Canutus - - -		873.
Frotho - - -		889.
Gormo Anglicus -		897.
Haraldus - - -		909.
Gormo Grandævus -		930.

Anni ab obitu Angvioculi ad mortem Gormi Grandævi LXXXIV. hic numerantur. Ceterum Ericus Puer ante annum Chriſti DCCCXLIV. naſci non potuit, ſi parvulus erat, cum poſt prioris Erici (Hareci) & Guttormi conflictum ad ſceptra perveniret anno Chriſti DCCCLIV. uti ipſe Lyſchander agnoſcit. Gormum Grandævum ſenio confectum deceſſiſſe idem Lyſchander verè ſcribit. Sexaginta ſex annos natum obiiſſe eum ponamus: vix eâ ratione Erici Pueri filius eſſe poteſt, ne-

dum Haraldi, qvem ejusdem Erici abnepotem eſſe volunt. Abſurdiſſima igitur hæc genealogia eſt, atqve à temporum ratione planè diſſentit. Sed & haud exiguum antichroniſmum Saxo proponit, ubi Frothonis æram in Agapiti Pontificis (qvi, uti dictum eſt, anno DCCCCXLVI. ad Eccleſiaſtici regiminis clavum pervenit) tempora refert, atqve ab illo ad Haraldi Cæruledentis tempora ſatis longam nepotum ſeriem deducit; & nihilo tamen minus eundem Haraldum contra Ottonem Imperatorem, puta Primum, pugnaſſe aſſerit, Chriſtianisqve ſacris initiatum eſſe; qvod plurimi anno DCCCCXLVIII. alii anno ſerius factum ſcribunt. Hæc fortè animadvertens Lyſchander, Frothonem longè ſupra Agapiti hujus tempora exaltat, atqve ab anno Chriſti DCCCLXXIII. ad DCCCLXXXIX. regnaſſe ſtatuit; ut ſcilicet abavi regiminis æram longiori ab abnepotis temporibus intervallo ſeparet. Agapeti tamen Pontificis nomen retinet, Frothonemqve anno Chriſti DCCCLXXXVIII. legatos ad eum miſiſſe tradit: iſtam, ni fallor, chronographiam ſuperſtruens *Mariani Scoti* & *Sigeberti Gemblacenſis* chronicis; qvorum illud ad annum DCCCLXXXVII. Pontificem Romanum, Agapetum nomine, exhibet, eumqve unico tantum anno ſediſſe teſtatur: hoc eundem ad annum ſeqventem DCCCLXXXVIII. refert, addito: Agapetum iſtum in qvibusdam libris Pontificibus Romanis non annumerari. Verum irrita hæc Lyſchandri circumſpectio eſt, facilè, uti monſtratum eſt, ex propriis hypotheſibus convincendi. Nec magis ſtemmatographiam, à Saxone hoc loco exhibitam, cum temporibus conciliare valet *Stephanii* emendatio, qvi Not. in

Sa-

Saxon. lib. IX. pag. 194. præeunte *Andreâ Vellejo*, Agapeti II. loco reſtituendum putat Adrianum III. unico duntaxat anno, id eſt DCCCLXXXIV. teſte *Baronio*, Eccleſiæ gubernacula tenentem. Neqve enim tempus, qvod à dicto anno ad initia regni Haraldi Cærulidentis profluxit, qvatuor generationibus: nec illud, qvod inter eundem annum & Erici Pueri nativitatem interceſſit, duabus generationibus ac ætati inſuper Frothonis ullo modo ſufficere poteſt. Hæc ſine omni dubio *Arnoldum Hvitfeldium* permoverunt, ut poſthabitis Canuto, Gormone qvem Saxo Anglicum vocat, ac Haraldo, inter Ericum Puerum & Gormonem Grandævum Haraldi Cærulidentis patrem, ſolum Frothonem Regem agnoſceret. *Meurſius* temporis anguſtias, Hvitfeldio, uti dictum, perſpectas, nil metuens, generis ſeriem à Saxone ab Erico Puero ad Haraldum Blotandum, vel Cærulidentem, propoſitam, ſtrictè obſervat: Saxoniſqve Regibus haut contentus, Olaum Svecum, Sivardum & Svenonem Longipedem interſerit; ac dictis Regibus illam qvæ ſeqvitur chronologiam applicat.

Erico Puero, Sivardi Angvioculi filio, cum mortuo patre regnum adire deberet, Ericus, Haraldi Claghii frater ſe opponit, regnumqve occupat anno Chriſti DCCCXLVII. vel LVII.

Erico illo regnum uſurpante, Dania ſeptennio circiter ſacerdotibus caruit: ſeptem ergo ad minimum annis regnavit.

Eo occiſo Ericus Puer avitum regnum nanciſcitur, atqve ad reipublicæ clavum ſedet annis XLVI.

Olaus Svecus, Canuti, Erico Puero geniti, te-

neriore ætate contemtâ, regnum occupat, tenetqve qvinqvennio.

Sivardus Olai nepos, ſimilis regni uſurpator, qvinqvennio, vel ſecundum alios decennio regnat.

Canutus tandem, Erici Pueri filius, ad ſceptra pervenit, annoqve regni undecimo moritur.

Sveno Longipes, illius filius, novem annis ſceptra gubernat.

Frotho Svenonis frater ac Canuti filius, viginti annorum ſpatio reipublicæ præeſt.

Gormo Anglicus, Frothonis filius, qvadriennio regnat.

Haraldus filius ei ſuccedit: qvi qvamdiu regnaverit, non annotatur.

Gormo filius eum ſeqvitur, *qvod ætatem ultra vitæ humanæ terminum uſitatum produxiſſet*, Grandævus *cognomento dictus*. Hic cum Henrico Aucupe pugnavit, regnumqve Haraldo Blotando moriens reliqvit, anteqvam Adelſtanus Angliæ Rex vita decederet.

Hæc Meurſii chronologia, ſi paulo accuratius inſpiciatur, vix à negligentiæ culpâ vir aliàs doctiſſimus excuſari poterit. Etenim recenſitorum Regum temporibus computatis, Gormonis Anglici exitus in annum Chriſti DCCCCLIV. vel DCCCCLXIV. & ſi Sivardum decennio regnaſſe ponamus, in annum DCCCCLIX. vel DCCCCLXIX. incidit. Seqvuntur Haraldi tempora, qvæ prolixa non fuiſſe Meurſius fortè credidit. Hinc Gormonis Grandævi regnum ſuccedit, qvem Henrico Aucupi æqvalem fuiſſe, cumqve eo pugnaſſe dictus auctor agnoſcit. At Henricus ille anno Chriſti DCCCC-

XXXVI.

XXXVI. deceſſit, regnante, ex Meurſii calculo, vel Frothone Gormonis Grandævi proavo, vel Frothonis fratre Svenone; id qvod ſecum invicem nullo modo cohæret. Nec cum priorum Regum chronologiâ conciliari melius poteſt, Gormonem Haraldo Blotando (Cærulidenti) regnum morientem reliqviſſe anteqvam Adelſtanus Angliæ Rex vitâ decederet (accidit illud anno Chriſti DCCCCXL.) qvod tamen ſæpedictus auctor ſcribit. Omnium minimè cum præcedentibus congruit, Haraldum Blotandum L. vel LII. annis regnaſſe, ac ultimis regni ſui annis à filio profligatum in Normanniam conceſſiſſe; ibiqve rege (*Galliæ*) Ludovico, (qvi Richardo, Gulielmi Ducis filio, & inſidias ſtruebat, & Normanniam regno ſuo vindicare ſatagebat) profligato, cum Normannorum auxiliis in Daniam rediiſſe, nec multo poſt à Svenonis milite occiſum eſſe. Etenim Haraldum ante Gulielmi Ducis mortem, qvam anno Chriſti DCCCCXLIII. oppetiit, in Normanniam hac vice appuliſſe conſtat: qvâ ratione regni illius initia in ſeculum nonum temporaqve, qvæ Erico Puero Meurſius antea aſſignavit, abſurdiſſimo, ut cuivis apparet, ac ſecum invicem pugnante calculo, incidunt.

Abundè, ut putamus, nunc monſtratum eſt, Reges illos, qvos inter Sigurdum Angvioculum & Gormum Grandævum Danicarum rerum ſcriptores vulgò collocant, eorumqve genealogiam, temporibus neutiqvam convenire. Ceterùm credi volumus, nos ſcriptores illos traducendi occaſionem heic non qvæſiviſſe, ſed inveſtigandæ veritatis amore illectos dictorum ſingula protuliſſe, imò neceſſitate coactos: ne qvis, noſtrum à ſæpe-

pedictis auctoribus diſſenſum animadvertens, ſine cauſâ id nos feciſſe, ac itaqve fumos vendere arbitretur.

Eliminatis itaqve memoratis Regibus, eorum in monarcharum Danicorum ordine vicem ſupplet Hordaknutus, Sigurdi Angvioculi filius ac regni hæres; de qvo nuper actum eſt.

Proximus ei, uti antea dictum, Gormus regnavit, illius, non vero Haraldi filius. Hic Gormi Potentis, qvi patrem Hordaknutum enutriverat, nomen geſſit, atqve à prolixâ, qvam vixit ætate, tam noſtratibus qvam Danicis ſcriptoribus *Grandævus* vulgò cognominatur. Gormus hicce pro Danicæ monarchiæ reſtauratore meritò haberi debet; qvippe qvi paternâ ditione, hæreditario jure ad ſe devolutâ, non contentus, Jutiam, qvæ à Ragnaris Lodbrochis temporibus per diviſionem inter illius filios, uti Cap. XIII. pag. 396. dictum eſt, factam, à reliqvâ Daniâ hucuſqve ſeparata fuerat, maximâ virtute ſubegit, regnoqve, unde avulſâ erat, poſtliminio reſtituit. Repeti heic meretur *Olafi Tryggvinæ vitæ* locus lib. II. Cap. I. pag. 86. ſuperius adductus, qvi ita ſonat:
„ Gormr konungr for med her ſinn i þat riki Danmerkr,
„ er þa var kallat Reidgotaland, enn nu er kallat Jot-
„ land, a hendr þeim konungi er þa red þar fyrer. ſa
„ var nefndr Gnupa. þeir attuz vid nockurar orroſtur. en
„ ſva lauk at Gormr felldi þann konung, oc eignadiz allt
„ þat riki. þvi næſt for Gormr a hendr þeim konungi,
„ er Silfraskalli var kalladr. oc atti vid hann ofrid oc or-
„ ruſtur. oc hafdi Gormr iafnan ſigr. oc um ſidir felldi
„ hann þann konung. Eptir þat geck hann uppa Jot-
„ land. oc eyddi þar ollum konungum, allt ſudr til Sle-

oc

oc ſua vann hann mikit riki i Vindlandi. Margar orroſtur „
atti hann vid Saxa. oc giordiz inn rikazti konungr, *id eſt*; „
Gormus Rex in illam partem Daniæ, qvæ tunc Reid- „
gotalandia, jam vero Jutia nuncupatur, adverſus Regem „
qvendam, Gnupam dictum, cum exercitu profectus „
eſt; qvem poſt aliqvot prælia occidit, & regnum ipſ- „
us in ſuam poteſtatem redegit. Deinde expedition- „
ſuſcepit contra Regem qvendam, nomine Silfraskal- „
lium; ac cum eo aliqvoties conflixit, ſemper victor: „
tandemqve Regem illum occidit. Poſtea in interiora „
Jutiæ pergens, omnes Reges ad Slesvicum uſqve de- „
vicit, & magnam partem Vindlandiæ (Vandaliæ) ſibi „
ſubjecit. Multa prælia contra Saxones gerebat, & „
Rex potentiſſimus evaſit. Expeditionibus hiſce qvantum gloriæ Gormus, etiam apud exteras gentes acqviſiverit, ex virginis Norvegicæ reſponſo, pag. 433. ſuperius à nobis allato, patet: qvo illa eum, tanqvam conſummati Regis exemplar, graſſanti ad honores juveni Regi proponere non dubitavit. Gormus in matrimonio habuit Thyram *Danmarkar bot*, id eſt *Daniæ Ornamentum* cognomento dictam. Hæc, ſi Saxoni credimus, Angliæ Rege nata erat; noſtrates vero, uti Cap. XV. pag. 416. ſuperius dictum, Klack-Haraldi Comitis filiam eam fuiſſe tradunt. Binam maſculini ſexus prolem ex eâ Gormus ſuſcepit: Knutum nempe, qvi ante patrem obiit, & Haraldum Cæruli dentem. Hic primum cum patre, ac deinde poſt illius obitum ſolus, Daniæ regni gubernacula adminiſtravit: Svenumqve genuit ab admorſâ barbâ *Tiuguskeggum* dictum, qvi poſt Haraldum regnavit, & ſeqventes Daniæ Reges progeneravit. Ab hoc tempore Daniæ Regum ſeries in-

dubia eſt, noſtratibusqve cum ſcriptoribus Danicis eadem: chronologia qvoqve eorum certior heic eſſe incipit. De tribus hiſce ultimis regibus, Gormo Grandævo, Haraldo Cærulidente & Sveno Admorſæ barbæ, peculiare opus ſcripſimus, eoqve haud pauca, vitas eorum non leviter, ut putamus, illuſtrantia, congeſſimus. Brevi, ut ſperamus, liber iſte, nondum editus, in publicum prodibit, doctorumqve ſe cenſuræ ſubmittet. Et nos heic noſtræ Dynaſtarum Regumqve Daniæ Seriei finem imponemus.

Ad Seriem Regum Daniæ Appendix I.

De Johannis Magni in deſcribendo Daniæ Sveciæqve Regum ordine callidâ Saxonis imitatione.

Proloqvium.

Seriei noſtræ libro I. Cap. IX. ubi de Johanne Magno, Svecicarum rerum ſcriptore, egimus, ad calcem operis monſtrare promiſimus: *non Saxonem eidem impoſuiſſe, ſed eum Saxonem in ordine Regum Sveticorum tam religioſè ſecutum fuiſſe, eo tantum fine, ut celeberrimæ gentis Danicæ famam convelleret, orbiqve literato illuderet.* Similia ejusdem libri Cap. VIII. pag. 75. ſcripſimus: nempe, ſcriptorem iſtum *methodum Saxonis in Regum Daniæ & Sveciæ indice ſæpius ita accuratè obſervaſſe, ut utriusqve Regni Principes omni tempore & ſingulis ſeculis ſuſtentaſſe videantur, qvi acta publica literis proderent*; id vero neqvaqvam gratis feciſſe: *inde enim comminiſcendi materiam arripuiſſe ad eum refellendum & Danos cavillandos, quaſi inficiari non poſſet, æqvales qvidem eorun-*

dem temporum fuiſſe Reges, qvos Saxo retulit: verum aliter in monumentis Svedicis rem expoſitam inveniri; cum tamen ex proprio cerebro plurima finxerit. Nunc id agendum, ne dicto ſcriptori injuriam à nobis factam eſſe qvis ſuſpicetur. Et primò qvidem heic appellandus eſt Doctiſſimus *Verelius*, qvi in Notis ad Hervoris hiſtoriæ Cap. II. pag. 42. poſtqvam lineas genealogicas tam Daniæ qvam Sveciæ Regum, rhythmis excellentium poetarum, Thiodolfi Hvinenſis & Eyvindi Skalldaſpilleris, proditas, atqve à Snorrio Sturlæo cynoſuræ inſtar habitas, recenſuit, primò de Saxone valde qveritur, qvod Danici regni exordium plus juſto exaltaverit, & numerum ſucceſſionum multiplicaverit, Lethrenſium qvoqve Regum vaſallos ſupremis permiſcuerit: maximè vero qvod Chriſti natalem in Frothonis Tertii ætatem retulerit; illo enim, ut & Longobardorum egreſſu ſub Rege Snione collocato, poſteriores ſcriptores in fraudem induxiſſe, ut magnum in hiſtoriâ Danicâ hiatum eſſe exiſtimarent, pluresqve Reges & Regum geſta deſiderarent: ac Lyſchander, novis creatis Regibus, defectum illum ſupplere conatus fuerit. Deinde ad Johannem Magnum memoratus ſcriptor tranſiens, eum Crantzii qverelâ motum, æqvè ut Lyſchandrum, ait, providere voluiſſe, ne aliqva in hiſtoriâ Svedicâ lacuna deprehenderetur, Regibus non paucis recenſitis, qvorum apud alios nulla mentio. *Illaudata profectò* (hoc viri candidi judicium eſt) *induſtria, & peſſimi apud poſteritatem meriti, dubia vel ficta à genuinis hoc pacto vix diſcernentem.* Nos, cum amica illa ſcriptorum in antiqviſſimorum Daniæ Sveciæqve Regum ordine harmonia, geſtorumqve in utrisqve conſenſus ſuſpectus nobis ſemper a-

lius

liàs fuerit, laudati viri monito non leviter confirmati, utroſqve diligentius evolvimus, deprehendimuſqve vera nimis eſſe, qvæ *Petrus Roſefontanus* Johanni Magno improperat: nimirum eum, patriis documentis deſtitutum, propria commenta in operis formam redegiſſe, & *confidenter magis qvam verè, antiqviſſimorum autorum ac patriæ hiſtoriæ fidem jactare*, qvod & certo conſilio, imò aſtuto inſtituto ab eo factum videtur. Nam cum gentis ſuæ hiſtoriam ſcripturus, magnâ patriorum documentorum penuriâ laboraret, gentem vero ſuam meritis qvidem ob patrata, ſed ſibi minus qvam ad tantum opus reqvirebatur cognita facinora, laudibus extollere, ſimul etiam Danos non juſta modo gloriâ fraudare, ſed graviſſimis etiam conviciis aſpergere decreviſſet, Saxonis methodum ordinemqve ſibi omninò ſeqvendum propoſuit, eumqve cum patriæ ſuæ archivis optimè in generalibus conſentientem finxit: non alio fine qvam ut particularem diſſenſum, pari artificio a ſe ipſo excogitatum, majori veriſimilitudine auctoritateqve, ſcriptorum utriusqve gentis, qvaſi in ordine dynaſtarum ſibi invicem ſuffragantium, geſtis vero & circumſtantiis qvibusdam diſſidentium indicare, Saxoniſqve relationes velut ex patriæ ſuæ documentis convellere poſſet. Hæc ne ipſi à nobis malevolè affingi qvis credat, ad aſſertionis noſtræ probationem nos accingentes, utriusqve ſcriptoris ordinem & qvæ aliàs incidunt, qvam breviſſimè examinabimus, præmiſſis in anteceſſum regulis iis, qvas Joh. Magnum ſibi obſervandas propoſuiſſe apparet.

Prima earum fuit: ut Saxonis methodum univerſalem ubiqve ſeqveretur, qvo in particularibus ab eo, ubi li-

 beret,

beret, deflectere, narrationesqve ejus, tanqvam è patriæ ſuæ certioribusqve antiqvitatis theſauris depromtas refutare poſſet.

Secunda: ut conficta à ſe documenta in teſtimonium vocaret; qvod ita eſſe, iis teſtibus probo, qvi Saxonis ſcripta ab eodem Johanne Magno ſuo conſenſu probata improbarunt, longèqve ab eo receſſerunt; id qvod haudqvaqvam feciſſent, ſi eadem documenta extitiſſe unqvam crediḋiſſent.

Tertia: ut ſi qvid à Saxone omiſſum videretur, id noviscommentis repleret: non ſine ſimulatâ admiratione, qvod iſta ab aliis omiſſa fuerint.

Qvarta: ut ſi temporis lacunam in Saxone obſervaret, fictis eam Regibus reſarciret, Regum, ſi qvos forte Saxo interſperſerat, ſynchroniſmo haudqvaqvam turbato.

Qvinta, qvæ caput eſt: ut ubiqve res Svecorum extolleret, Danorum non deprimeret ſaltem, ſed ignominioſè etiam traduceret.

CAPUT I.

De Dano Primo Daniæ Rege.

Ut prima Johannis Magni, qvæ de Svecorum Gothorumqve origine tradit, omittam (neqve enim Saxo tantam genti ſuæ antiqvitatem vendicat, ut originem ejus à Noâ, ejusve nepote Magogo, ultimisqve reparati mundi primordiis repetat, ut facit alter ille; qvi ut Svecis ſuis Gothisqve principatum omnium ferè gentium

tium aſſerat, Svenum Magogi primogenitum, Getharem natu proximum fingit) ab eo tempore incipiam, qvo utriusqve ſcripta inter ſe conferri poſſunt: Dani nempe Humbli filii, qvem una cum fratre Angulo, gentis Danicæ conditorem rectoremqve fuiſſe, & ab eo Regum Daniæ ſtemmata, ceu qvodam derivata principio, ſplendido ſucceſſionis ordine profluxiſſe Saxo tradit. Hic cum cujas fuerit, qvâve progenie ſatus à Saxone non exprimatur, ſcriptum autem, qvod Regis *Erici Pomerani* nomen præfert, è Svecia eum accerſat, id Johannes Manus (hoc enim libello, licet tum temporis nondum impreſſo, uſus eſſe videtur: certè aut illum, aut ejusdem furfuris alium hic ſecutus eſt) ut ſuis rationibus perutile, arctius premens, novis commentariis illuſtravit. Cumqve Dani de Gothia prodiiſſe inibi dicantur, non ſolum Gothiam Svedicàm, primam eorum patriam interpretatur, ſed etiam, exſuperante incolarum multitudine, infimæ plebis colluviem, facinoroſorumqve turbam regno exactam, Danicumqve agrum, poſt ſexcentos circiter & ſexaginta annos ita dictum, hac ſentinâ hominum repletum cultumqve, vel ipſe comminiſcitur, vel commenta aliorum ſecutus eſt: carmen videlicet antiqvum, qvod in teſtimonium aſſertionis ſuæ, velut omni exceptione majus, inqve Sapphicos à ſe numeros redactum, producit. Carminis illius, Svetico ſermone à primo auctore conditi, genuinam partem *Verelius* in Notis ad Cap. X. Hiſtoriæ Hervorianæ nobis exhibet; cui doctiſſimum virum tantum pretii ſtatuiſſe miror. Nam utut lingvæ veteris formulas ac nexum aliqvo modo ſapiat, genus tamen carminis recentius eſt, qvam ut inter remotioris antiqvitatis

tatis monumenta numerari debeat; qvale neqve in *Eddâ Sæmundi*, neqve *Ynglingatale*, neqve inter encomiaſtica alia, in ſubſeqventium Regum honorem aut geſtorum memoriam concinnata, ad Magni Haconis filii, iſtius qvi Legum Emendator uſurpatur, tempora occurrit. Rectius circa Eirici Pomerani tempora factum fortè ſtatuitur: iſtius enim ævi genium ſapit. Jacto hoc fundamento, tanqvam ex omni parte immoto, Johannes Magnus Dani genus ab ipſâ origine altius petitum producit, conſentiensqve Saxoni, Humblo ſeu Humelo eum procreatum perhibenti, Humulphi pronepotem, *Bericonisqve* abnepotem eum facit: ſed &, ne maternum genus ei deſit, Geſildâ nobiliſſimâ in Svecia fœminâ natum, atqve ita è Svecis integrè procreatum ſcribit, datumqve genti illi, qvæ Danicos agros, deinceps ita dictos, incoluit, ab Humelo patre Regem. Qvo nomine ager iſte tot ſeculis antea venerit, qvove gens illa à ceteris internoſci voluerit, non exprimit; neqve enim, uti credo, *Viteslet*, in Erici Pomerani chronico nominatum, admittit. Eo ſilentio nil aliud innuere videtur, qvam progeniem hanc Gothicam, à majoribus ſuis *Gothos*, terramqve qvam incoluerunt *Gothiam* dictam: licet Dani tempore Jutiam à Saxonum Duce Juthone, eam oppugnante, denominatam gratis affirmet. Ad ejus vim reprimendam, progenitoribus ſuis nuper rebelles, ſed nunc in gratiam receptos, ab Humelo Danum filium Regem impetraſſe tradit; cui poſtqvam acerrimo prælio Daniam liberaſſet, duo præcepta pater dederit: primum, ne in aliqvâ parte Daniæ delubra conſtrueret, ſed apud Upſalam Sveorum metropolim Deos coleret; alterum, ut conſideratâ Danicæ

tel-

telluris anguſtiâ, nulli, niſi graviſſimâ laceſſitus injuriâ, bellum inferret. Poſthæc fratrem Angulum, conſortium regni poſtulantem, inſidiis à Dano petitum memorat, eumqve in Angliæ regnum fugâ ſervatum evaſiſſe. Hinc ad potentiam Humeli prædicandam prolapſus, mirum qvam ab *Erici Pomerani* Chronico (ſic ſcriptum illud vocare libet, licet Regium fœtum minimè agnoſcamus) recedit, dum Gothis eum & Sveonibus, Helſingis, Biarmis Bothniis, Lappiis, Finnis, Scricfinnis, totiqve Scandianæ inſulæ præfuiſſe, ac vicinis Danorum inſulis, non ſolum imperâſſe, ſed Regem etiam ſuper ipſas conſtituiſſe refert; cum tamen dictum Chronicon Danum, devictis Jutis, Syoniam (Sveoniam intelligit) Scaniam ac omnes alias Daniæ inſulas ſubjugaſſe tradat: qvod itaqve Joh. Magnus pro utilitate ſuâ tantum ſeqvitur. Hic conſenſus annalium Svecicorum cum Saxone in Dano, primo Daniæ Rege, mirus apparet; hinc fidem ſibi, hanc materiam tanqvam uberius tractaturo, Joh. Magnus præſtruxit. Ceterum Danum Humbli vel Humeli filium, primum Daniæ Regem, nec noſtrorum ſcriptorum ullus, nec *Sveno Aggonis*, Saxoni coævus, prior tamen, ac igitur primus Daniæ Hiſtoriographus, agnoſcunt, ſed Skioldum, qvem noſtrates Odini filium faciunt: qvod ipſe *Verelius* ſuo calculo probat.

CAPUT II.

De Regibus inter Danum & Frothonem Tertium.

Lotherum & Humblum Dani filios ſucceſſoresqve Saxo, pulſumqve Humblum à fratre memorat. Johan-

hannes Magnus Dano & Angulo tertium fratrem Gothilam, Humelo procreatum, affingit, eumqve deinde, Humblo Regiâ majeſtate exuto, Lotherum in Danica ſceptra repoſuiſſe ait. Gyritham eorum matrem, non ſummo inter Teutones loco natam, ut Saxo, ſed Siggonis Svetici Regis neptem fuiſſe tradit lib. II. Cap. IV.

Skioldum Daniæ Regem, tum Grami patrem, tum etiam Sigtrugo Sveciæ Regi ſynchronum, Groqve Sigtrugi filiam à Daniæ Rege Gramo raptam, ipſumqve occiſum, Saxoni conſentiens Joh. Magnus agnoſcit. Sigtrugum aliàs Sigthunium dictum eſſe, de ſuo addit: qvin & è Svarino Saxonis, qvo Scaræ Veſtro-Gothicæ urbis conditorem lucraretur, Scarinum exſtruxit. Qvem cum Saxo à Gramo oppreſſum tantum, nec qvomodo, ſcripſerit, occaſionem arripuit plura de monomachiâ eorum ætatumqve diſcrimine inſerendi, ſenem à juvene occiſum prædicans. Sibdagerum deinde (Saxoni Svibdagerum) Norvegiæ Regem, Gothico ſangvine illuſtrem, ſuffragio Svecorum Regem creatum, non ex Saxone, ſed aliunde addit. De qvo deinde Cap. VIII. ea commemorat, qvibus Saxonem, ubi is ſuccinctior, illuſtrare videtur; cauſasqve bellorum latius exeqvitur, ac raptu Gro virginis, ſibi conſangvineæ, exaſperatum Sibdagerum commentus, ſtuprum ſorori Grami intuliſſe, filiam etiam rapuiſſe, Saxoni ſubſcribens tradit, eumqve oppreſſo Gramo, trium ſeptentrionalium regnorum primum monarcham confitetur, tandem ab Hadingo oppreſſum. In hæc qvoqve tempora Odinum pariter ac Saxo refert Cap. IX.

Aſmundum deinde Sibdageri filium ab Hadingo occi-

occiſum confitetur, eiqve filium Uffonem in Sveciæ regno ſucceſſiſſe agnoſcit. Ibi qvoqve qvædam de ſuo addit: inter alia Hadingum, per colloqvii ſimulationem Uffonem oppreſſurum, ab eo facinus occupante præventum, ægrè inſidias evaſiſſe. Sic Uffonem magnifico mauſoléo, non ab Hadingo hoſte, qvod Saxo ſcribit, ſed fratre ſuo Hunningo illatum tradit.

Hunningum *iſtum* Uffonis ſucceſſorem (Hundingum *rectius Saxo* vocat) non caſu, dum inferias Hadingi, qvem *fama* falſò occubuiſſe detulerat, celebraret, in *dolium* incidiſſe, ut Saxo ſcribit, ſed ſtudio illud mortis genus elegiſſe tradit. Hinc in ſucceſſione Regneri Saxoni conſentiens adjicit, victum à Regneri Sveciæ Regis uxore, ſorore ſuâ, Frothonem Daniæ Regem, captivumqve in triumphum ductum: nec prius libertati reſtitutum, qvam Ubboni genero ſuo, qvod Daniam vi & armis occupaſſet, ignoviſſet; ingratum poſtea in Regnerum Frothonem, bello illum absqve cauſa laceſſiviſſe ait, eoqve prælio armis Regneri occubuiſſe.

Hothbrodum deinde Regneri ex uxore Svanhvitâ filium, à *Saxone* productum, ad ſceptra Svedica admittit, non ſine applauſu, qvod, *Saxone* facem præferente, materia geſtorum ejus illuſtrandorum ampla ſatis ſe offerat. Haud enim ſibi heic deeſt; qvippe Saxonis teſtimonium nactus, primò, qvod proferendi imperii ſtudio orienti bellum intulerit, immenſamqve populorum ſtragem ediderit: populos, qvibus illatum eſt, nempe, Ruſſos, Eſtones, Sembos, ex *Crantzio* enumerat: additqve de ſuo Curetes; qvos omnes Frothoni Daniæ Regi fœderatos olim expeditionisqve ſocios fuiſſe, ac eâ de cauſâ ab Hoth-

 bro-

brodo armis inteſtatos ſcribit. Deinde, qvod Saxo perhibet, Hothbrodum orientis victoriâ haud contentum Daniam petiiſſe, ejusqve Regem Röe tribus præliis provocatum occidiſſe, id univerſum non modo agnoſcit, ſed ne tantum è Saxonis relationibus notus Hothbrodus videatur, uxorem ei tribuit Gyritam, illuſtriſſimâ Norvegorum Regum familiâ oriundam. Mox ditionis Hothbrodi limites, Tanaim verſus orientem, Albimqve vel Viſurgum (neqve enim diſtinctius id tradit) ad orientem, nullo ſcriptore præeunte profert. Hinc rebelles Danos domiturum, non ab Helgone Dano, ut Saxo ſcribit, cum univerſo exercitu profligatum occiſumqve, ſed tempeſtate maris obrutum aqvisqve ſuffocatum refert, ac itaqve Saxonem hoc loco mendacii tacitè inſimulat, qvi Helgonem à victoriâ de Hothbrodo reportatâ *Hothbrodi Stragem* cognominatum eſſe ſcribit.

Attilum exinde Hothbrodi filium, à Saxone, qvi eum Atislum vocat, mutuatum, patri in Sveciæ regno ſucceſſorem conſtituit. Cumqve inſignem contumeliam Svecis ab Helgone Daniæ Rege illatam, in Saxone legerit, reponit, Attilum, canem nomine Racchonem, deinde gigantem nomine Laës, tandem etiam ſervum Suionem dictum, à pediculis poſtea conſumtum, Danis Reges præfeciſſe. Verum tempus idoneum non indicat; neqve enim tempori Helgonis, neqve Hrolfi, neqve cum Attilus Hotherum Danis, ut idem vult, præfecit, monſtroſa hæcce regna conveniunt. Ceterum Hotherum ab Attilo Danis devictis præfectum, qvod ex Saxone Joh. Magnus libro II. Cap. XX. allegat, in Saxone non invenio; ſed contrarium: nempe eum, non à fratre, ſed *ab*

occur-

occurrente ſibi Danorum populo Regem conſtitutum; imò eum fratrem ſuum Atislum Svecis præfeciſſe, ejusqve obitu cognito Sveticum Danico imperium ſociaſſe.

Róricum deinde Slyngebond, ſeu funditorem, Hotheri filium, in Seciæ Regum album inſcribit, Rodericumqve appellat; cui Danos ſubjectos ſed mox rebelles factos fingit, primùm Duce Horvendillo (qvem Saxoni conſentiens, in Jutiæ præſidem ab eo promotum, filiæqve ejus conjugio ſociatum fatetur), deinde Fengone fratris Horvendilli interfectore, tandemqve Amletho patris ſui ultore: qvos totam Daniam, Roderico in Sveciam concedente, occupaſſe tradit. Cumqve Saxo in Daniâ Rórico ſcribat ſucceſſiſſe Vigletum, non addito, qvo is genere ſatus fuerit, atqve ejus filium Vermundum, in dicto regno patri ſubſtituat, illiusqve tempore Atislum Sveciæ Regem memoret, Johannes Magnus, Atislum ſeu, ut ille vocat, Attilum, Roderici filium mox facit, occaſioneqve à Saxone arreptâ, qvi Balderum in Daniâ ab Hothero Sveciæ Rege occiſum antea qvoqve ſcripſerat, omnia iſta tanqvam de rebellibus Danis ac Svecorum jugo, auſpiciis ductuqve ducum eorum, qvorum mentio facta eſt, ſe ſubducere conantibus, proponit. Attilum ergo litem de Daniæ poſſeſſione Vermundo, velut injuſto ſceptri uſurpatore, moviſſe, Frovinum Slesvici exercitusqve Danici præfectum duello ſuſtuliſſe, Vermundoqve Daniam tributario jure regendam commiſiſſe; mox rebellanti arma denuò intuliſſe, absqve tamen ſucceſſu; itaqve nec victum nec victorem in Sveciam rediiſſe; ſubornatos deinde a Vermundo Frovini filios, binos ſimul Regem ſolitarium inventum oppreſſiſſe, Saxonis qvaſi inter-

pretem agens ſcribit. Qvod ſi *Crantzium* audire voluiſſet, is Róricum Daniæ à patre Hothero præfectum ait: cumqve, mortuo eodem, Sveciam qvoqve hæreditario jure ſibi ceſſuram crederet, Svecos ab eo defeciſſe, creato è Regiâ ſtirpe Atislo, qvi Danica arma metuens bellum occupaverit.

Inter Attilum & Alaricum Sveciæ Reges, cum Johannes Magnus nullam à Saxone Sveciæ Regum mentionem fieri animadverteret, eâqve de re *Crantzii* verba Sveciæ lib. I. Cap. XXXVI. ante oculos haberet, ſcribentis, jam dudum nihil magnum aut præclarum in Svecicâ gente recoli, qvod vel Danorum imperio per ea tempora paruerint, contenti ſubeſſe: vel (qvod potius credit) qvod præclara illorum temporum facinora, in eâ gente per incuriam ſcribentium ſint ſepulta. Ut, inqvam, qverelæ iſti ſatisfaceret, novem Reges, Botvildum ſcilicet, Carolum, Grimmerum, Tordonem, Gotharum, Adulphum, Algothum, Ericum & Lindormum, qvi qvingentorum circiter annorum lacunam à Cyro ad Chriſti tempora repleant, ex archivis, neſcio qvibus, & in his fragmentis qvibusdam hiſtoricis, Romæ in ædibus S. Birgittæ à ſe inventis, profert, qvorum nomina nemini aliàs audita ſunt: adeò ut *Loccenius* Hiſt. Svec. lib. I. illam Regum ſeriem, *ut non ſatis liqvidam & compertam*, ipſi huic ſcriptori reliqvendam non injuriâ ſtatuerit. In dictis autem Regibus ſeqventia ſcriptoris artificia obſervanda veniunt. Primum: qvod in horum ordine digerendo ita ſe geſſerit, ut generis eorum ſeries cum iis Regibus conveniat, qvos Saxo interea Daniam rexiſſe tradit. Itaqve Botvildum Attili vel filium vel nepotem facit,

cit, ejusqve auſpiciis Hemotum & Hegrimum adverſus Huglethum Daniæ Regem, Vermundi pronepotem (qvem Hugulinum, qvaſi levi qvadam codicum Svecicorum à Danicis variatione, appellat) cum claſſe miſſos tradit, ac à Danis oppreſſos; ne eâ in re à Saxone recedat, licet occaſionem, ſilentio Saxonis ſibi ad uberiorem narrationem datam, nec hic neglexerit. Gotharum tamen, Botvildi abnepotem, minus conſideratè cum Frothone II. Daniæ Rege, Huglethi filio, congreſſum memorat, niſi Gotharum juvenem cum Frothone ſene committi voluerit: appoſitè autem Danum ejus nominis Tertium, Daniæ Regem, Frothonis filium; in Gothari & filii ejus Adulphi tempora refert. Cumqve Adulphum, cum filiis nepotibusqve Algotho & Erico, Daniæ regnum ſibi ſubjectum, potenter usqve ad Fridleifum Celerem gubernaſſe tradat, defeciſſeqve Danos ſub pronepote Lindormo, concitore eodem Fridleifo, prudenter de eo tanqvam ignoti generis homine loqvitur: neqve eum, uti Saxo, Dani Tertii filium agnoſcit, ſed priſcorum Regum ſangvine illuſtrem Lindormoqve conſangvineum facit, atqve non ſucceſſionis jure, ſed ſuffragiis procerum in ſceptra miſſum ſcribit; ne ſcilicet ordo concentusqve ſynchroniſmi Daniæ ac Sveoniæ Regum turbetur; filium enim Dani, pronepoti Adulphi regnum extorſiſſe, minus probabiliter dici poſſe videbat. Secundum artificium in Daniæ ſubjectione, Svecorumqve in eam imperio demonſtando verſatur, Crantziiqve opinione refutandâ, qvi Daniæ Sveciam tanto tempore ſubjectam ſuſpicatus eſt. Itaqve Frothonem Vegetum, eò qvod Saxo nihil de obitu ejus tradat, à Gotharo Sveciæ Rege occiſum Daniamqve ſub-

ſubactam nugatur; Frogerum inſuper Norvegiæ Regem Gothari ſocerum fuiſſe comminiſcitur, conflictumqve a Saxone traditum ac cædem Frogeri in præſidium cauſæ belli Frothoni à Gotharo illati rapit. Tertium artificium Johannes Magnus ad præſtruendam ſibi fidem excogitavit, ſimulando, ſe ea qvæ tradit, à Saxone omiſſa mirari; neqve enim veriſimile eſſe, prælium inter Danum & Adulphum ei fuiſſe incognitum, cum inter præcipua numerari poſſit, qvæ inter Gothos & Danos unqvam contigerint: ſimile prorſus illi, qvòd longè poſtea inter Haraldum Daniæ & Ringonem Sveciæ Reges confectum. In hac admiratione prolixius qvaſi hærens ſuſpicionem movet, Danos, qvi Saxonis libros tranſcripſerint, ea omiſiſſe, qvæ patriæ ſuæ decorem minuere viſa fuerint; qvo commento ſcriptoris iſtius opus interpolatum, nec ſincera fide publicatum perſvadere nititur; ipſe tamen qvaſi dubius, Saxoni veniam dandam judicat, ſi magis in ſuos qvam alienos affectus, Daniæ regnum Adulpho ſubjectum, atqve ab eo, collatis per oportuna loca præſidiis, ad finem vitæ prudenter potenterqve gubernatum, filiisqve & nepotibus ſuis ad Fridleifum usqve Celerem, Frothonis Tertii patrem, ſub tributum miſſum, commemorare noluerit. Tandem in Lindormo ad familiares ſibi artes redit, Saxonisqve traditiones ſecutus, Hervillum (Saxoni Huyrvillum) Hollandiæ Friſiæqve principem, Danis fœderatum, ad Norvegos defeciſſe docet, illectum præmiis & pollicitis magnis. Verum *Hollandiæ* principem eum fuiſſe, ex archivis Svedicis demonſtrari poſſe omninò dubito, cum iſtud nomen Saxonis ævo parum cognitum fuerit. Rectius itaqve *Stephanius* præviam

Pon-

Pontani aliorumqve magnorum virorum auctoritatem ſecutus *Hallandiam* repoſuit, ſua tamen adeo confidenter Joh. Magnus tradit, tanqvam ex patriæ documentis eruta: adjicitqve cauſam defectionis, qvod Norvegi clam immiſſis in Danorum exercitum exploratoribus, ſeditiones, odia & mutuas rixas excitaverint, multosqve præmiorum magnitudine in ſuas partes allexerint; qvæ omnia in Saxone non habentur, ſed ab ipſo Johanne Magno inventa ſunt.

CAPUT III.

De Regibus à Frothone III. ad tempora Ingonis I. qvi Sivardo LIII. Sveciæ Regi ſucceſſiſſe perhibetur.

Ad Chriſti nativitatem ex Saxonis mente methodoqve perventum eſt: qvo tempore Frothonem III. Danis imperaſſe idem Saxo ſcribit. Coævos ei Johannes Magnus Alaricum Sveciæ, Geſtillum ſeu Geſtiblindum Gothiæ ac Getherum Norvegiæ Reges agnoſcit, qvæqve à Saxone de iis accepit poſteritati tradit. Ericum autem Regem Svecis à Frothone datum negat, ſcriptoresqve Danicos id tradentes culpat, ac ingratitudinis inſimulat: cum beneficio ipſius Frothonem potius regnaſſe conſtet, ut & qvod Ericus à Geſtiblindo adoptatus Sveciæ Gothiæqve principatum ſit adeptus. Sciendum autem eſt (ut id in tranſitu moneamus) multa eorum, qvæ de Alrico (rectius Heidreco) & Geſtiblindo à *Saxone* & eum ſecuto *Johanne Magno* traduntur, aliter ſeſe habere;

prout id ex *Hervoris Hiſtoriâ* & iis qvæ nos Seriei noſtræ lib. III. Cap. IV. pag. 255. inde deſumſimus, evidenter apparere poteſt. Ceterum notari heic *Rudbeckius* meretur, qvod Atlant. Cap. XXXVI. Frothonem inter Daniæ Reges non agnoſcat, dicatqve, *poſt exortos inter homines bellatores, titulum aut nomen* Frodi, *apud Reges in uſu eſſe deſiiſſe, qvippe qvod ſolis aureæ & pacificæ ætatis Regibus, præſertim vero Upſalenſibus* convenerit. Hoc aſſerto enim non ſolum Olafi Tryggvini orationi, Seriei lib. II. Cap. II. pag. 105. à nobis allegatæ, ſed & univerſæ antiqvitatis teſtimoniis, de tot in Dania ejusdem nominis Regibus adverſatur: imo iis ſcriptoribus, qvibus in Sveciæ rebus illuſtrandis aliàs plurimum tribuit. Similem errorem Doctiſſimus aliàs *Verelius* erravit, ubi Not. ad Hiſtor. Hervor. Cap. II. Saxonem, nominum ſimilitudine deceptum, pro Freyo Sveciæ Rege, Chriſti natalem prope contingente, Frothonem III. Daniæ Regem perperam ſubſtituiſſe arbitratur: aitqve inſuper Not. in Cap. IV. *Frodii* nomen, non proprium, ſed eruditis ſapientibusqve commune fuiſſe. Verum tanta in priſcâ ſeptentrionis lingvâ nominum iſtorum convenientia non eſt, ut ambiguitatem parere poſſint; Freyus enim *Freyr* ubiqve dicitur, hodiernâ Danicâ dialecto *Fröe*, unde *Froum* Rudbeckius efformavit; cum Frotho eodem idiomate *Frodi* uſurpetur. De cetero Saxo eorundem ſcriptorum auctoritate, qvi Freyrem Sveciæ Regem iſto tempore conſtituunt, ad aſſerendum Daniæ Frodium ſeu Frothonem nititur: qvi etiam Freyre longè potentior fuiſſe perhibetur, omnium qvippe Septentrionalium Regum potentiſſimus, uti ex præfatione carminis *Grotta-ſaungr* Seriei lib. II. Cap. II.

pag.

pag. 104. à nobis adductâ & aliunde conſtat. Aliàs Saxonem multa in Regis hujus laudes conjeciſſe, qvæ aliis competunt, Rudbeckio largimur; nec veritati litat, Ruſſos maris dominium ſibi id temporis aſſeruiſſe. Qvod vero Johannem Magnum ab eodem ſcriptore deceptum qveritur, minimè conſiſtit. Neqve enim deceptus dici poteſt, qvi patrios annales ſeqvitur, indèqve ea depromit, qvæ adverſario refutando deligit: imò, qvod majus eſt, *Saxonis* ordinem Sveciæ documentis conformem *ſuffragio* ſuo probat; ſaltem Saxonem minus candidè nonnulla, non item univerſa, prodidiſſe qveritur, qvæ *ipſe* ex patriæ ſuæ monumentis emendare, candidiusqve referre vult videri. Interea mirum eſt, qvæ de Asmundi fortuitâ inventione in ſpecu, Arngrimoqve Frothonis genero, ac ejus filiorum fato traduntur, nusqvam amplius in Sveciæ archivis inveniri; cum tamen Johannes Magnus hæc omnia legerit, uno excepto (qvod ſe in ſuis Gothicis hiſtoriis invenire negat) nimirum, qvod Ericus, *ut Saxo* affirmat, unà cum Frothone Angliam, *Britanniam & Hiberniam* ſubjecerit. Id certè verè ſcripſit, ſe *iſta* de Erico *in patriæ* annalibus nunqvam legiſſe; ſed nec qvicqvam eorum, qvæ de eo pluribusqve aliis è Saxone in ſua ſcrinia congeſſit, inibi legiſſe, haud vanâ conjecturâ qvilibet aſſeqvi poterit.

Erico huic filium deinde affingit Gethericum Gothorum Regem: ejusqve expeditiones ex proprio penu maximam partem depromtas adfert, atqve ab eo ſeriem Gothiæ Regum, qvi peregrinas terras exercitu ſubjecerunt, texit. De Halfdano, altero Erici filio, Sveciæ Rege, Saxonis relationi ſimilia narrat, Getherico vero filium

dat Vilmerum, qvi imperium Gothicum, exemplo majorum ſuorum, usqve ad Tanaim protulerit, rediensqve in patriam filium Nordianum Gothis in Ruſſiâ relictis præfecerit.

Sivardum deinde Haldani filium ope Starchateri ad Sveciæ ſceptra perveniſſe, atqve ab Haldano (Bierggramo) Daniæ Rege occiſum eſſe, Saxoni ſimilis ſcribit. Hinc, nè Carolum, qvem is Gothiæ præfectum libri VII. initio memorat, ignoraſſe videatur, Nordiani nepotem eum facit, avoqve in externâ militiâ occupato, regno iſti præfectum ſcribit, tandemqve à Frothone Daniæ Rege occiſum Saxoni conſentiens fatetur. Ericum deinde Sivardi nepotem, varia fortuna cum prædicto Haldano Daniæ Rege congreſſum, tandemqve inſidiis circumventum periiſſe, Saxonem ſecutus perhibet. Hinc victorem Haldanum in imperium Svecanum ſucceſſiſſe, jure qvidem victoriæ, ſed generis præterea favore nixum, qvod ex Svedica ſtirpe per Signem Caroli Gothiæ Regis filiam deſcendiſſet. Ejus geſta cum Anundo & Tochone, Sivaldo qvoqve ac ejus filiis, nec non Harthbeno & aſſeclis, tandem etiam Ebbone, velut ex ore Saxonis excepta, verbis ſaltem diverſis recenſet, atqve ita librum hiſtoriæ ſuæ qvintum concludit.

Exinde libro VII. Ungvinum Gothiæ Regem, adoptatum ab Haldano fatetur, cæſum etiam à Regnaldo, qvem Sveciæ Regibus adnumerat, atqve ab Ungvini filio Sivaldo, Daniæ Rege, deinceps oppreſſum ſcribit. Hinc à Saxone diſſentit, Amundum, Hachonis, Helvini, Hagbarti & Amundi patrem, coronâ Svedicâ donando; qvem Regulorum albo Saxo inſcripſit. In narratione

ta-

tamen parum à Saxone deflectit, ſaltem parcius in hiſtoriis Svedicis Hagbarti temeraria facta, qvam apud Saxonem exponi refert. Hachonem exinde patri Amundo in Sveciæ Regnum ſucceſſorem, pari modo ac patrem antea, providet; eumqve Amundo, ætate gravi ad Regiæ dignitatis labores aſſumto, omnem adminiſtrandi regni ſollicitudinem in ſe ſuſcepiſſe ſcribit. Saxo ſicut Haconis patrem Regulum, ſic eum Reguli filium fuiſſe innuit. Sed & Johannes Magnus à Saxonis relationibus ulterius heic recedit, ubi Hachonem non in Scotiæ regno profugum periiſſe, ſed apud ſuos Sveones, poſtqvam in paterna regna ſucceſſerat, nonnullosqve annos regnaverat, in fata conceſſiſſe aſſerit. De cetero Saxonis veſtigia premit, in ejus actis deſcribendis, enarrandoqve exitiali & Regiæ Danicæ familiæ internecino bello, qvam ad ſolam Gyritham Alfi filiam, Sigari Regis neptem, eo tempore redactam uterqve ſcribit.

CAPUT IV.

De Regibus Svecicis, qvos aliunde qvam à Saxone Joh. Magnus mutuatus eſt.

Hucusqve Regibus è Saxone collectis contentus Johannes Magnus, jam eos in medium producit, qvos ex Norvegicis antiqvitatibus partim deſumtos eſſe apparet: ordine tamen nonnunqvam interrupto, & ad concentum Saxoniani ordinis formato, ne fucus deprehendi poſſit. Ita cum Gunnarum, Svecorum fortiſſimum, Norvegos variis injuriarum generibus vexaſſe, Saxo ſtatim poſt exceſſum Syvaldi Haconi coævi refe-

rat; Joh. Magnus, ut qvatuor Veciæ Regibus, qvos inter ejus tempora & dictum Haconem inſerit, appoſitus locus concedi poſſit, Amundum & Hachonem paucis tantum annis Sveciæ regno præfuiſſe ſcribit.

Ingonem deinde in ejusdem regni ſolio collocatum memorat, qvi inviolabili decreto ſtatuerit, ut caput & ſedes regni Sveciæ in metropoli Upſala deinceps cenſeretur. Hunc ego Ingonem, ſubſeqventium Regum ordine inductus, ipſum Odinum agnoſco. Nam *Arius Polyhiſtor* in calce ſuarum de Islandiâ Schedarum, ubi ſuum ab Ynglingis genus repetit, ſic orditur: *Hæc ſunt nomina patrum Ynglingorum & Breidfirdingorum* (i. e. accolarum ſinus Breidfiordenſis in occidentali Islandia, unde genus duxerat). *Yngvius Turcarum Rex. Niordus Sveonum Rex. Freyr. Fiolner, qvi in domo Frodii Pacifici mortuus eſt. Sveigder. Vanlandius.* & ſic conſeqventer. Qvæ itaqve Johannes Magnus de Upſalis ab hoc Ingone fundatis tradit, de Sigtunâ intelligenda ſunt: ibi enim Odinus, teſte *Snorrio*, ſedem ſuam locavit.

Seqvitur Nearchus, qvi *Snorrii* Niordus eſt: *Loccenio* non diffitente. Frotho, qvem aliis rectius Fröe vocari tradit, Freyr eſt, divinis honoribus cultus. His Urbarum ſubjungit, intuitu Gunnari; qvem cum Saxo Sveonum fortiſſimum ſcripſiſſet, ſtatim hic præceptorem filiis Urbari eum creat. Cumqve forte legiſſet, Eyſteinum ſeu Oſteinum, Uplandorum Regem, canem Norvegis Regem conſtituiſſe, protinus Gunnarum, ſeu ut ille vocat Gunnonem, ejus auſpiciis bellum iis intuliſſe tradit; et ne a Saxone hac in re diſſentire, ſed illius traditionem magis illuſtrare videatur, Gunnonis filium Hildigerum uti ille commemorat. Poſt

Poſt hæc regna Sveciæ Gothiæqve ab invicem divulſa, ſuis qvæqve Regibus adminiſtrata perhibet. Gothis Fiolmum (qvi noſtratium Fiolner eſt, Sveciæ qvidem Rex; id qvod ipſe, de obitu ejus, Snorrio Sturlæo cæterisqve Hiſtoricis noſtris conforme differens, prodit), Sverchærum, qvi nobis Loccenioqve Sveigder, Vanlandrum, Visburum, Domaldrum & Domarum præfuiſſe vult: Svecis Attilum, neſcio unde petitum, cui Dignerus, nobis Dyggvius, à Regio ſangvine alienus, vel, ut alios affirmare perhibet, Oſteni ex ſorore nepos, procerum populiqve conſenſu creatus ſucceſſerit; ejusqve *filius* Dagerus, nobis Dagus, Gothiam iterum à Domari ſive morte ſive abdicatione Sveciæ conjunxerit. Qvæ *Loccenius*, ut minus vera, certioribusqve documentis adverſa rejicit, omnesqve hos Reges præter Attilum, ſuis qvemqve patribus ſucceſſiſſe agnoſcit. Sanè Johannes Magnus ſibi heic parum conſtat, ubi Vanlandrum contra Rethonem, Ruthenum piratam, ſeſe ad pugnam apparaſſe ait: ac poſtea eundem Rethonem à Dagero, qvem Domaro Vanlandri pronepoti ſupervixiſſe ſcribit, deletum eſſe perhibet. Neqve enim Rethonis ætas in tantum extendi benè poteſt, ut Vanlandri, Visburi, Domaldri, & Domari tempora exhauriat, partemqve ætatis Dageri. Sed & æqvè abſurdum eſt, poſt mortem Oſteni in Gothia regnaſſe Fiolmum illiusqve nepôtes usqve ad Domarum ejusdem atnepotem, dum Attilus, Dignerus, dicti Oſteni ex ſorore nepos, atqve ejus filius Dagerus, Domaro mortuo ſuperſtes, Sveciæ ſceptra gererent.

Dagi filium *Snorrius* Agnium facit, eoqve Alrecum genitum prodit. Joh. Magnus, præterito Agnio, Alaricum

cum Dagero patri ſucceſſiſſe ſcribit, eumqve cum Saxonis Alvero eundem eſſe ſtatuit: tum ut ſynchroniſmum à Saxone traditum obſervet, tum ut ea, qvæ is de Hildigero & Haldano refert, rebus ſuis inſerat. Potuiſſet meliori ratione Agnium, Alrecum & ejus filium Alfum, ex *Snorrio* ordine recenſere, qvo Saxonis Alverum ex iſtius Alfi nomine lucraretur. Verum nihil ad Alreki filiive illius Alfi tempora Saxonis Alverus facit, Regulus forte, non vero Upſalênſis faſtigii Rex, qvem Alrecus Alfusqve longo intervallo præceſſere. Ceterum qvod ex Haldani, Hilditannis patris, Upſalenſi *itinere*, ad ſobolem ſterili uxori ſuæ à Diis expetendam ſuſcepto, *infert*, præceptum, ab Humelo Gothorum Rege Dano primo Danorum Regi, cum ipſum Daniæ Regem (ut ipſi placet) deſignaret, de delubro in nullâ Daniæ parte exſtruendo datum, religioſè in illam diem à Danorum Regibus obſervatum eſſe, nullâ ratione nititur. Scimus enim varia oracula à diverſis gentibus pro lubitu conſulta, templaqve adita, ad qvorum obſervationem nullâ lege vel pacto tenebantur. Exemplo ſit *Delphicum*, à *Tarqvinio Superbo*, *Cræſo Lydiæ Rege*, *magnâqve orbis parte conſultum*. Celebre etiam in *Norvegia Balldrshagenſe* Sognicum illud, à Fridthioſo incenſum, longèqve antè ejus tempora ædificatum, à variis freqventatum qvis dubitat? Multò autem magnificentius illud Lethrenſe in Sælandia fuiſſe ſuſpicari licet, ubi nonaginta novem homines, & totidem eqvos, cum canibus & gallis pro accipitribus oblatis, nono qvovis anno, etiam ſuo tempore Diis immolatos notavit *Ditmarus* Epiſcopus Merſeburgenſis. Neqve enim tantum ſacrificium ſine templo,

poſt-

poſtqvam ea in uſu eſſe cœperant, peractum ratio dictitat.

Ingimarum, ſeu Ingonem, Alarici filium, ſibi à ſcriptoribus, tum patriis, tum etiam Norvegicis oblatum, Joh. Magnus exinde in Sveciâ regnaſſe agnoſcit. Qvem poſtqvam Saxonis Ingonem, Alveri filium, Olafiqve & Ingeldi fratrem eſſe ſtatuit, mirum qvam hiſtoriam ejus detorqveat. Neqve enim eum apud Sveciam, ut Saxo ſcribit, ab Haraldo Hilditanne, bellum ſibi imminens anticipante, oppreſſum confiteri ſuſtinet; ſed illud ei fatum tribuit, qvo Agnius Skialfæ, Finnicæ feminæ, maritus periit, locumqve ſupplicii eundem aſſignat, Danicam ei uxorem, eamqve Haraldi Hilditannis conſangvineam affingens, qvæ illius ſuggeſtione virum ſtrangulaverit. Qvæ ſcribendi occaſionem Ingonisqve mortis genus pro lubitu addendi eo nactus eſt, qvod Saxo eum *oppreſſum* tantum dicat. Agnoſcit calumniam hanc *Loccenius*, ac poſtqvam memoratum necis genus, non ad Ingemarum, ſed Agnium Dagi filium pertinere rectè obſervaſſet, remqve ſecundum *Snorrium* expoſuiſſet, adjicit hæc verba: *Annalibus Norvegicis hoc referentibus, conſentit Ericus Upſalenſis, etſi brevius narrat, ſed aliter Johannes Gothus refert, & qvi eum ſecuti ſunt.* Melius itaqve doctiſſimus vir feciſſet, ſi in hiſtoriâ ſuâ *Snorrium* ulterius ſecutus fuiſſet, nec ab ordine, qvem cœperat, diſceſſiſſet, occaſione Drottæ, qvam Dagi aviam (non matrem) Dani vero illius, à qvo Dania nomen accepit, ſororem, Annales Norvegici referunt; qvem cum Saxo, Svecicique ſcriptores (qvi tamen omnes eum videntur ſecuti) Humbli filium faciant, ad eorum methodum deflectit, omnesqve ante numera-

tos Reges, præter eos, qvos Johannes Magnus ipſe hic finxerat, à Saxone petitos, inter Agnium & Ingellum I. interſerit.

Ingellum Joh. Magnus, à Saxone hac in parte recedens, Ingonis ſeu Ingemari filium facit, Loccenius tamen Saxoni conſentiens fratrem agnoſcit. Hunc ſororem Hilditannis rapuiſſe Saxonem ſecutus ſcribit; additqve, qvod in Saxone non extat, eam impudicitiâ ſuâ mariti cædis cauſam fuiſſe, qvem frater ejus inter rixandum occiderit. Verum parricidium iſtud, qvo bini fratres, *Sveciæ Reges*, ſe invicem impetentes, mutuâ ſtrage ciciderunt, ſecundum *Snorrii Sturlæi* relationem, ad Yngvium & Alfum Alreki filios, Agnii nepotes, pertinet. Nec conſtat, ubi Bera, qvæ parricidio iſti occaſionem dedit, nata ſit; certè Hilditannis ſororem fuiſſe temporum diſſenſus non patitur.

Germundum Ingello ſubjicit Joh. Magnus, eumqve à Saxone omiſſum qveritur. Qvod mirari non debuerat. Neqve enim ad hæc tempora pertinet, nec ei unqvam res cum Haraldo Hilditanne fuit. *Genuinum illius nomen Jorundus eſt, fuitqve Yngvii filius, Alreki nepos, Agnii pronepos, atqve Haconi, qvi Hugleicum* occîdit, in Sveciæ Regno ſucceſſit; poſtea ab Halogienſium Rege Gylaugo in Daniâ patibulo affixus, uti ex *Snorrii* Chronico conſtat.

Germundo, qvi nobis Jorundus eſt, Johannes Magnus & plurimi Svecicarum rerum ſcriptores, filium illius Haqvinum ſucceſſiſſe tradunt, Ringonem vel alio nomine vel cognomine dictum. Hunc cum Haraldo Hilditanne Daniæ Rege in campis Bravallenſibus dimicaſſe

vo-

volunt: ac communiter illa, qvæ de hoc prælio ſuoqve Ringone Saxo fuſè tradit, in illius vitam referunt. Egillum qvoqve filium & regni hæredem reliqviſſe memorant. Ceterum valdè hic Johannes Magnus ejusqve ſectatores tempora, res & perſonas confundunt. Etenim *Haqvini* iſtud nomen deſumtum eſt ex Hakio piratâ, Hagbardi fratre, qvi Hugleicum Sveciæ Regem, poſt Yngvii & Alfi mutuam cædem immediatè regnantem, interfecit, prout id nos ex *Snorrio* Seriei noſtræ lib. III. Cap. V. pagg. 275. 276. retulimus. Hakius iſte, Jorundi Yngvio geniti filius non erat, ſed, uti ex memorato *Snorrio* conſtat, contra eundem Jorundum pugnavit, lethaliqve vulnere accepto, moribundum ſe navi imponi curavit, eâqve incenſâ tantum non ardens in altum velis vehebatur: qvemadmodum à nobis Seriei lib. II. Cap. II. pag. 102. memoratum eſt. Sed neqve Hakius Eigilis pater fuit, qvippe qvi genitus eſt Aunio Grandævo, Jorundi filio, illo qvi prodigioſâ ſenectute confectus eſt, cum Hakius violentâ morte, uti dictum, perierit. Diverſas itaqve perſonas Svecici ſcriptores heic confundunt, ubi Haqvinum huncce, vel Hakium, in Aunii Grandævi locum ponunt, eumqve Regum ſuorum genealogiæ inſerunt, cum tamen peregrinus fuerit. Abſurdius adhuc Ringonis cognomen heic additur, ac inter eum & Haraldum Hilditannem pugnatum eſſe traditur. Nam trecentis annis tam Hakius qvam Aunius Haraldo vetuſtiores ſunt, prout ex Chronologiâ noſtrâ Seriei lib. III. Cap. II. exhibitâ manifeſtum eſt. Et rem totam aliter qvam à Svecicis ſcriptoribus proponitur, ſeſe habere, ex ſæpedictæ Seriei lib. III. Cap. VIII. evidenter, ut credimus, patet.

Egillum patri Haqvino ſucceſſiſſe Johannes Magnus ſcribit: qvi reverâ Aunii Grandævi filius erat. Heic inveterato in Danos odio, uti binas iſtas feminas, qvas nuper memoravimus, Danicas fuiſſe finxit, ita nunc Thonnonem, Eigilis hoſtem è Dania primò ad eum profugiſſe, mox ab Omundo Daniæ Rege in Dominum ſollicitatum eſſe, nullo auctore præeunte ſcribit. Id vero omiſit, multis jam præliis fuſum Egilem à Frodio Daniæ Rege in regnum reſtitutum ſtatumqve turbulentum tranqvillo ejus beneficio permutaſſe.

Gotharum à Saxone in Syvardi Omundi filii vitâ nominatum, eundem aut eſſe putavit aut voluit, qvi in Hiſtoriâ Norvegica Eigilis filius legitur, Ottarqve Vendilkraka ſeu cornix Vendelina audit, propterea qvod illo in Jutia occiſo alitumqve lanienæ expoſito, cornix lignea in Sveciam à Danis in illius ludibrium miſſa fuerit. Verum nulla in hiſtoriâ Norvegicâ mentio occurrit geſtorum ejus cum Omundo, ſuſceptiqve prælii ob falſam ſuſpicionem immiſſi in legatum Ebbonem ſicarii, aut Syvardi Daniæ Regis infelicis pugnæ cum *Simone Scaniæ Satrapa, à Gotharo conſtituto*: qvæ Johannes Magnus partim ex Saxone partim ex proprio cerebro deſumta, huc congerit. Nec ſanè Ottar Eigilis filius cum Saxonis Gotharo qvicqvam commune habet; ſed iſte Regum ordo hùc contorqvetur, ſaltem ut Saxonis relationes adferri Svedicæqve hiſtoriæ heic inſeri poſſint.

Adelum Ottaris filium, rectius Adilſem, agnoſcimus, cujus nullam mentionem Saxo hìc facit; nec ei cum Jarmero rem unqvam, ſed cum Helgio & Rolfo Krakio fuiſſe legimus. Johannes Magnus, qvi Snorrii ordinem

ali-

aliàs hic ſecutus eſt, Sclavis adjutorem contra Jarmerum finxit, ne à Saxone in tempore diſſentiret; facit tamen cum noſtatibus, ubi corruentis eqvi lapſu interiiſſe ait.

Oſtanus, nobis Eyſteinus, Adelo qvidem ſucceſſit, in eoqve Johannes Magnus nobiscum conſentit, qvod is incendio conſumtus ſit; verum non à ſuis: ſed Solvio de Niardeya, Norvego, primùm piratâ, mox Comite ſatrapâqve Sælandiæ, ac Jutiæ Regulo; tandemqve Sveciæ Rege, victoris vel potius felicis prædonis jure facto. Ceterum neqve illius mentionem Saxo facit, nec Johannes Magnus geſta ejus Daniæ rebus immiſcet.

Ingemarus, *Snorrio* & *Langfedgatali* Yngvar rectius dictus, Eyſteino patri ſucceſſiſſe verè à Johanne Magno ſcribitur: qvod autem Daniam ſubjecerit, inſidiisqve incolarum poſtea in inſula Longâ occubuerit, gratis traduntur. *Snorrius* pace cum Danis factâ Eſthoniam bello laceſſiviſſe, ibiqve occiſi corpus tumulo illatum memorat.

Poſthæc cum Saxo Gothorum Regis filiam, Regi Sveciæ nuptam, aſtu in Snionis Daniæ Regis matrimonium illectam conceſſiſſe, nec tamen eorum Regum nomina exprimat, Johannes Magnus, ne qvid hic plenæ narrationi deſit, Gothiæ iſtum Regem Holſtani, Sveciæ vero Biorni nominibus inſignit. Præterea Saxoni non concedit, Gothiam victoriæ jure, ſed tantum Scaniam Daniæ regno ceſſiſſe, tanqvam hoc uno excepto Annales Svedici cum Danicis exactè conſentirent.

Biorno tandem octodecim Reges ſubjungit, nulli alii Svecico ſcriptori viſos: ſed è proprio cerebro de-

promtos, ad ſupplendum ingentem temporum hiatum, qvem à primo Longobardorum egreſſu ad Carolum Magnum, qvatuor tantum domeſticorum Regum ætatibus definitum, magna ratione obſervatum aliis, ipſe qvoqve deprehendit. Regum illorum nomina hæc ſunt: 1. Ravaldus. 2. Suartmannus. 3. Tordo. 4. Rodulphus. 5. Hathinus. 6. Attilus. 7. Tordo. 8. Algothus. 9. Goſtagus vel Oſtanus. 10. Arthus. 11. Haqvinus. 12. Carolus. 13. Carolus alter. 14. Birgerus. 15. Ericus. 16. Torillus. 17. Biornus. 18. Alaricus. Hi Reges (qvos *Loccenius* ab Erico Upſalenſe & aliis veterum annalium conditoribus ignorari fatetur) cum, auctore illorum diſponente, multa ſecula impleant, qvibus nihil de Danorum Regibus Saxo memorat, is egregiam occaſionem nactus ignominioſiſſima qvævis de Danis pro lubitu effutit, omniumqve imperio, libidini, tyrannidi eos ſubjectos toto illo temporis intervallo comminiſcitur: conaturqve perſvadere, non eſſe à *Saxone prætereritos Reges, qvi Danis hoc tempore imperaverint, cum nullos habuerint; Saxonem autem tam longi temporis res Danicas ſtudioſè diſſimulaſſe, ne inſignes patriæ ſuæ calamitates, qvas tunc multis modis paſſa ſit, commemorare cogeretur.* Ne vero diſſenſus in alterutrius gentis annalibus qvantum ad ſucceſſionum ordinem Regumqve ſynchroniſmos appareat, Erici, in ficto hocce Regum numero decimi qvinti, tempore, Biornum, qvem Saxo Snioni ſucceſſiſſe tradit, Daniam Regem nactam refert: Torillo qvoqve Haraldum Daniæ Regem coævum facit: tandemqve Gormonem, Haraldi filium, Sigritham Alarici Sveonum Regis filiam uxorem duxiſſe fingit. Lon-

Longius in hac collatione progredi nec opus nec otium eſt, cum ſatis ſuperqve ex his pateat, Johannem Magnum, qvi Svecicorum ſcriptorum locupletiſſimus eſt, à Saxone minime deceptum, ſed decipiendi ſtudio ſubdolè Saxonis veſtigiis inſtitiſſe, ut captatis occaſionibus tutius inde recedere, majoriqve veritatis ſpecie ſua figmenta obtrudere deinceps poſſet.

FINIS.

Ad Seriem Regum Daniæ
Appendix II.
De Hognio & Hedino.

Hognii & Hedini mentionem Seriei noſtræ libro III. Cap. IV. pag. 262. injecimus, atqve de iis ad calcem libri uberius agere promiſimus: ne ſcilicet conſvetam operis brevitatem prolixa nimis relatio interturbaret. Nunc promiſſi memores, ſingula, qvæ de illis tam Saxo qvam noſtrates in literas retulere, bonâ fide proferemus, initio à *Saxonis* traditione facto, qvi libro V. eorum ſub Hógini &Hithini nominibus meminit, ac Frothoni III. circa Chriſtianæ æræ primordia regnanti, coævos fuiſſe ſcribit. Verba illius hæc ſunt: Inter hæc, *ait*, Hithinus „ Rex aliqvantæ Norvagienſium gentis, Frothonis claſ„ ſem centum qvinqvaginta navigiis accedebat. Qvi „ Regi in proximum amicitiæ gradum receptus, ma„ gnum copiis ejus attulit ſupplementum. Eidem poſt„ modum cum Hildâ, Hógini Jutorum Reguli filiâ, „ ſpectatæ admodum opinionis virgine, mutuus amor „ inceſſit. Qvippe nondum invicem conſpectos alterna „ incenderat fama. At ubi mutuæ conſpectionis copia „ incidit, neuter obtutum ab altero remittere poterat: „ adeo pertinax amor oculos morabatur. *Interea* Hi„ thino Hóginoqve ſocialem exeqvi piraticam placuit: „ ignorabat enim Hóginus ſuam à ſodali filiam adama„ ri. Erat autem is corporis habitu præſtans, igenio pervi-

pervicax; Hithinus vero corpore perqvam decoro ſed ,,
brevi extitit. *Exinde* Hóginus filiam ſuam Hithino ,,
deſ ondit, conjurato invicem, uter ferro periſſet, al- ,,
terum alterius ultorem fore. *Variæ circa hoc tempus pro-* ,,
vinciæ à Frothonis Ducibus, illius auſpiciis ſubactæ ſunt. Hi- ,,
thino qvoqve & Hógino Orcadum trophæâ ceſſere. ,,
Poſtea Hithinus apud Hóginum qvorundam obtrecta- ,,
tione inſimulatus eſt, qvaſi filiam ejus ante ſponſali- ,,
um ſacra ſtupri illecebris temerâſſet: qvod tunc im- ,,
mane cunctis gentibus facinus habebatur. Igitur Hó- ,,
ginus credulis auribus rem falſò nunciatam excipiens, ,,
Hithinum, Regia apud Sclavos ſtipendia colligentem, ,,
claſſe laceſſit, conſertâqve manu victus Jutiam peti- ,,
vit. Frotho miſſis, qvi ſimul eos accerſerent, ſcrupu- ,,
loſius cauſam ſimultatis inqvirit. Qvâ cognitâ, juxta ,,
legis à ſe latæ formulam pronunciavit. Videns autem ,,
ne ſic qvidem eos in gratiam reduci poſſe, patre fili- ,,
am pertinacius repoſcente, litem ferro decidendam ,,
edixit. Id qvippe ſolum dirimendæ controverſiæ re- ,,
medium videbatur. Initâ pugnâ Hithinus acerrimâ ,,
perſtrictus plagâ, cum ſangvine & viribus corporis ,,
deficeret, inſperatam hoſtis clementiam expertus eſt. ,,
Hóginus ſiqvidem promptiſſimam occidendi ipſius fa- ,,
cultatem adeptus, formæ tamen ejus, & juventæ mi- ,,
ſeratione, ſævitiam manſvetudini cedere coëgit. Ita- ,,
qve ne ephebum inter extremi ſpiritus momenta pal- ,,
pitantem extingveret, abſtinuit ferro. Olim namqve ,,
impuberem aut invalidum vitâ ſpoliare rubori deputa- ,,
batur. Ita Hithinus ſociorum operâ ad naves relatus ,,
hoſtis beneficio ſervatus eſt. Iidem ſeptimo abinde ,,

„ anno apud inſulam Hithinſö pugnam exorſi, mutuis
„ vulneribus conſumpti ſunt. Ferunt Hildam tantâ mariti cupiditate flagraſſe, ut noctu interfectorum manes redintegrandi belli gratiâ carminibus excitaſſe credatur.

Ex Eddâ, *libro poëtico, ſeqventia huc pertinent, Latinè tantùm, ut chartæ parcatur, â nobis exhibenda:* Rex qvidam, Hognius nomine, filiam habuit Hildem dictam. Hanc Rex qvidam, nomine Hedinus Hiarrandii filius, captivam abduxit, patre illius in conventu Regum occupato. Hognius, regni ſui populatione raptuqve filiæ cognitis, Hedinum cum armatâ manu qværere cœpit. Auditoqve illum aqvilonem verſus littora legiſſe, in Norvegiam perrexit. Ibi Hedinum in occidentalem oceanum navigaſſe comperit. Qvem è veſtigio ſecutus, ad Haeyam, Orcadum unam, eum cum ſuis convenit. Hildis mox patrem acceſſit, ac Hedini nomine culpam deprecabatur: interea, ſui qvaſi diſſimilis, adjiciens, Hedinum ad pugnam paratum, Hognioqve infeſtiſſimum eſſe. Hognius filiæ parum blandè reſpondit. Qvæ ad Hedinum reverſa, Hognium omnes pacis conditiones reſpuere dixit, atqve ut ad pugnam ſe pararet, rogavit. Uterqve igitur conflictui ſe accingunt, atqve in inſulam eſcenſione factâ acies inſtruunt. Tunc Hedinus Hognium ſocerum ſuum allocutus, delicti veniam petiit, auriqve copiam in ſatisfactionem ei obtulit. Hognius reſpondit: Nimis tardè iſta, ſi modò ſeriò loqvaris, obtuliſti; nunc enim Dainsleifum, vaginâ extraxi, gladium à nanis fabrefactum: qvi qvoties nudus apparuerit, hominem inter-

interficit, ſecando non hebeſcit, nec unqvam vulnus „ niſi inſanabile objecto infligit. Gladio, inqvit Hedinus „ non victoriâ gloriaris, qvem bonum dixero, ſi Domi- „ no ſuo faverit. Poſthæc pugnam orſi ſunt, qvæ *Hiad-* „ *ningorum* (Hedinianorum) *cædes* dicitur, totoqve illo „ die conflixerunt. Cum veſperaſceret, Regum uterqve „ naves petebat, Hildis vero cæſorum cadavera noctu „ viſitans ſingula eorum incantamentis reſuſcitavit. Se- „ qvente luce Reges pugnæ locum repetentes, unà cum „ iis, qvi præteritâ die ceciderant, denuò conflixerunt. „ Et ſic pugna iſta qvotidiè continuabatur: viris „ qvi cecidere, armis qve ac ſcutis, qvæ in cam- „ po, ubi conflixerant, ſtrata jacuere, noctu in lapi- „ des converſis, illuceſcente vero die cæſis evigilan- „ tibus, ac ad arma, uſum ſuum tunc recuperantia, re- „ deuntibus. Carminibus traditur, Hiadningos (*Hedini-* „ *anos eorumqve hoſtes*) hac ratione Deorum crepuſculum „ (*extremum mundi diem*) expectaturos eſſe.

Olafi Tryggvini vitæ, qvæ Codice Regio, Flatey-enſi vulgò dicto, continetur, prolixa ſatis *de Hognio & Hedino Relatio* inſeritur, qvæ à fabulis incipiens ita ſeſe habet: Tractus à Thanai in orientem protenſus, Aſia ſive Aſianorum terra, populi autem qvi eum incoluerunt, Aſiani dicebantur. Metropolis regionis, Asgardus, ſacrificiis inclyta erat. Rex terræ Odinus Niordum Freyremqve flamines ſeu ſacrificos ibidem conſtituit. Niordi filia Freya erat, qvæ Odino adhærens concubina illius fuit. Haud procul ab Odini aulâ ſaxum qvoddam inhabitârunt viri, qvibus hæc erant nomina: Alfriggus, Dvalinus, Berlingus, Grer. Hi fabrilium artium adeo periti fuere, ut qvic-

qvid vellent fabricarent. *Ejus generis homines Dvergi,* ſeu *Nani* appellabantur, atqve illo tempore, magisqvam hodierno (ait auctor) hominibus commiſcebantur. Freya ſui ſeculi ſpecioſiſſima femina erat, Odinoqve tenerè amata; hæc ſolitariam domum inhabitavit, venuſtè ac tam firmiter conſtructam, ut eâ invitâ, modò janua clauderetur, nemo intrare poſſet. Fortè Freya die qvodam ad nanorum ſaxum exſpatiata, id apertum offendit: ubi inſigni aureo monili conſpecto, illius habendi cupidine flagrans, auro, argento, aliisqve rebus pretioſis iſtud licitabatur. Nani haud minore ejus amore accenſi, abunde ſibi aurum resqve tales ſuppetere, ſingulosq; ſuam partem (communiter enim poſſidebant) non niſi concubitu ipſius vendituros reſponderunt. Conſentit Freya, ac poſtqvam ſingulis ſingulas noctes dediſſet, monile, proſtitutæ pudicitiæ mercedem, domum deportavit. De his cum Lokius, Farbautii ex Lauſeya filius (vir aſtutus, novorum ſemper curioſus ſcrutator, omniumqve ad Odinum rumorum aſſiduus delator, ac eo nomine omnibus exoſus) Odinum certiorem feciſſet, *is monile collo* Freyæ detrahere, *ſibiqve tradere illum juſſit; id qvod* hic aſtu magicâqve arte præſtitit. Freya ut ablatum monile evigilans deprehendit, Odino ſvaſore ſurreptum rata, eum acceſſit, ſibiqve reddi poſtulavit. Is monile, turpi per eam mercede emtum, gratis ſe redditurum negavit. Poſtulare igitur, ut duos potentiſſimos Reges, qvorum ſingulis viginti Reges parerent, ita inter ſe committeret, ut continuè belligerantes mortem non oppeterent, ſed cæſi mox ad vitam redeuntes prælium eotenus ſine intermiſſione renovarent, qvoad homo Chriſtianus,

anus, congredi cum eis auſus, ſingulos veris non vanis ictibus feriendo, fatali pugnæ finem imponeret. Acceptavit conditionem Freya ac itaqve carum ſibi monile recepit.

His in memoratâ *Relatione* ſeqventia ſubjunguntur: Halfdano Daniæ Regi, qvi ſedem ſuam Roſchildæ habuit, Hvedna uxor binos filios peperit, Hognium & Haconem. Halfdanum, ætate gravem, Sorlius pirata Norvegus, Erlingi Uplandorum in Norvegiâ Regis (qvi elapſis à morte Frodii Pacifici XXIIII. annis floruiſſe hìc dicitur) filius, præſtantiſſimæ navis, qvâ is eatenus vehi ſolitus erat, poſſidendæ cupidine ductus, in Dania occidit. Mox cognito filium illius Hognium, è piraticâ reducem, ad Odinseyam cum claſſe excubare, eò qvoqve ſuam dirigit, illumqve de paternâ cæde certiorem faciens, ſatisfactionem offert, ad arbitrium illius exigendam, ſocietatem inſuper, arctiſſimo ac inviolabili fœdere ſtabiliendam. Hognius paternæ necis vindictam ſitiens, omnes pacis conditiones reſpuebat. Prælium itaqve committitur, acriterqve non ſine utriusqve partis clade geritur. Inter alios Hacon, Hognii frater, Sorlii manu occubuit: Erlingus qvoqve Sorlii pater cum Hognio dimicans vitam amiſit. Poſtremo Hognius cum Sorlio arma conſeruit, eumqve tandem ad ultimam defatigationem redactum, cum occidere poſſet, ſanari curavit, oblatamqve antea fraternitatem & fœdus cum eo iniit.

Paulo aliter ipſius *Sorlii vita* hæc enarrat: nempe Halfdanum, qvem *Branæ Alumnum* cognominat, non Daniæ ſed Sveciæ Regem facit, eumqve à Sorlio interfectum tradit, non ſolâ navigii illius poſſidendi cupiditate,

ſed in ultionem magis patrui ſui Agnaris, qvem Halfdanus antea regno & vitâ ſpoliaverat. Hognius, patris cæde auditâ, in Norvegiam trajeciſſe perhibetur, qvæ ſiturus Sorlium, patremqve in eo ulturus. Comperto autem eum abeſſe, vindictam in neceſſarios ejus vertens, genitori illius Erlingo bellum intulit, eumqve cum filio Sigvaldo, Sorlii fratre, tandem occîdit. Interea Sorlius, in Sveciam profectus, Sigmundo, Halfdani filiorum alteri, pro paternâ cæde ſatisfactionem obtulit. Qvam ille reſpuens Sorlium armatâ manu impetit; verum ipſe occiditur. Nec multo poſt Hognius è Norvegiâ redux ſuperverit, ac ſingulari certamine cum Sorlio congreſſus eſt. Dubia victoria erat, cum Hognius abjecto gladio in Sorlium irrueret: qvi, poſtqvam diu æqvali virtute colluctati eſſent, dum puteum qvendam, ſibi objectum, tranſſilire conaretur, cecidit, ſupinusqve incidentem in ſe Hognium excepit. Is itaqve hac ratione victor factus Sorlio pepercit, abrogatisqve mox odiis, arctiſſimum cum eo amicitiæ fœdus pepigit.

Sorlium poſtea in Norvegiâ regnaſſe, ſenemqve obiiſſe, memorata illius vita tradit, additqve (qvod falſiſſimum eſt) filium illius fuiſſe Sigurdum Hringum, Ragnaris Lodbrochis patrem. Hognio qvoqve ex Ingibiorge, Sorlii ſorore, natos eſſe memorat Hildem cognomento Gracilem & Halfdanum Munificum, qvi tempore Haraldi Hilditannis in Angliâ regnaverit.

Majorem hic fidem meretur ante memorata *de Hognio & Hedino Relatio*, qvæ Hognium in matrimonio habuiſſe perhibet Hervorem, filiam Hiorvardi, filii Heidreki Ulfhami, qvæ ei Hildem (*Gracilis* cognomen non

addi-

additur) pepererit, virginem prudentiâ & rarâ formæ venuſtate inſignem.

Sorlium à piratis in oriente occiſum eadem *Relatio* tradit: qvod ut Hognio innotuit, is ſine morâ ad ſocii necem vindicandam in orientem profectus, perpetuo victoriarum curſu tantum profecit, ut complura regna ſibi ſubjiceret. Viginti Reges illius imperium agnoviſſe memorantur: eorum, credo, generis, qvi minorum gentium paſſim priſcis temporibus extitere. Addit tamen *Relationis*, qvam ſeqvimur, auctor, Hognium facinoribus ſuis tam celebrem evaſiſſe, ut nomen illius Pariſiis pariter atqve in Finnmarchia, interjectoqve ampliſſimo terrarum ſpatio notiſſimum fuerit.

Pergit ſæpius memoratæ *Relationis* auctor hunc in modum: Hiarandii Serclandiæ Regis filius erat Hedinus, qvi corporis ſtaturâ, fortitudine ac agilitate ceteris præſtitit, atqve à juventute piraticis ſeſe exercitiis aſſvefecit. Eâ ratione viginti Reges (Regulos puta, vel minoris momenti toparchas) ſuo imperio ſubdidit, hiemesqve, piraticâ intermiſſâ, in Serclandia transegit.

Serclandiæ nomine heic indigitari videtur, non Africa, ut ſæpè aliàs: nec Aſſyria, uti in vetuſtiſſima Bibliorum verſione Islandicâ, qvæ vulgò *Stiorn* vocatur: ſed Tartaria. Nam *Rolfi Pedeſtris vita* hunc Hedinum ad inſulam, Tartariæ & Ruſſiæ interjacentem, & ab eo *Hedinseyam* i. e. *Hedini inſulam* dictam, cum Daniam peteret, appuliſſe memorat, atqve in aſſertionis ſuæ fidem *Hiadningorum hiſtoriam* (cujus hæc Relatio fragmentum eſſe videtur) adducit.

Hedinus aliqvando ſuorum nonnullis comitatus, animi

nimi gratiâ ſilvam acceſſit. Cumqve comitibus relictis ulterius exſpatiaretur, in feminam ſpecioſam incidit, ſellæ inſidentem; qvæ Gondulem ſeſe appellari dixit. Ei Hedinus geſtorum ſuorum Iliadem recenſuit, tandemqve an parem ſibi alium Regem pernoſceret, interrogavit? Illa Hognium Daniæ Regem ei nihilo inferiorem eſſe reſpondit. Is alium ſibi æqviparari ſuccenſens, Hogninæ virtutis ſe experimenta facturum dixit. Nec multo poſt navem, trecentis inſtructam viris, conſcendens, ventis vela dedit. Integer annus navigando conſumtus eſt, anteqvam in Daniam veniretur. Hognius, audito Hedini adventu, eum ad epulas invitavit: qvibus dum aſſiderent, Hognius tam longi itineris cauſam ſciſcitabatur. Reſpondit Hedinus, ideo ſeſe peregrinationem iſtam ſuſcepiſſe, ut qvantum Hognius armis aliisqve corporis exercitiis valeret, experiri poſſet. Hinc artium exercitiorumqve ſpecimina ambo edidere, tantâ utrinqve dexteritate, ut pares omninò viderentur. Mox bonorum omnium ſocietatem ineuntes fraterno nexu ſe invicem obligarunt.

Poſthæc cum Hognius, *expeditionem piraticam ſuſcipiens*, Hedino regni adminiſtrationem commiſiſſet, accidit ut is in ſilvam venatum profectus, eandem ac in Serclandiâ viderat feminam, ſed forma nunc auguſtiore ſedentem ibidem deprehenderet. Hæc ei ſitienti cornu ſuccis in amentiam oblivionemqve mixtis repletum porrexit: eoqve epotô, qvæſivit, dictisne ſuis omnia reſpondiſſent, Hognio tali deprehenſo, qvalem illa prædicaverat? Hedinus nil præter verum dixiſſe eam regeſſit: Hognium enim omnibus exercitiis ſibi æqvalem fuiſſe; ſe

ita-

itaqve ac illum mutuam ſocietatem tanqvam pares iniiſſe. Imò verò, reſpondit illa, maximè impares eſtis: Hognius enim conjugem ſplendidis natalibus ortam habet, tu vero cælebs es. Diſparilitas iſta, regeſſit Hedinus, componi facilè poteſt, cum ſit Hognio filia egregia, nomine Hildis, qvam ſimul ac expetam impetraturum me ſcio, ac ea ratione conjuge inferiorem illo non futurum. Ea petitionem illam nuptiarum humile qvid ſapere dixit, raptum autem fortibus viris competere, qvò majori facinore cumulatum, eò etiam illuſtriorem, ingenioqve heroico digniorem; nihil itaqve illuſtrius ad fortitudinem ejus commendandam, ac qvam omnis ab Hognio metus expers ſit declarandum excogitari poſſe, qvam ſi raptâ filiâ matrem etiam occîdat, idqve haut uſitato mortis genere, ſed navigii è ſicco in mare deducendi carinæ eam ſubjiciendo, qvo in duas partes diſſecta memorabilem mortem oppetat. Omnes Hedini ſenſus, omnem intellectum potio turbaverat: itaqve alienatâ à recti cognitione mente, id duntaxat probavit, qvod rationis compos turpiſſimum ſceleratiſſimumqve judicâſſet. Igitur in aulam reverſus ſuis mandavit, ut navem ad domuitionem appararent: omnibusqve ad navigationem inſtructis, Reginam cum Hilde abduxit. Qværenti Hildi, qvid ei in animo eſſet? propoſitum aperuit. Illa vi nullâ opus eſſe reſpondit; ſimul enim ac patri voluntatem aperiat, ſe obtenturum. Qvod ſi id dedignetur, ſeqve rapere malit, poſſe tamen patri reconciliari: matre vero occiſâ nullo modo. Ut inexorabilem vidit, nec illos homines præſtò, qvi ei jam truculento vultu terribili, ſeſe opponerent, auxiliumqve matri ac ſibi ferrent, ſui com-

potem non eſſe clamitabat, lamentataqve, tum illud qvod præ oculis verſabatur malum, tum etiam dirarum, qvam ſubſecuturam animo præſagiebat, vim nefandam. Sed ne ſic qvidem eum à furioſo propoſito dimovit. Regina itaqve crudeli, ut antedictum eſt, nece perimitur. Qvo peracto Hedinus, anteqvam abiret, à ſatellitibus digreſſus, in notam ſilvam ſe contulit; ubi Gondulem ſellæ, ut antea, inſidentem vidit, agnitamqve familiariter ſalutavit, ac ovanti ſimilis, qvæ hortatu ejus geſſerat, diſtinctè expoſuit. Illa cum magno aſſenſu cuncta collaudaſſet, idem ei cornu qvod antea exhauriendum obtulit. Qvi aridas fauces liqvore perluere geſtiens illud mox acceptum ebibit, ſtatimqve à potione ſomno oppreſſus gremio ejus caput inclinavit. Verum illa dormienti ſe ſubducens, hanc formulam pronunciabat: Nunc te & Hognium, cum univerſis veſtris copiis comitibusqve, poſtulatis Odini adimplendis conſecro. Evigilans mox Hedinus abſcedentis Gondulis ſpeciem, tunc demum nigram & horrendam conſpexit. Exinde ad ſe rediens, ſceleris *magnitudinem juſtâ* judicii lance perpendit, conſcientiæqve *ſtimulis* actus *abitum* protinus maturabat, in remotiſſimas profecturus regiones, ubi talia ſcelera ab ignaris ſibi exprobrari neqvirent. Navim itaqve ſine morâ conſcendit, Hildeqve ſecum aſſumtâ ſecundis ventis flantibus in altum provehitur.

Exiguo tempore à diſceſſu Hedini, Hognius domum rediit: ubi omnia luctu fædata deprehendens, Reginam crudeli morte ſublatam, filiamqve raptam, ac unâ cum præſtantiſſimo, qvod pater Halfdanus olim poſſederat, navigio avectam mox comperit. Itaqve haud ſecus

ac

ac par erat commotus, è veſtigio Hedinum perſeqvitur, tantam ventorum indulgentiam nactus, ut in eum portum per ſingulas veſperas deferretur, unde Hedinus ſummo ejus diei mane ſolviſſet. Tandem die qvodam Hedino anteeunti adverſus ventus obſtitit, qvi Hognio in eodem curſu ita profuit, ut adverſarium ſub inſula *Ha* (*Haeyam* rectius *Edda* vocat, & Orcadum unam indigitat) aſſeqveretur. Eum prior Hedinus allocutus, ingens, *inqvit*, ſcelus in te commiſi, qvi uxorem tuam crudeli morte innocentem necavi, filiam rapui, naviumqve tuarum præſtantiſſimam inter prædam ſpoliaqve avexi. Non tamen iſta propriâ malitiâ à me perpetrata eſſe exiſtimabis: nec niſi malarum furiarum inſtinctu, occultaqve Parcarum vi victo ac ſiniſtris fatis condemnato. Flagitiorum itaqve veniam abs te ſpero, iſtis, qvæ tibi ipſi placuerint, conditionibus impetrandam. Filiam cum nave primò reſtituam, deinde in remotiſſimas terras me recipiam, nec in Septentrionem poſt hæc unqvam redibo, aut tuo me conſpectui offeram. Adhæc Hognius reſpondit: Si nuptum filiam petiiſſes, eam tibi dediſſem; qvam etſi rapuiſſes, componi res potuiſſet, amicitiaqve redintegrari. Nunc autem cum immani ſupplicio Reginam tam ſceleratè affeceris, omnem compoſitionis paciſqve ſpem amputatam ſcito, arma cape, experiemurqve qvinam noſtrum grandiores ictus infligere valeat. Qvandoqvidem, reſpondit Hedinus, pugnare decreviſti, cum ſolo me ſolus pugna; neqve enim meis periculis eos involvere æqvum eſt, qvi nihil in culpâ ſcelereqve meo communicaverunt. Id cum Hognius approbaturus videretur, milites ab u-

traqve parte pro ſe qviſqve pugnam poſcebant, haud ſe otioſos ſpectatores ducibus ſuis futuros vociferantes, ſed ut fortes & ſtrenuos milites deceret, eorum vitam ſuis periculis propugnaturos. Tum Hedinus: non ultra, inqvit, pacis conditiones offeram, nec prælium detrectabo; eductisqve in inſulam copiis, pugnam ſuos fortiter pro ſingulorum virtute & alacritate capeſſere juſſit. Hognius ira offenſarumqve memoria incitatior vehementiorqve fuit. Hedinus agilis magis, nec graviorum ictuum parcior. Pro vero affirmatur (ait *Relationis* hujus auctor) diris hiſce (puta, qvibus Hedinus & Hognius à Gondule devoti fuere) tantam efficaciam immanemqve vim inſitam fuiſſe, ut qvamvis pugnatores umbilicotenus à capite ſummo ſe mutuis ictibus diſſcinderent, tamen mox velut redivivi ſurgerent, præliumqve ſine ullâ intermiſſione renovarent. Hildis autem è colle qvodam pugnam ſedens ſpectabat. Addit memoratæ *Relationis* auctor, fatalem hunc ac horrendum conflictum qvatuordecim annorum decadibus & tribus inſuper annis (i. e. centum qvadraginta tribus annis) duraſſe: nempe (*ut idem ait*) ad primum uſqve Olafi Tryggvini Norvegiæ Regis annum; cum ſcilicet memoratus Rex ad dictam inſulam *Ha* navem appelleret, ibiqve pernoctaret. Accidit enim, ut aulicorum illius unus, Ivar Liomius nomine, noctu in inſulam ſolus eſcendens, obvium haberet virum ſangvine madentem vultuqve ſubtriſti. Qvi nomen rogatus, Hedinum Hiarandii filium ſeſe appellari Serclandiæqve ortum debere reſpondit. Scito autem addidit, viros, qvi in hac inſula noctu hactenus diſparuere (diſparuerant vero non pauci, qvorum exitum

aut

aut abitionis rationem nemo noverat) meis & Hognii Halfdani filii conſiliis hominum conſortio exemtos eſſe. Nobis enim noſtrisqve militibus tanta immanium fatorum acerbitas, Odino directore, ſupervenit, ut noctu diuqve nobis adinvicem pugnandum ſit. Qvæ calamitas per multas hominum ætates jamtum duravit; durabitqve donec Chriſtianus qvidam homò ſingulos noſtrûm gladio feriat, tum demum ad fatalem pugnam haud reſurrecturos. Nunc ut pugnæ locum mecum adeas à te peto, qvippe qvem bene Chriſtianum eſſe ſcio, Regisqve tui fortunâ ac auſpiciis fretum, calamitatibus noſtris finem facturum non dubito. Ceterùm obſervari à te velim, ne me Hognio priorem occîdas. Neqve enim illi debellando tua ſufficiet dextra, niſi, me eocum arma conſerente, illum à tergo ſimul adoriaris gladioqve impetas: ego autem poſt reliqvos occiſos cervicem tibi facilis præbebo. Annuit Hedini petitis Ivar, pugnæqve locum accedens, Hognium primò, ceu monitus erat, occîdit: hinc pugnatorum reliqvos neci dedit: tandemqve Hedinum adortus, eum ultimò obtruncavit, atqve hac ratione immani fataliqve pugnæ finem impoſuit. Hactenus dicta Relatio; cui ut & iis, qvæ de Hognio & Hedino *Edda* tradit, fabulæ multum ineſſe qvivis videt. Nobis autem qvæ veteres hac de re in literas retulerunt, ſive vera, ſive falſa, hoc loco commemoranda fuere.

Ad prædictam de Hognio & Hedino Relationem qvod attinet, illa ſecum malè cohæret, ubi memoratos homines in Odini Asgardiæ adhuc commorantis tempora (qvæ Chriſti nativitatem LXX. ad minimum annis, ſecundum noſtrum calculum, præceſſere) refert: mox

Erlingum, Sorlii, qvi cum Hognio pugnavit, patrem, XXIIII. annis poſt obitum Frodii Pacifici (qvem circa annum Chriſti XXXV. deceſſiſſe ſtatuimus) floruiſſe memorat: ac conſeqventer Hognium &, qvi ei coævus erat, Hedinum vergente ſeculo I. vixiſſe innuit: hinc Hognium in matrimonio habuiſſe tradit Hervorem, Heidreki Ulfhami neptem: cujus amita, dictiqve Hedreki filia Hildis, Haraldi Grandævi, decimo tertio gradu à Frodio Pacifico deſcendentis, uxor erat, uti ex Tabulâ genealogicâ pag. 216. ſuperius exhibitâ videri poteſt; qvâ ratione Hervor illiusqve maritus Hognius, ac qvi contra eum dimicavit Hedinus, Halfdano Diſerto coævi fuere, ac itaqve circa ſeculi à nato Chriſto VI. medium vixere: tandem memorata Relatio fatali iſti pugnæ finem impoſitum eſſe perhibet primo Olafi Tryggvini anno, qvi Chriſti DCCCCXCV. erat, cum ſcilicet CXLIII. annis ſtetiſſet; qvo ipſo pugnæ illius initium in ſeculi IX. medium refertur. Malè, inqvam, omnia iſta ſecum invicem concordant, ut de Chriſtiani hominis (qvem pugnæ finem facturum Odinus voluiſſe memoratur) mentione, qvaſi ante Chriſtum natum factâ vel ineptiſſimè fictâ, nihil dicam. Monachorum in Olafi Tryggvini meritiſſimas aliàs laudes profuſa ſed inficeta ſollicitudo reliqvis illius geſtis hæc aſſuiſſe videtur. De cetero Relationem hancce de vero primitus deſumtam eſſe credibile eſt. Et Saxonem veriora de his ſodalibus percepiſſe apparet: niſi eum fabuloſas noſtratiumqve ſimiles relationes ad credibilem magis narrationem heic, uti aliàs, reduxiſſe velimus; certè ubi Hognium Jutiæ Regulis accenſet, præ memoratâ *Relatione* fidem meretur. Neqve enim ille

in

in univerſalium Daniæ Regum catalogo locum invenit. *Potuit* autem, licet Regulus, armis valere, eâqve ratione *alios* minoris momenti toparchas, memoratæ Relationis auctori Reges creditos, ſibi ſubjectos habuiſſe. Qvod autem Saxo Hognii & Hedini ætatem, in Frodii ſibi III. nobis Primi (qvi circa Chriſtianæ æræ initia regnavit) tempora refert, in eo non parum hallucinatus eſt. Etenim Heidreki Ulfhami, neptisqve *illius* Hervoris, Hognii uxoris, ætas ſatis monſtrat, infelices hoſce *amicos non* ſeculo Chriſti primo, ſed ſexto vixiſſe, coævos, *uti* nuper dictum, Halfdano Diſerto, & Fro*dio* VI. qvorum & ultimo fortè militârunt; id qvod Saxonem ad alterum illum Frodium imprudentem traxiſſe credi poterit. Certè Hognium Hrolfo Krakio tempore inferiorem fuiſſe, *Sorlii Robuſti vita* non obſcurè innuit, ubi eum cum Erlingo Sorlii patre bellum gerentem, gladio *Sigrliomio* dicto, qvi Hrolfii Krakii olim fuerit, pugnaſſe refert. Atqve hæc ſunt, qvæ de Hognio & Hedino dicenda fuere.

F I N I S.

In Serie Regum Daniæ Emendanda & Addenda.

Salve iterum Lector.

Secundas cogitationes primis ut plurimum maturiores eſſe, vulgò dicitur. Id mihi accidiſſe fateor. Etenim dum liber hicce meus ſub typographi prælo, variis intervenientibus moræ cauſis, longùm ſudat, & ego plagulas cunctanter abſolutas, mihiqve ab amico ſingulatim miſſas, denuò perlego, obveniunt paſſim illa, qvæ ſuppleri poſſe, imò debere videntur: ſed & occurrunt nonnulla, qvæ, partim meâ, partim *amanuenſis* culpâ, eo modo ſeſe habent, ut *emendationem* reqvirant. Hinc nata ſunt Analecta hæcce, qvæ operi in lucem properanti nunc ſubnecto. Tuum erit, Benevole Lector, hallucinationibus noſtris excuſandis facilem te præbere: cum probè noveris, nos homines, qvotqvot ſumus, erroribus obnoxios eſſe, nec niſi eorum paucitate ad perfectionis opinionem niti. Vale. Scripſi Stangelandiæ in Diſtrictus Stafangrienſis inſulâ Karmtâ, Nonis Januar. Anno Chriſti MDCCII.

Pag. 12. lin. 9. poſt: *Hiſtoria Lioſvatnenſium*, adde: *Ioſtii* (illius, ut videtur, qvi cum Haraldo Strenuo, Norvegiæ Rege, anno Chriſti MLXVI. in Angliâ cæſus eſt) *hiſtoriam* allegat Biornus de Skardza in ſuis de Gronlandia Collectaneis, qvæ apud me manu ſcripta aſſervantur. De *Semundi* &c.

Pag. 23. lin. 24. pro: *octodecim*, lege: tredecim.

Pag. ead. lin. 25. pro: *DCCCXXXV*. lege: DCCCXL.

Pag. ead. lin. 27. pro: *CLX.* lege: CLV.

Pag. 24. lin. 9. pro: *CXXXVIII.* lege: CXXV.

Pag. 25. lin. 23. lege: cum tamen Bardus circa annum demum ſalutis DCCCXL. uti mox dictum, natus tradatur.

Pag. 27. lin. 29. pro: *DCCCCLXI.* lege: DCCCCL.

Pag. 28. lin. 1. pro: *LXXXI.* lege: XCVI.

Pag. 32. lin. 12. poſt: *convenire ſoleant*, adde: Accedit aliarum hiſtoriarum conſenſus, *Fridthiofi* nempe *Vegeti* Thorſteini filii, ac *Gotrici & Hrolfi Vitarum*: qvarum prior dictum Fridthiofum Ingibiorgem, Belii Regis filiam, uxorem duxiſſe, & fratres illius Helgium & Halfdanum vitâ vel regno privaſſe tradit: qvæ ſingula nomina in Thorſteini vitâ recenſentur; poſterior Cap. III. Fridthiofi memorati filium nepotesqve ac eorum geſta exhibet, nec minus tempus qvo vixerunt monſtrat, Sveciæ Regum cum iis ſynchroniſmos adferendo. Plura ſunt, qvæ Thorſteinum verè exſtitiſſe patefaciunt. Ceterum illa, qvæ de monſtr. gig. habitu *&c.*

Pag. 36. lin. 5. lege: confirmavit Ampliſſimus vir Nicolaus Toldorphius, Regius in ſupremâ Rationum Curiâ Aſſeſſor & apud Liſt. & Mandal. Qvæſtor, *&c.*

Pag. 50. lin. 12. lege: nec niſi vera in Halfi Regis & Olafi Tryggvini vitis de eo referri, certò perſvad. p.

Pag. ead. lin. 26. poſt: *commemoravi*, adde: In confinio Bergenſis & Stafangrienſis Diſtrictuum pharus extat vel ſpecula, *Flokevaren* (aliàs *Ryevaren*) etiamnum dicta. Accolæ nominis originem penitus ignorant: verum *Originum Islandic. liber* ſpeculam illam à Flokio, Islandiam qvæſituro, erectam eſſe teſtatur. Innumera *&c.*

Pag. 63. lin. 2. lege: nosqve in proceſſu operis, unum aut alterum, bono cum Deo, clarius detegemus.

Pag. 64. lin. 1. pro *Bravicum*, lege: Bravallenſe.

Pag: 72. lin. 17. pro: *tot ſeculorum millenariis*, lege: tot annorum millenariis.

Pag. 75. lin. 2. lege: et ſi qvid antiqviſſimos poëtas de rebus, qvæ monumentis hiſce Gotlandicis continentur, numeris ſuis complexos eſſe velimus, iſtud jam Saxonis qvidem temp. interiit.

Pag. eâdem lin. 8. lege: rem acu tetigiſti. Qvid autem facilius *&c.*

Pag. 81. lin. 13. poſt: *exutus fuerit*. adde: Vera heic ſcripſiſſe Eiricum *Loccenius* teſtatur, qvi in præfatione ad Hiſtoriam ſuam Svecicam dictam illius qverelam adfert, tandemqve concludit: *Hoc qvod hiſtoricus* (Eiricus) *candidè profitetur, ipſa re comperi, poſtqvam annales regni hujus, qvotqvot adhuc exſtant, replicare cœpi.* Hæc ſi ad poſterorum notitiam perventura Johannes Gothus crediſſet, minimè tot Reges ipſe finx. è pr. cerebro.

Pag. 86. lin. 4. poſt: *Jutiæ convenit*. adde: Id qvod & *Fragmentum hiſtoricum* de Ivare Vidfadmio ac bello Bravallenſi, ulterius adſtruit, ubi Ivarem ex Sveciâ in Reidgothi-

thiam cum claſſe profecturum, portum qvendam Sialandiæ intranſitu ſubiiſſe tradit: indeqve ſolventem, auſtrum verſus in Reidgothiam (*ſudr til Reidgotalandz*) navigationis curſum direxiſſe: mox inde reverſum, domumqve in Sveciam perrecturum, ex auſtro (*ſunnan*) venientem, Sialandico littori proras advertiſſe; qvæ ſatis oſtendunt, ex Sveciâ in Reidgothiam euntibus Sialandiam prætereundam, qvod Smalandiæ nullo modo applicari poteſt. Diviſio qvoqve hæreditatis regn.

Pag. 87. lin. 4. poſt: *Silfraskallium*, inſere: *ac cum eo aliqvoties conflixit, ſemper victor: tandemqve Regem illum occidit. Poſtea in interiora Jutiæ* &c.

Pag. 99. lin. 18. lege: qvave occaſione primi illi incolæ in ſeptentrionem irruperint.

Pag. 100. lin. 24. poſt: *habitus eſt*, adde: Etenim Aſæ, illorum, qvi ante eos his in terris habitârunt, famam peſſime traduxerunt, & apud poſteros deſpectam eſſe voluerunt: gigantes eos dictitantes, qvi Diis bella inferre geſtirent. Itaqve ſi qvis poſtea ex antiqvioribus indig. *&c.*

Pag. 102. lin. 13. lege: à devicti patruelibus bello petitus.

Pag. ead. lin. 22. lege: Hinc factum eſt, ut Islandi, ſinceri antiqvit. præc.

Pag. 106. lin. 8. poſt: *conſilium cepit*. adde: Graduum, inqvam, numerus cum temporum ratione optimè heic convenit. Etenim ab Odino ad Haraldum Pulchricomum, primum Norvegiæ monarcham, qvi circa annum Chriſti DCCCLIII. natus eſt, nongentorum fere annorum decurſu, XXVII. generationes numerantur. Idem Ha-

Haraldus à Niordo, Odini ſocio, per XXVIII. gradus deſcendit. Sic inter Haraldi poſteros Auguſtiſſimus Rex noſter Fridericus IV. eminet, octingentis paulo plus annis dicto Rege junior, atqve ab eo per XXVI. generationes glorioſiſſimum ſtemma ducens.

At Edda, inqvies, *&c.*

Pag. 110 lin. ult. pro: *Vodinum*, lege: Bodonem.

Pag. 113. lin. 4. lege: Eam circa LXXum ante Chriſti nativitatem annum contigiſſe n. dix.

Pag. 117. lin. 18. lege: nos tamen eum vetuſtiſſimis temporibus in Aſiâ vixiſſe, cultumqve ſolis ibi fundaſſe putamus: qvem, unà cum nominis illius notitiâ, alius qvidam longè ſerius has in terras invexiſſe videtur, addito fortè mendacio *&c.*

Pag. 118. lin. 17. lege: qvod & *Sturlaugi Laborioſi vita* (ſi modò ei hac in re fides habenda) confirmat.

Pag. 126. lin. 10. dele vocem *circiter*, & lege: qvi Odino coævus erat.

Pag. 128. lin. 22. lege: ea conveniunt, qvæ de Odino illo, ſuisqve comitibus prædicantur.

Pag. 148. lin. 5. lege: in qvorum majeſtatem perſonamqve, mediante, uti antea dictum, nominum illorum aſſumtione, Odinus Upſalenſis illiusqve ſocii invaſerunt.

Pag. 179. lin. 24. lege: Boringiam & Gotlandiam inſediſſe. Exinde Gothos, duce Bericone.

Pag. 220. lin 23. poſt: *extructus legitur*, adde: Alterius *Snorrius Sturlæus* meminit in vitâ Jorundi & Eirici Sveciæ Regum, qvi Gudlaugo Halogiæ Regi, ab iis ſuſ-

ſuſpenſo, in Straumſeyenſi Daniæ promontorio excitatus eſt. Iſtiusmodi ſuperba gent. her. monum.

Pag. 244. lin. 16. lege: Nam Sveciam *Sviþiod* nominavit, de gentili ſuo nomine *Sviþrir*, qvod *Scytham* vel *Scythicum* denotat; Scythia enim, unde profectus erat, eorum lingvâ *Sviþiod mikla* vel *Sviþiod kalldā*, id eſt *Svecia* ſeu *Scythiâ magna* vel *frigida* vocabatur. Ipſe, congeſtis hinc inde &c.

Pag. 247. lin. 14. poſt: *didici præfuiſſe*. lege: Ceterùm Odinum in Regum Daniæ genealogiâ conſultò præteriiſſe, atqve in illius locum Danum, tanqvam primum Daniæ Regem, Regumqve anteſignanum ac vetuſtiſſimum regni eponymum, ideò ſubſtituiſſe Saxo videtur, ne ex tam venenato germine Clariſſimæ gentis rectores pullulaſſe dicerentur: uti libro I. Cap. VII. pag. 66. ſuperius à nobis dictum eſt. Id qvod ex compoſito conveniſſe videtur inter eum & Svenonem Aggonis, qvi Skioldum qvidem, ex noſtratium mente, primum Danorum Regem facit, at Odini nomen qvaſi ſtudioſè reticet: ob allatam, ut videtur, cauſam; cum tamen illa generis baſis haud magis ſereniſſimorum Daniæ Principum gloriæ officere poſſit, qvam aliarum qvarumcunqve nobiliſſimarum gentium rectoribus, qvorum ſtemmata ab illo idololatriæ hyperaſpiſtâ, aut aliis ex gentiliſmo heroibus deducuntur.

Humlum, non magis qvam primum Saxonis Danum, genuinis Daniæ Regibus accenſendum reor, &c.

Pag. 252. lin. 28. lege: Ita enim verba illius jacent, ut Odini cultum atqve in Sveciâ habitationem, Haddingi tempore cœpiſſe voluerit.

Pag. 262. lin. 4. lege: Angantyris parentes, ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo vixiſſe. Valdè igitur metuo, ne dicti Arngrimi patris nomen, heic corruptum ſit, & uxoris illius progenitorum nonnulli *&c.*

Pag. ead. lin. 14. lege: qvæ proavo ejus, cognomini, ſecundum Verelii mentem, aſſignanda erant.

Pag. 268. lin. 22. lege: (*Cognatum fortè dicere voluit: Et priſcâ linguâ cognati* fratres *appellantur, qvod etiamnum Islandis in uſu eſt. Ceterum Skioldus & Ingvifreyr ſimul non regnarunt: ſed terminos iſtos inter Skioldum & Niordum Ingvifreyris patrem conſtitutos fuiſſe apparet.*)

Pag. 267. lin. 27. poſt: *interpolatum & corruptum;* adde: Frodii mortis genus non minus qvam Saxo fabuloſè *Edda* refert, narratione tamen, ut videtur ex vero deſumtâ; nempe: Frodium ad convivium in Sveciam à Fiolnere invitatum perhibet, ibiqve duas ancillas, qvarum nomina Fenia & Menia, magnitudine roboreqve ingentes, emiſſe. Accidiſſe autem, ut circa hoc tempus bini molares lapides in Daniâ invenirentur, ob gravitatem ſuam hominum vulgo intractabiles, eâ vero naturâ occultâve virtute præditi, ut qvicqvid præcineretur tererent. His verſandis dictas ancillas Frodium adhibuiſſe, imperaſſeqve ut aurum & pacis commoda, molendo ſibi acqvirerent, atqve adeò acerbe eas exercuiſſe, ut qvietis ſomnive tempus ulterius non haberent, qvam interſtitium, qvo cuculus inter bina cantamina taceret. Inde irritatas, molendo hoſtes accerſiviſſe, qvi, piratarum Rege Myſingo duce, noctu ſupervenientes, Frodium occiderint. Myſingum inde magna auctum prædâ ancillas qvoqve abſtuliſſe, injuncto

ꝭto mox ut ſalis copiam commolerent: id cum aliqvantum feciſſent, interrogaſſe eas, an & ulterius molendum eſſet? cumqve perſeverare juberentur, usqve dum navigia illius, mole gravata, undis mergerentur, in molendi opere perſtitiſſe.

Fabula pro interpretantium ingenio varias explicationes admittere poteſt. Ego Frodii cum Fiolnere amicitiam Svecis noxiam fuiſſe puto, impetraſſeqve ab eo Frodium aliqvid, qvo vires gentis poſtea fractæ ſint. Mox oppreſſam gentem, in ditionem ejus conceſſiſſe, illudqve per feminas iſtas ſignificari: per nimios autem labores, magna gravamina, qvo ſecuritatem & opes ſibi pollicitus fuerit. Hinc Svecos ad rebellandum concitatos, Myſingum ſibi ducem præfeciſſe, qvi Frodium ex improviſo oppreſſerit: indeqve victoriâ in tyrannidem verſâ, avarè ſuperbeqve imperitaverit, atqve ideo vita ſimul & regno à Svecis exutus fuerit. Conjecturæ anſam *Saxo* præbet, qvi Sveciam ſub imperium Frodii redactam Ericumqve ibi Regem conſtitutum tradit.

Frodio Hiarnium poëtam *&c.*

Pag. 279. lin. 17. ante: *Conſpicuum credo*, inſere: Adjungemus etiam Starcadi, qvi Haconi militavit, ſtemma, ex *Gotrici hiſtoriâ* & *Originibus Norvegicis* inter ſe collatis deſumtum.

5. Nor.
6. Raumus.
7. Alfus vel Finnalfus.
8. Alfhildis.
9. Storvircus.
10. Starcadus.

Con-

Conſpicuum credo, tum ex &c. tum ex his ſeriebus evadit, hiſtoriam &c.

Pag. 281. lin. 1. lege: qvâ ratione Odinum illum & Frógerum tredecim Regum tempore vixiſſe ſtatuit, id eſt, ſecundum *Svaningii* calculum DCLXX, annis tot enim circiter inter initium regni Hadingi & mortem Frodii hujus, ſecundum illius ſupputationem, interfluxerunt.

Pag. ead. lin. 28. poſt: *diverſum fuiſſe innuunt*, adde: filium nempe Aſmundi (qvem *Berſercorum interfectorem & Gnodenſem* promiſcue cognominant) ac Brynhildis, Hertryggi Ruſſiæ Regis filiæ. Imò Starcadum iſtum, qvi Armodum occîdit, à Starcado Olii interfectore alienum eſſe manifeſtum reddunt. Etenim qvi ſecundum *Eigilis Unimani & Nornageſti vitas* Armodo necem intulit, eâdem Nornageſti vitâ teſtante, ipſe eſt Starcadus, qvi Gandalfi filiis, Sigurdi Hringi Daniæ Regis affinibus, contra Giucungos, Germanos bellatores, militavit; qvem & Bråvallenſi prælio interfuiſſe conſtat, qvadringentis circiter, ſi nos in calculo non fallimur, annis poſt occiſum à priore Starcado Olium. Qvod autem hic Starcadus Fenringo, inſulâ Norvegiæ, oriundus in memoratâ Nornageſti vitâ dicitur, confuſio eſt, & ad priorem illum Starcadum pertinet. Olonem Vegetum Saxo ſceleſtâ Starc. m. int. refert &c.

Pag. 282. lin. 10. lege: cædes vero à Starcado illata Olio huic noſtro, Fridleifi III. filio, qvi Saxonis Olavus Fridleifi II. filius eſſe videtur. Aliàs Olaſum, qvem noſtrates &c.

Pag. 285. lin. 18. poſt: *juſto breviorem*, adde: Etenim

filia

ſilia illius Hlif Eyvindum Auſtmannum peperiſſe ibi dicitur, cujus filius, Helgius Macer, Islandiam poſtea inter alios occupavit, qvadringentis plus annis poſt mortem Ingialdi: qvibus implendis qvatuor generationes n   riqvam ſufficiunt.

Poſt Ingialdum Halfdanus fr. *&c.*

Pag. 288. lin. 10. poſt: *reſponderet*, adde: Interea Valdar Munificus, Hroaris (qvem Helgio fratri ſuam Daniæ partem vendidiſſe diximus) filius, partem regni ſibi aſſeruiſſe videtur: minorenne ſcilicet patruele ejus Hrolfo. Hic ille eſt Valdar, qvem Angantyris, Reidgothiæ ſeu Jutiæ Reguli, Heidreki Ulfhami, Jutiæ itidem Reguli, patris tempore, Danis (puta, parti illorum) imperaſſe tradit carmen vetuſtum, qvod ex *Hiſtoria Hervorianæ* exemplari Regio in membranâ (in editione enim Svecicâ omiſſum eſt) ſuperius libro II. Cap. I. pag. 93. adduximus. Et tempora benè conveniunt: etenim Haraldus Grandævus, dicti Valdaris filius, Hildem, memorati Angantyris neptem, filiamqve Heidreki Ulfhami, in matrimonio habuit; prout ex genealogiis, libri hujus Cap. I. pagg. 215. 216. adductis patet: ut Angantyr & Valdar hac ratione coævi eſſe facilè potuerint. Ad Valdaris ditionem qvod attinet, eam in Scaniâ fuiſſe, ex eo colligimus, qvod Haraldus Grandævus, filius illius, nepotesqve Halfdanus Diſertus & Gudrodus ibi rerum potiti ſint, hæreditariâ, absqve dubio, ſucceſſione innixi.

Hrolfi Krakii hiſtoriæ partem aliqvam aſſecutus vid. Saxo. *&c.*

Pag. 302. lin. 9. poſt: *ſatis docent*. adde: *Wyclacum* aliàs, Wo-

deni filium, *Johannes Bromton* pag. m. 776. ubi de Merciorum Regibus agit, exhibet, eumqve genuiſſe ſcribit *Wermondum*, patrem *Offæ*, patris *Dengelteni*, à qvo Merciorum Rex Offa, qvi anno Chriſti DCCLVII. regnare cœpit, per XII. generationes deſcenderit. Iſthæc nomina cum Saxonis Vigleto, Vermundo, Uffone & Dano II. collata, parum diſcrepant. Qvin & *Matthæus Paris* initio Vitæ Offæ Regis *Uvarmundum Occidentalium Anglorum Regem* celebrat, cujus filius *Offa* uſqve ad trigeſimum ætatis annum mutus deſesqve fuerit, poſtea vero, patre cum proceribus de regni hæreditate conſultante, loqvelam derepente nactus, ſatis ab illo tempore facundiæ habuerit, atq; in egregium evaſerit virum. Hiſtoriam illam, ſed pluribus commentis auctam, fabulatorem qvendam è Dania in Angliam traduxiſſe exiſtimat *Langhornius* Aniqvit. Albion. Append. pag. 29. Nos contrarium putamus: nempe hanc narrationem ex Angliâ in Daniam transiiſſe. Conſtat qvidem Matthæum Saxone juniorem eſſe: verum ille prædictam hiſtoriam aut è vetuſtiori ſe libro hauſit, aut ſeniorum per antiqviores ſibi iterum traditâ relatione didicit; ut qvicqvid horum credamus, eadem ad Saxonis notitiam æqvè pervenire, atqve ab eo, operis ſui amplificandi ſtudioſiſſimo, Daniæ Regibus applicari potuerit; niſi qvis ſtatuere malit, memoratam relationem, antiqviſſimis temporibus in plures nationes ſparſam, forte etiam metris celebratam fuiſſe: ſingulasqve earum Saxonis & Matthæi ævo rem apud ſe geſtam voluiſſe, haud ſecus ac de Hagbardo & Signe inter Septentrionis gentes contenditur.

In Rórici & Vigleti memoratorum temp. Saxo &c.

Pag.

Pag. 380. lin. 8. poſt: *Scaniæ Regulos.* adde: Halfdano illi Diſerto, præter regnum, qvod in Scania tenuit, Northumbriam qvoqve, Angliæ provinciam, paruiſſe, ex iis, qvæ de Sigurdi Hringi expeditione in Angliam inferius dicemus, patebit; cujus poſſeſſionem an armis, vel alio modo adeptus ſit, parum conſtat; jus in eam hæreditarium habuiſſe, genus illius à Hroare Northumbriæ Rege deductum, ſatis evincit. Gudrodus, Halfdani frater, *Ingialdi* Aſtuti Sveciæ Regis filiam *&c.*

Pag. 311. lin. 6. lege: Hrærecus Slaungvanbaugius & frater ejus Helgius Acutus, Halfdani III. filii, Lethrenſem ditionem tenuerunt: hæreditario, ut videtur, jure. Poſtqvam autem Ivar Sveciam devicerat, Helgius filiam ejus Audurem (ab immenſis, qvæ demum acceſſerant, opibus, *Prædivitem* vel *Profundè Divitem* poſtea dictam) ambivit. Is & ſuum *&c.*

Pag. 313. lin. 11. poſt: *objicere potuerit.* adde: Haraldus præter Daniæ regnum, Sveciam qvoqve rexit: ampliſſimæ ditionis dominus; qvippe qvi ſingulos Daniæ Sveciæqve Regulos ad obſeqvium ſui ac tributa pendenda adegit. Angliæ qvoqve partem illam, qvam proavus illius Halfdanus Diſertus avusqve Ivar Vidfadmius poſſederant, (Northumbriam fuiſſe patet ex allato nuper *Hiſtor. Hervor.* loco, ut & iis, qvæ ex *Olafi Tryggvini vitâ* inferius in Sigurdo Hringo allegabimus) ſibi ſubjecit, eiqve Reges ac Comites tributarios præfecit.

In Haraldi hujus genere recenſendo Saxo *&c.*

Pag. 316. lin. 16. poſt: *provocaſſe*, adde: Olonemqve Haraldi ex ſorore nepotem dictos fratres occidiſſe, ac in vi-

victoriæ præmium virginis (Eſa vocabatur) nuptias obtinuiſſe *Saxo* libro VII. pag. m. 141. perhibet.

Pag. ead. lin. 27. poſt: *æqvalem fuiſſe innuit*, adde: Qvod & Ivaris Vidſadmii & Ingialdi Aſtuti ſynchroniſmum ſuperius à nobis propoſitum, ulterius confirmat. Genealogico ſchemate res clarior evadet, qvod ex Saxone & noſtratibus mixtim conflatum ita erit:

Ivar Vidſadmius. — Ingialdus Aſtutus.
|
Audur Prædives. — Olaſus primus Vermorum Rex.
|
Haraldus Hilditann. — Anonyma Haraldi ſoror.
|
Olo Vegetus — Eſa.

Ab hoc Haraldo Hilditanne *&c.*

Pag. 319. lin. 27. poſt: *dignitate conſpicuum*, lege: Rognvaldum qvidem, aliàs Radbardum dictum, inſignem heroëm, Hringo militaſſe tradit vetuſtum illud de pugna Bravallenſi *Fragmentum*, qvod nuper allegavimus: ſed de genere illius nihil adfert; nec noſtri ullum Regnaldum inter Sigurdi Hringi conſangvineos recenſent. Interea ſi noſtras antiqvitates heic cum Saxone conferamus, Regnaldum iſtum, vel Rognvaldum, Hringi vel patruelem vel amitinum fuiſſe ſatis tutò colligitur. Genealogiæ ſeries hæc erit:

Radbar-

Radbardus Ruſſiæ Rex, poſterior
Auduris Prædivitis maritus.

Randver.	Anonymus vel Anonyma.
Sigurdus Hringus.	Regnaldus Ruthenus.

Anteqvam ab Haraldo Hilditannne diſcedamus, de ſobole illius ac nepotibus nonnulla ſunt dicenda. Et primo qvidem memorandus venit filius illius Eyſteinus, cognomento *Illradus*, id eſt *Aſtutus*, qvem *Hervoris Hiſtoria* poſt patrem Haraldum in Sveciâ regnaſſe, tandemqve à Ragnaris Lodbrochis filiis occiſum eſſe tradit. Eyſteinum iſtum Sveciæ Regum non tacet *Ragnaris Lodbrochis vita*, inferius à nobis alleganda, ſed eum ſimiliter à Lodbrochidis occiſum refert. *Belium* alicubi cognominatum legi. De progenie illius nihil ſcimus: nec qvà ratione ad Sveciæ imperium pervenerit ſatis liqvet. Etenim Haraldo Hilditanni Sigurdum Hringum immediatè ſucceſſiſſe conſtat: cui Eyſteinus, qvantum apparet, ſceptrum extorqvere haud potuit. Poſt eum itaqve regnaſſe ſtatuendum, volente Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi ſucceſſore, tributarium forſitan Ragnari, cetera juris abſoluti, nec ultra obnoxium. Certè Ragnarem & Eyſteinum arcto ſeſe amicitiæ nexu invicem coluiſſe, in prædictâ *Ragnaris Vita* traditur. Nos Haraldum Hilditannem, patrem illius, natum ſtatuimus anno Chriſti DLXXXV. CL. annorum cum obiret fuiſſe memoratur, anno Chriſti, ſecundum noſtrum calculum,

DCCXXXV. Seqvitur inde admodum ſenem fuiſſe Haraldum cum Eyſteinum progeneraret. Centum & qvindecim annorum fuiſſe ponimus. Qvod ne exemplo careat, in Hordiâ, Norvegiæ provinciâ, parœcia Skaanevigen / ruſticus qvidam ante XL. circiter annos, ex uxore ſua filium centenarius ſuſcepit, cum qvo exinde triginta annis vixit: prout iſta ſacerdos parœciæ, in qvâ natus eſt, & alii fide digni viri mihi retulerunt. Natus itaqve erit Eyſteinus anno Chriſti DCC. occiſus à Ragnaris Lodbrochis filiis anno Chriſti DCCLXXIII. ætatis ſuæ LXXIII. vivo adhuc Ragnare, qvi eo occiſo, Sveciæ regnum ſibi pleno jure aſſeruiſſe videtur. Sigurdum Angvioculum, Ragnaris filiorum natuminimum, triennem cum occideretur Eyſteinus, fuiſſe, in *Ragnaris Lodbrochis vitâ* perhibetur, id qvod cum noſtro hocce calculo benè convenit. Hilditannis filiorum alter avi nomen & cognomen geſſit, Hrærecus Slaungvanbaugius dictus. Illius *Originum Island. liber* meminit, ac genuiſſe ait Thorolfum Voganeſum, patrem Vemundi Ordlokaris, cujus filius Valgardus Hrafnum progeneravit, Stultum per antiphraſin dictum, ac inter præcipuos Islandicæ gentis conditores vulgò numeratum. Tertium Hilditannis filium *Biornus de Scardza* in ſuis de Gronlandia Collectaneis (qvæ MSta poſſideo) Solgium nominat, eumqve progenuiſſe ſcribit Hrolfum de Ani, patrem Biorni, patris Eyvindi Auſtmanni, cujus filius Helgius Macer inter primos Islandiæ incolas recenſetur. Tabella hanc nepotum ſeriem monſtrare ex re erit:

Haral-

Haraldus Hilditann,
Daniæ Rex.

Hræreccus Slaungvanbaugius.	Solgius.
Thorolfus Voganeſus.	Hrolfus de Ani.
Vemundus Ordlokar.	Biornus.
Valgardus.	Eyvindus Auſtmannus.
Hrafnus Stultus, Islandiæ aboriginum unus.	Helgius Macer, inter primos Islandiæ incolas.

Brevior forte juſto genealogia hæcce cuidam videbitur: ſed facilè credi poteſt, Hilditannem binos iſtos filios jam ſenem procreâſſe; eorumqve deinde poſteros parentibus ſuis qvadragenariis circiter natos eſſe; id qvod abſurdi nihil infert.

Poſt Haraldum Hilditannem Sigurdus Hringus regnavit, *&c.*

Pag. 320. lin. 7. lege: Sigurdus Hringus in matrimoniò habuit Alfhildem, cujus ſtemma in *Originibus Norveg.* tale recenſetur. Pater illius Gandulfus Alfheimorum (tractus in Norvegiâ inter Gothalbiam & Raumalbiam) Rex, idem, ut videtur, cum illo, qvi *Gandal Senex* dicitur apud *Saxonem* libro VIII. p. m. 144. ubi Haraldi Hilditannis athletæ enumerantur. Gandalfo pater erat Alfgeir, filius Alfi Senis vel Grandævi, Alfheimorum Regis. Alfus hic Grandævus ipſe eſt Finnalfus, Noris, Norvegiæ Eponymi, nepos. Verum temporis in-

intervallum, qvod inter Norem & dictam Alfhildem intercedit, longe plures generationes reqvirit. Extat aliàs diverſus ab hoc Alfus, Senex itidem dictus, Noris trinepos, Finnalfiqve abnepos, cujus ſuperius Cap.IV.pagg. 260, 261, mentio facta eſt. Ejus proneptem ſi Alfhildem ſtatuere vellemus, plures qvidem gradus lucraremur, ſed ne ſic qvidem tempori ſufficientes; cum illa, hâc ratione, non niſi per novem generationes à Nore deſcenderet, magno in progenitorum ſerie hiatu. Alfhildis Sigurdo Hringo Ragnarem Lodbrochem, celeberrimum poſtea Regem, peperit. Notabilem &c.

Pag. 322. lin. 27. poſt: *Stultus dictus eſt*, adde:

Notabilis inqvam hic locus eſt; qvi & Chronologiæ noſtræ haud leviter ſuccurrit; Anglicam qvoqve hiſtoriam valde illuſtrat, ac ab eâ magnum lumen viciſſim mutuatur. Occidentalium Saxonum Rex, cujus hìc fit mentio, Inas eſt, qvi anno Chriſti DCLXXXIX. Occidentalium Saxonum regnum & ſupremam in Anglia monarchiam adeptus, anno DCCXXVII. relicto imperio, Romam ſe contulit, ibiqve monachus obiit. Inæ hujus frater *Simeoni Dunelmenſi* in geſtis Regum Anglorum ad ann. DCCCXLIX. *Ingild* dicitur, cujus filius *Eoppa* Affam, *Affa* Alhmundum, *Alhmundus* Egberhtum, *Egberhtus* Ethelwlfum, *Ethelwulfus* Elfredum Anglorum Regem genuere. Qvem heic Dunelmenſis Ingildum, noſtrates Ingialdum vocant, *Ailredus*, Rievallenſis Abbas, *Ingles*: Eoppam, nobis Ubbium, *Eppam*: Affam, nobis Eavam, *Effam* nominat, Genealog. Reg. Angl. pag. m. 350. ubi eandem Elfredi ſtemmatographiam exhibet. Elfredus itaqve anno Chriſti DCCCXLIX.

XLIX. natus Ingialdi trinepos eſt: Sigurdi Hringi, qvi cum Ingialdo pugnavit, trinepos ſimiliter eſt Haraldus Pulchricomus, Norvegiæ Rex, qvadriennio poſt Elfredi nativitatem in lucem editus: qvæ ſecum invicem optime conveniunt. Ingialdum Inæ fratri ſupervixiſſe credimus; nec multi anni reqviruntur, ut ad Sigurdi Hringi tempora pervenire potuerit, qvem anno DCCXXXV. regnare cœpiſſe ponimus. Anglica hæc Sigurdi Hringi expeditio, ſubactioqve Northumbriæ, jure nitebatur, à majoribus ad eum derivato. Etenim Haraldus Hilditann, cui memoratus Hringus ſucceſſit, *illam partem Angliæ, qvam Halfdanus Diſertus & poſtea Ivar Rex poſſederant, ſibi ſubjecit*; teſtante id *Fragmento* hiſtoriæ Haraldi, (qvod de pugna Bravallenſi aliqvoties allegavimus) his verbis: *Hann lagdi undir ſik þann hlut Englandz er att hafdi Halfdan Snialli oc ſidan Ivar Konungr.* Partem illam Angliæ *Northumbriam* fuiſſe, ex hoc *Olafi Tryggvini hiſtoriæ* loco diſcimus. Northumbriam qvoqve Ivari Vidfadmio paruiſſe ex *Hervoris hiſtoria* clarum eſt, cujus verba pag. 310. ſuperius adduximus. Ubi & ulterius obſervari meretur, dictum Ivarem *Occidentalem Saxoniam* præterea rexiſſe: per qvam ſi Weſt-Saxonum in Angliâ imperium Hervoris hiſtoriæ auctor intellexit (id qvod ex verborum illius contextu apparet) Ivari, eâ ratione, ſupremum illius dominium competebat, Regesqve, qvos ejus tempore Occidentalibus Saxonibus præfuiſſe Anglorum hiſtorici tradunt, non niſi illius beneficiarii fuere: id qvod tamen aliis ulterius diſcutiendum relinqvimus. Ad Halfdanum Diſertum qvod attinet, illi in Northumbriam hæreditarium jus fuit, qvippe pronepoti Hroaris, qvem regnum iſtud con-

conjugio acqviſiviſſe ſuperius Cap. VI. pag. 287. dictum eſt. Qvod ſi Ivar Vidfadmius Northumbriæ regno, ſucceſſionis jure ad ſe à patre devoluto, Occidentalem Saxoniam armis adjecerit, conſiſtere poſſunt qvæ de ſupremo illius in regnum iſtud dominio Hervoris hiſtoria innuit. Ceterum qvicqvid illius ſit, ſatis hinc apparet, nonnullos Anglo-Saxonum Reges, certè eos, qvi Northumbriam tenuerunt, memoratorum Daniæ Regum vaſallos fuiſſe.

Sigurdi Hringi tempore celebres in Germaniâ erant Gunnar & Hognius, Giukii filii, ſororisqve eorum Gudrunæ maritus Sigurdus Faſnericida. Hringus ætate provectior ad Gunnarem & Hognium (Giucungos antiqvitas communi nomine vocavit) legatos miſit, qvi iis aut tributa imperarent aut bellum denunciarent. Tributi ſolutionem abnuentibus, dies certamini in confinio regni condicitur. Nec multo poſt acri in Holſatiâ prælio concertatur. Giucungis Sigurdus Faſnericida, affinis eorum, auxilia præſtitit. Sigurdi Hringi partes Gandalfi filii, uxoris illius fratres, ſuſtinuere; in qvorum comitatu Starcadus eminebat, inſignis bellator: cui Sigurdus Faſnericida hoc congreſſu binos dentes excuſſit. Nec multo poſt Hringi exercitus in fugam converſus Giucungis victoriam reliqvit. Hæc *Nornageſtus*, qvi rebus hiſce interfuiſſe perhibetur, Olafo Tryggvino, Norvegiæ Regi, circa annum Chriſti DCCCCXCVIII. narravit, trecentorum circiter annorum ætate, ſi *vitæ ejus* fides, tunc completâ.

Ex hoc Sigurdo Hringo *Saxo* binos hom. fecit; *&c.*

Pag. 324. lin. 26. poſt: *planè diverſus eſt.* adde: ut & ipſe

ipſe Starcadus, Armodi interfector, ab eo, qvi Olium occîdit, penitus alienus; qvemadmodum ad pag. 281. ſuperius dictum eſt. * De Hethâ obiter monendum &c.

Pag. 333. lin. 5. lege: ac itaqve Sigurdo Hringo, filioqve illius Ragnare Lodbroche temp. inf. erat.

Pag. eâdem lin. 14. lege: infra Ragnarem Lodbrochem, Sigurdi Hringi filium, collocandus eſt.

Pag. 335. lin. ult. poſt: *utriqve referunt.* adde:

Opportunè heic commemoranda venit cygnea illa cantio, qvæ Brynhildi Budlinæ in *Sæmundi Eddâ* adſcribitur. Ibi Brynhildis, rogum aſcenſura, de mariti ſui Gunnaris cognatorumqve illius fatis vaticinatur, atqve de Svanhilde, Sigurdi filia, hæc addit:

Hana muno bita Bicca rad,
þviat Jormunreccr oþarft lifir,
þa er aull farin ætt Sigurdar,
eru Gudrunar græti at fleiri. *i. e.*

Hanc (Svanhildem) *Bicconis conſilia mordebunt: Jormunrecus enim in* aliorum *damnum vivit. Tunc univerſa Sigurdi progenies deleta eſt: ſuntqve eo plures Gudrunæ* (Giukinæ, Sigurdi uxoris) *calamitates.* Confirmantur hiſce illa, qvæ de Sigurdo Faſnericidâ neceſſariisqve illius, tanqvam ejusdem ſeculi hominibus proximè præcedenti Capite dicta ſunt. Verum longe ſupra ſeculum VIII. eos evehere, ac ita noſtrum de iis, eorumqve æqvali Sigurdo Hringo, calculum evertere videtur Jormunrecus vel Ermanaricus. Etenim ſi Svanhildis illa, ab eo enecata, Sigurdi Faſnericidæ filia fuit, illius & dictorum ejus æqvalium ætas, non in ſeculum VIII. uti &c. pag. 336. lin. 3.

Pag. 342. lin. 22. poſt: *Jornandi præponderare debeat.*

at. adde: Aſſertioni huic nihil officere valet Brynhildis Budlinæ carmen, nuper ad pag. 335. à nobis adductum. Etenim reſponderi ad id poteſt idem, ac ad Volundi Odam ſuperius pag. 340. reſponſum eſt: nempe, longè poſt Brynhildem vixiſſe eum, qvi ultima hæc, ut credi voluit, illius verba, carmini ſuo inſeruit: ac itaqve non ſatis conſtare, utrum dictus poëta ipſiſſima Brynhildis verba nobis exhibuerit, an vero ſua, qvæ eam protuliſſe aut crediderit, aut credi ſaltem voluit. Imò, qvod majus contra dictum carmen robur habet, illud penitus effictum eſſe, ex eo patet, qvod vaticinia contineat de futuris, & qvidem remotis rebus, qvarum Brynhildis gnara eſſe vix potuit, qvippe omni, ut credimus, fatidico ſpiritu deſtituta. Nil igitur memoratum carmen Svanhildis generi probando inſervit, nec conſeqventer noſtrum de Faſnericidæ, Sigurdi Hringi, aut aliorum illius æqvalium, ætate calculum turbare valet. Qvod ſi qvis omnino credere velit *&c.*

Pag. 343. lin. 9. lege: contra eum pugnaſſe, ſuperius ad pag. 322. dictum eſt: idqve auctoritate *Nornageſti*, qvi conflictui iſti interfuiſſe ſe aſſeruit, reiqve geſtæ ſeriem Olafo Tryggvino Norvegiæ Regi retulit circa annum Chriſti DCCCCXCVIII. ipſe tunc trecentos, ut in *vita* illius traditur, annos natus, id qvod noſtræ de Sigurdi Faſnericidæ, Sigurdi Hringi & Giucungorum ætate aſſertioni non parum ſuffragatur. Qvod ſi qvis ulterius Svanhildis ſororem *&c.*

Pag. 347. lin. 22. lege: Sigurdi nomen puero inditum: qvi, ut inferius dicetur, poſt mortuum patrem, Daniam inſularem *&c.*

Pag.

Pag. 383. lin. 22. lege: qvem Jormunreco vel Ermanarico coævum fuiſſe, ac ſponſæ illius ſororem duxiſſe tradunt.

Pag. 384. lin. 5. lege: et poſt qvatuor ſecula alter ejusdem nominis vir Aslaugem duxiſſet, Sigurdo Fafnericidâ & Brynhilde Budlinâ ſimiliter natam: id qvod de hoc ultimo tot vetuſta teſtimonia, magnam partem ſuperius à nobis adducta, ſatis evincunt; inter qvæ luculentiſſimum eſt, qvod ipſius *Ragnaris Lodbrochis vita* perhibet, narrando diſtincte, qvomodo memorata Aslaug, Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis memoratæ filia, poſt utriusqve parentis interitum, à nutritio ſuo & materteræ marito Heimere in Norvegiam triennis ſit devecta. Unde magis adhuc eluceſcit νοθεία carminis ſuperius ad pag. 335. à nobis adducti, qvo Brynhildis prædixiſſe fertur, aut verius (uti nos ad pag. 342. rationibus innixi ſtatuimus) fingitur, omnem Sigurdi Fafnericidæ progeniem cum Svanhilde, illius & Gudrunæ Giukinæ filiâ, interituram; id qvod illa vere dicere non potuit, ſuperſtite ſuâ & Sigurdi filia Aslauge, qvæ paternum ſtemma feliciter poſtea propagavit, potentiſſimarum, vel hodie, familiarum mater. Nec ſi qvis crediderit, Brynhildem ſobolem ſuam reliqvæ, qvam ex Gudruna Sigurdus ſuſceperat, proli (cui omnia infauſta cupiebat) annumerare noluiſſe, prædicto carmini illâ conjecturâ fides ſatis conciliatur, ob ea qvæ de Jormunreco & Svanhildis interitu inibi habentur. Ceterum de Aslaugis genere ſcrupulum movere poterit, qvod in *Sæmundi Eddâ*, cujus variæ Odæ Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis prolixam mentionem faciunt, nihil de hac eorum filiâ Aslauge, nihil de Ragna-

re Lodbroche occurrat. Verum reſponderi poteſt, ingentem in omnibus Sæmundi Eddæ exemplaribus lacunam extare, ac deeſſe omnia, qvæ à primo Sigurdi & *Brynhildis* congreſſu uſqve ad Sigurdi interitum, absqve dubio, olim inibi habebantur; qvæ Ragnaris Lodbrochis vitæ auctorem (qvi ex Eddicis hiſce odis permulta, uti ex collatione liqvet, in ſuum opus transtulit) ad manum habuiſſe, atqve inde, qvæ de Aslaugis genere tradit, exſcripſiſſe indubium eſt. Nobis itaqve primus Ragnar Lodbroch erit *&c.*

Pag. 385. lin. 3. poſt: *poſterorum ſeries*, adde: qvam ſuperius ad pag. 319. adduximus, cum genealogiis *&c.*

Pag. 387. lin. 16. lege: 7. Raumus; 8. Finnalfus, aliàs Alfus Grandævus; 9. Svanus R.

Pag. 388. lin. 8. lege: ſuperius lib. II. Cap. IV. pag. 126. & lib. III. Cap. IV. pag. 261. ſententiam noſtram dix.

Pag. 394. lin. 11. lege: nos Regulum tantum, imò, tempore, qvo Regenarius Gallias infeſtavit, non niſi piratam fuiſſe, inferius, ubi de poſterioribus Jutiæ Regulis agemus, monſtrabimus.

Errata Typographica ſic corrigantur.

Pag.	*lin.*	*pro*	*lege*
13.	18.	petinet.	pertinet.
28.	26.	crebro.	cerebro.
ead.	30.	ſurerſit.	ſuperſit.
42.	8.	commiſſiſſe.	commiſiſſe.
50.	ult.	vlugò.	vulgò.
53.	19.	comitbusqve,	comitibusqve.
59.	4.	contextui.	contexui.
ead.	5.	contemum.	contemſi.
60.	26.	noſtoss.	noſtros.
67.	16.	Cimbrium.	Cimbricum.
68.	29.	Dace.	Duce.
70.	13.	præerea.	præterea.
76.	13.	merropoli.	metropoli.
93.	2.	rythmo.	rhythmo.
ead.	25.	referrimus.	referimus.
94.	5.	Vitaland.	Vitalund.
ead.	26.	inteſtantium.	infeſtantium.
95.	13.	Fryggiar.	Friggiar.
ead.	16.bis.	Fryggæ.	Friggæ.
101.	10.	diſſiculter.	difficulter.
ead.	penult.	appeterent.	oppeterent.
107.	28.	partrem.	patrem.
110.	13.	qvæ hunc.	qvæ nunc.
ead.	25.	nobit.	nobis.
117.	23.	En æſir: ſetiaz.	En æſir ſetiaz.

Pag.	lin.	pro	lege.
507.	18.	Gandulfus.	Gandalfus.
511.	9.	Opportunè.	Oportunè.

Præter hæc aliqvot locis, ſed paucisſimis, factum eſt, ut voces, qvæ disjungendæ erant, conjungantur: in verborum qvoqve ac ſententiarum interpunctionibus aliqvando erratum eſt: ſemelqve aut iterum in fine periodi pro puncto comma perperam ponitur. Ceterum iſta Lectorem, modo Latinæ lingvæ gnarum, nil remorari poſſunt; nec ſenſum qvicqvam turbat, ſicubi in principio vocis non emphaticæ, qvæ minuſculis literis tota ſcribi debuit, majuſcula compareat.

Pag. 212. lin. 8. pro: *Hroaris Helgii filii*, lege: Hroaris Halfdani filii.


THORMODUS TORFÆUS,
Aſſeſſor Conſiſtorii,
Hiſtoriographus Regni Norvegiæ.
Nat. 27 Maji 1636. Ob. 31 Jan. 1719.

IMP. fc.

TORFÆANA.

Sive

Thormodi Torfæi

NOTÆ POSTERIORES IN SERIEM REGUM DANIÆ,

EPISTOLÆ LATINÆ,

&

Index in Seriem Regum Daniæ.

Ex Manuſcriptis Legati Magnæani.

Hafniæ 1777.

Typis Viduæ A. H. GODICHE, S. Reg. M. Univerſ.
Typograph. per F. C. GODICHE.

L. B. S.

Circumſpicienti & evolventi Manuſcripta legati Magnæani, Epiſtolæ magni Viri THORMODI TORFÆI mihi ſeſe obtulerunt, partim Latina, partim Islandica lingva ſcriptæ. Statim deſiderium mihi injectum eſt præcipuas earum, qvæqve res memorabiles continent & Latino ſermone ſcriptæ ſunt, in lucem dare, hisqve adjungi Indicem in *Seriem Regum Daniæ*, ab ipſo *Torfæo* confectum, ut & notas & emendationes ejus nonnullas in eandem Seriem ab illo conſcriptas poſt abſolutam editionem Seriei. Svaſu autem, conſilio & autoritate Illuſtrium & Celeberrimorum Virorum, Domini *Luxdorfii* & Domini *Erici*, his additæ ſunt Notæ & emendationes in Seriem, antea editæ in ipſa Serie, partim ob

paucitatem earum, partim ob ſimilitudinem & affinitatem argumenti. Ut autem Lector facile diſcernere posſit novas & antiqvas emendationes, priores ſtellula notari feci, omnes enim juxta ordinem paginarum in Serie collocatæ ſunt. Fortunæ etiam benevolentia, & amicitia doctisſimi & amicisſimi, dum in vivis erat, viri, *Benjaminis Dasſii* uſus, nactus ſum effigiem Torfæi æri inciſam, juxta effigiem ejus coloribus factam, qvam ſervat pinacotheca Domini *Hielmſtiernii*, non poſtremum ornamentum hujus operis, in qva candorem admirabilem & perſpicaciam ſummam ſummi hujus viri contueri licet; Viri, qvi maximo jure Pater hiſtoriæ ſeptentrionalis *ſalutari* debet; Ille enim indefeſſo ſtudio, ſumma diligentia, & incredibili veritatis amore, qvo unice flagrabat, fabulas â vero ſecernebat, veritati autoritatem addebat, vetuſtis gratiam novitatis, obliteratis fidem, ut elogium magni illius *Bayeri*, Petropolitanæ Academiæ æterni ornamenti, vere meruit. Nulli hiſtoricorum cum ſolertia veritatem inveſtigandi, & amore veritatis

flagran-

flagrantisſimo cedere certum eſt. Et ſane non absqve periculo Torfæano ſeculo erat veritati hiſtoricæ litare; Tam alte hinc animis hominum inſidebat ſumma & cæca plane reverentia in *Saxonem Grammaticum*, in cujus verba omnes jurabant. Magno autem animo *Torfæus* noſter his periculis obviam ivit, nebulas veritatis face dispellens. Magno numero Reges tunc ſolio disturbati ſunt, aut ad inferiorem gradum redacti; mille fere anni de noſtra hiſtoria dempti; Skiöldusqve in locum Dani pro primo Daniæ Rege agnitus. Hinc illæ lachrymæ. Certatum eſt pro antiqvitate regni & populi, ac pro aris & focis, pro vita & regno, nullo veritatis reſpectu. Antiqvitatem & fidem Islandorum ſuſpectam reddere multi conati ſunt, id qvod antea longo tempore fecerat *Juſtus Jonas Venuſinus*, etſi vir longe doctisſimus. Et hoc mirari non debemus, nam ſtudium critices & uſus ejus in hiſtoria tunc apud noſtrates plane incognitus adhuc erat, caputqve paullo ante extollere cœpit, ductore *Thomæ Bartholino* filio. Optima tamen pars *Torfæo*

 ſtatim

eademqve inſcriptione inſignita eſt; hæc vero tribus tantum capitibus, nempe 1) *Unde Islandorum hiſtoriæ narrationem ſuam ordiantur, & qvare altius non penetraverint?* 2) *An rerum ſeptentrionalium ſcriptores altius qvam annales Islandorum aſcendant, & qvo jure id fiat?* & 3tio) *de Othinianæ & Aſianorum immigrationis epocha:* conſtat, qvæ maxima ex parte in eis tantum occupantur, qvæ prædicti Libri Cap. 2do ad 5tum edita ſunt, ſed reliqva omnia vix ac ne vix qvidem tangunt. Libri 3tii argumentum, *catalogus* nempe *vel Series Dynaſtarum Regumqve Daniæ*, Parte 2da continetur. Hæc autem præter *Prolegomena*, qvæ fundamenta, editi capite 1mo expoſita, recenſet, ſeptem tantum capita habet, nempe 1mum *de Skioldo primo Daniæ Monarcha.* 2dum *de Fridleifo, Frothone Pacifico, Hiarnone Poëta, Fridleifo* 1mo, *Havaro Handrame, Frothone* 2do *& Vermundo Sapiente.* 3tium *de Rigo, qvi primus Regium titulum in Dania uſurpavit, & Danpo, Dano, Regni eponymo, Frothone paci dedito ſ. tertio, Fridleifo celere & Halfdano, Frothone* 4to *& Olone Vegetis, Ingello, Frothone* 5to *& Halfdano, fratribus Helgone Roe, & Rolfo Krakio.* 4tum *de Interregno.* 5tum *de Ivaro Vidfadmio, Rörecho Slaungvanbaugo, Haraldo Hildetann, Sigurdo Ringo & Ragnaro Lodbroch.* 6tum *de diviſione Regni inter duos Lodbrochi filios Sigurdum ὀφιωδὴν & Hvitſerkum, de Canuto, Hörda-Cnuto dicto, Gormone Grandævo & Haraldo Blåtann, it. de Gothreco Jutiæ Rege, & ejus ſucceſſoribus Jutiæ regibus, & religione chriſtiana in Daniam introducta;* & deniqve 7um *de Svenone Tiuguskegg, Canuto Magno, Hörda-Canuto 2do, Magno Bono, Olai ſancti Norvegiæ Regis filio, & Svenone Eſtritio ſ. Ulfonis filio;* qvæ cum totum illud temporis ſpatium, qvod *Serie* edita & *Trifolio* una continetur, complectantur, & ultra etiam progrediantur, manifeſtum evadit, qvantam mutationem externa libri forma ſubierit. Qvantam autem nova teſtimonia & ratiocinia, qvæ per totum fere acceſſerunt, ſingulis capitibus vel argumentis attulerint,

ſigillatim

ſigillatim recenſere ſuperfluum eſt, cum *Torfæus* poſtea omnia qvæ in priori hac *Serie* aliter qvam in edita dicta inveniuntur, penitus rejecerit, & pro ſuis agnoſcere recuſâverit (c).

§. 3. Cæterum qvod *Series* tamdiu inedita delituerit, in cauſa fuerunt varii illi caſus, qvibus autor ab anno 1664 ad 1682. jactatus eſt. Ut vero Hiſtoriæ Norvegicæ condendæ munus ſibi demandatum accepit, facile animadvertit neceſſarium fore, ut disqviſitiones, qvas controverſæ chronologiæ ſeptentrionalis antiqvæ partes poſtularent, ab ipſa hiſtoria ſepararentur, primumqve abſolverentur. Unde vix decennium *Hiſtoriæ Norvegicæ* impenderat, priusqvam de *Serie* expolienda & edenda ſerio cogitare cœpit, eoqve ſenſu 1692. *Arnæ Magnæo* indicavit, ſe ei caſtigandæ manus admoviſſe, qvod haud parum moleſtiæ habiturum eſſe ſtatim verebatur, cum fieri non poſſet, ut qvalis primum ſcripta erat, ederetur, ſed in plurimis mutari opus haberet. Hoc tamen, aliis laboribus diſtractus, intermittere coactus eſt usqve ad annum 1695. Tum autem, & inprimis toto autumno ejusdem anni, *Seriei* ornandæ & perficiendæ omni niſu inſudavit, idqve ſe in literis ad *Joh. Laurentii* 13 Febr. 1696. arduum ſatis & difficile ſenſiſſe profitetur, inter alia reſpectu præmiſſi tractatus *de auctoritate Scriptorum ſeptentrionalium*, (qvi primum ejus librum nunc efficit), ubi ſuum de Scriptoribus hiſtoriæ ſeptentrionalis Danicis, Svecicis & Islandicis judicium expoſuerat; In eundem laborem maximam anni 1696 partem etiam inſumſit, eumqve porro ita continuavit, ut 1697, Hafniam veniens, opus, ſecundis hiſce curis plurimum mutatum, emendatum, & inſigniter auctum *Vindingio* cenſendum exhibere poſſet, cujus etiam in id cenſuram die 2do Auguſti ejusdem anni datam reportavit.

§. 4. Sed ne hic qvidem hujus laboris finis. Anno enim 1698 non tantum *Refutationem* ſ. *Anatomen* (ut ipſe vocat) *Johannis Magni*, qvam libro 3tio *Hiſtoriæ Norvegicæ* antemonarchicæ ſubjungere primum ſtatuerat, poſtqvam *Arnæ Magnæi*

(c) Vide Præfat. ad Seriem.

Magnæi conſilium, ut *Seriei*, ad cujus calcem nunc legitur, attexeretur, probaverat, ſub examen revocavit, (licet eam primum ad diem 13 Aprilis anni 1700 abſolutam transmitteret) ſed præterea etiam varia nova capita, qvæ tum elaboravit, ſubinde ei miſit, ſuis locis *Seriei* addenda, & in his unum, (qvod tamen non in *Serie*, ſed in *Hiſtoria Norvegica* & qvidem T. 1. libr. 3. Sect. 4. p. 148. & ſeqv hodie exſtat) *utrum Odinus, an vero Forniotus prior vixerit;* nec non & alterum, (qvod libr. 2dum *Seriei* p. 198 claudit) *de antiqvitatibus Hibernicis O-Flaherty & aliorum*, qvi primas eorum colonias 312 annis poſt diluvium, ſecundas vero Salomonis tempore ex ſeptentrione adveniſſe tradunt, qvod utrumqve ei incredibile videbatur. Ex Commentatione autem *de Odino & Fornioto* in mandatis dedit *Magnæo*, ut argumenta ſeligeret, qvæ validisſima judicaret, ſibiqve indicaret qvas epochas potisſimum admitteret, ut librum III. de originibus gentis Norvegicæ ad eas componere poſſet, cui etiam qvædam, qvæ *Magnæus* in *Serie* omiſerat, ejusqve mentem aſſecutus non fuerat, inſerere ſtatuit; cetera eos, qvi Forniotum & Dellingum pro ſolis fabulis habent, ſuo ſenſu abundare facile patiebatur, ſed ſi ita pro hiſtoria haberi deberent, neceſſe eſſe putavit, ut hæc eo modo procederet, qvo ipſe eam ſcripſerat. Adhæc librum 1mum *Seriei* ad ductum animadverſionum, *qvas in* eum à *Magnæo* communicatas acceperat, denuo recognovit, & qvædam delevit & mutavit, qvædam vero novis rationibus adductis ulterius confirmavit. Qvod reliqvum erat in literis ad eum 15 Oct. 1698. datis haud parum ſibi gratulabatur *Seriem* ei placuiſſe, ſimul tamen ſuſpicatus, nonnulla in ea, cum prelo tandem ſubjicienda eſſet, inventum iri, qvæ ulteriori adhuc emendatione indigere poſſent; imo tum ſibi adhuc reſtare ſcribit libr. 3. caput 10um de Ragnare Lodbroche, qvod in plura dividere decreverat, ibiqve, ut in *Serie* edita factum eſſe videmus, amplius demonſtrare plures fuiſſe Ragnares, 1) ex linea recta aſcendente, 2) ex deſcendente, 3) ex ſynchronismo trium Regum, nempe Sigurdi Faſnericidæ, Ermanarici & Giukungorum, qvos tunc opi-

nabatur

nabatur primi Ragnaris tempore vixiſſe; & deniqve 4) ex ſynchroniſmo Regum tributariorum, qvos nihil ad primum Ragnarem, ſed ſolum ad poſteriorem, Sigurdi Hringi filium, pertinere tum cenſuit, adeoqve omnia qvæ de his ante ſecus ſcripſerat, de novo elaborari & mutari neceſſe eſſe, ne ſibi ipſi contrarius fieret. De *Jornandis* autem auctoritate *Magnæi* ſententiam amplexus eſt, qvæ qvalis fuerit, ex *Serie* edita (pag. 342. & alibi) judicari facile poteſt. In literis ad eum 11 Dec. 1698. ſe adhuc in *Serie* emendanda occupatum eſſe narrat, & mentem fere perdidiſſe in Ragnare Lodbroche, cum longe alia, qvam qvæ antea obſervaverat, tunc detexiſſet, qvomodo diverſi Ragnares confuſi eſſent, & ſpeciatim eum, qvi Ermanarici tempore vixiſſe traditur, nullo modo conſiſtere poſſe, eamqve Ragnarum pluralitatem in literis ad eundem 14 Jan. 1699. animum ſibi adhuc in diverſa trahere qveſtus eſt, totqve ſibi eorum genios ubiqve oberrare, ut ſe primum lynceum, mox cæcum facerent. Difficultates autem qvibus in hoc chronologiæ veteris articulo maxime premebatur, has præcipue recenſet, nempe: " *Ragnarem ante Londinum conditum, imo „ ante Julii Cæſaris tempora vixiſſe & mortuum eſſe: Ragnarem circa vel ante Valentis Imperatoris tempora, cum „ Ermanaricus Svanbildem uxoris ejus ſororem eqvis conculcandam objecit, floruiſſe:* porro Ragnarem *cum Carolo Magno bellum gesſiſſe, tumqve adultos filios habuiſſe: Ragnarem filium ſuum Biörnem ferrei lateris, tutore Hastingo, „ peregre ablegaſſe* 841; *eumqve ſecundum qvosdam* 845, *„ ſed ſecundum alios* 867, *mortuum eſſe: Ellam unum Ragnarem occidiſſe, aucupem Sancti Edmundi alterum, tertium „ vero repentina morte ſublatum eſſe: Septem annis poſt eum, „ qvi* 845 *occubuit, Haraldum pulchricomum, qvi ab eo „ qvinto gradu deſcendit, natum eſſe, & tamen, ante qvam „ ultimus obiit, qvatuor annos regnaſſe; qvæ omnia ſecum „ invicem conciliari nullo modo poſſent* ". Et qvantum eum hæc & alia id genus dubia torſerint, in epiſtola ad *Meyerum*, die 11 Dec. anni 1698. data, ipſe optime declarat his verbis:

 „ *Seriem*

„ Seriem Regum Daniæ proxima æſtate typis deſcribendam „ Domino Arnæ Magnæo tradidi, jam non minore neceſſi- „ tate Hiſtoriæ Norvegicæ præmittendam, qvam incogitan- „ tia, imo temeritate à principio in me receptam, cum glo- „ rioſiſſ. memoriæ Domini mei Regis poſtulatis refragari ne- „ fas duxerim, nec tamen qvid poſtularetur perpenderim, „ nec vires meas. Nunc demum qvid ad hoc reqviratur, & „ adhuc tamen per caliginem, video, & plura qvæ explicari „ omnino neqveunt, agnoſco": eoqve ſenſu *Seriem* in literis ad *Benzonium* 15 Nov. 1702, qvoſtqvam Skioldungorum ſive antiqviſſimorum Daniæ Regum hiſtoria interiit, *opus vere deſperatum* appellat. Nihilo tamen minus iteratis hiſce circa *Seriem* curis per totum annum 1699 indefeſſus incubuit, & præter alia cum literis 21 Junii varias in eam emendationes & acceſſiones ſuis locis inſerendas *Magnæo* miſit, adjecto mandato, ut relationum diſſenſum, ſi qvis adhuc ſupereſſet, præ ceteris diligenter obſervaret, & ubi opus eſſet, corrigeret. Qvantum autem emolumenti hæc ejus aſſiduitas operi attulerit, in Epiſtola ad Conſiliarium intimum *Pleſſium* 28 Nov. ejusdem anni indicat, innuens: *„ illud jam triplo auctius otii ſui qvamvis longioris rationem „ reddere, ſeqve parum certe in Hiſtoria Norvegica profe- „ ciſſe, niſi hunc laborem prius exantlaſſet".*

§. 5. Ut *Seriem* 1697. à cenſore receperat, per literas 28 Sept. ejusdem anni cum *Magnæo* agere cœpit, ut de aliqvo circumſpiceret, qvi omnia ejus ſcripta, qvam primum prelo parata eſſent, certis conditionibus ſuo ſumtu ederet, qvod non dubitavit Lipſiæ obtineri poſſe; *Seriem* vero Hafniæ imprimi neceſſe eſſe dixit, ne nimis multis erroribus deformaretur. Præ omnibus tamen maximam hac in re in ipſius *Magnæi*, cui eo fine omnes ſuos libros teſtamento legare ſtatuerat, opera & fide ſpem collocavit; isqve etiam ſe ſuis impenſis *Seriem* editurum obtulit, ſi *Torfæus* 30 exemplaria 50 imperialibus redimere vellet; Cum vero hic 20 tantum vel ad ſummum 30 imperiales concedere vellet, idqve ea lege, ut ſtatim anno 1698 prelo ſubjiceretur, proxi-

moqve

moqve anno, ſi non ante Februarii, certe ante Junii, finem abſolveretur, hoc effectu caruit. Qvæ cum *Johanne Laurentii* anno 1698 eodem fine egit, fruſtra etiam fuerunt. Cum hic dimidium impenſarum, ut in *Hiſtoriam Orcadum*, conferre abnueret, contra vero pro qvalibet plagula imprimenda 10 marcarum Danicarum cum dimidia mercedem poſtularet. Tandem *Magnæo*, cui id antea in mandatis dederat, conciliante, bibliopola Academiæ *Melchior Liebe* ſe induci paſſus eſt ut ſumtus ſuppeditaret, eo qvidem effectu, ut *Torfæus* non tantum *Meyero* ad diem 20 Junii 1699 ſcribere poſſet: " *Series Regum Daniæ in officina typographica jam imprimitur, parsqve ut ſpero prima ante novi anni initium abſolvetur, idqve ſub inſpectione* „ *Arnæ Magnæi* (qvi correctoris munus in ſe ſuſceperat) *proſperiore ut auguror fato, qvam Orcades* ", ſed etiam ut primas novem impreſſæ plagulas ante medium Decembris ejusdem anni tranſmiſſas acciperet, contentus, ſi ante anni finem ea pars abſolveretur, qva ad viam ei parti *Hiſtoriæ Norvegicæ*, qvam tum cenſuræ academicæ ſubmittere decreverat, ſternendam opus erat, ſi modo *Series* integra in Februario anni 1700 prodiret. Hoc enim ſi fieret, Hafniam tendere, ſimulqve, qvæ ex *Hiſtoria Norvegica* paraverat, exhibere ſtatuerat; qvo facto ſe ſalarium, à morte Chrſtiani 5ti detentum, facile impetraturum, &, ut res ſuæ, hac de cauſa haud parum dubiæ, in priſtinum ſtatum reſtituerentur, impetraturum ſperavit. Cum vero *Seriei* editio eo anno ad umbilicum perduci non poſſet, isqve ſibi conducere non ſentiret, Hafniæ morari, donec abſolveretur, domi permanere, aliumqve rerum ſuarum eventum exſpectare cogebatur.

§. 6. Cauſa autem hujus cunctationis haud minima fuit, qvod nonnulli haud exigui nominis viri argumentum libri adeo improbaverunt, ut parum abeſſet qvin prohibitus fuiſſet, idqve *Saxonis* gratia, qvod etiam *Torfæus* in literis ad *Magnæum* 3 Nov. 1700 datis, ſe metuiſſe, nec parum de eo ſollicitum fuiſſe, ipſe fatetur; ſibi vero id tempeſtive indicari debuiſſe haud immerito urgebat, cum tam multa haberet, qvibus hoc inſtitu-

tum tueretur, ex qvibus in variis epiſtolis inter alia memorat: *„ſe mandato Regio, ut ſecundum antiqvitates Islandicas ſcri- „beret, obtemperare non potuiſſe, ſi Saxonem ſeqvi voluiſſet; „Regem eum diligenter legiſſe, nec tamen probaſſe; contra „chronico Norvegico Snorronis plurimum delectatum fuiſſe, „& Islandica ſcire voluiſſe; ſibiqve adeo, qvod imperatum „erat, qvodqve à veteribus traditum invenit, transſcribere, „& rationes, qvantum potuit, reddere, neceſſe fuiſſe; cui- „libet ex his, qvantum vellet, credere vel rejicere liberum; „imo ſibi ipſi minime ingratum, ſed gratisſimum potius fore, „ſi qvis errores ab Islandis commiſſos detegere vellet, qvos „etiam ipſe minime reticuiſſet, cum ſui eſſe officii duxiſſet, „veritatem tantum, vel vero proxima, qværere & ſeqvi".* Interim ea cautione, rebus ſic ſtantibus, opus eſſe judicavit, ut liber, anteqvam in publicum prodiret, multorum oculis non exponeretur. Acceſſerunt etiam aliæ moræ cauſæ, & in his ultima, qvam opus adhuc poſtulare videbatur, cura; qvod *Torfæus* ſentiens, ſtudium, qvale annis 1698 & 1699 in eo elimando collocaverat, etiam poſtqvam imprimi cœptum eſt, annis nempe 1700 & 1701 continuavit, eoqve fine *Magnæum* identidem ſollicitare non deſtitit, ut ſuam qvoqve operam conferret. Qvod enim hic, poſtqvam animadverſiones in librum primum miſerat, ſe à reliqvis eodem modo caſtigandis excuſaverat, & ſpeciatim ſignificaverat, librum tertium melius, qvam ab eo factum erat, ſcribi non poſſe, lectioni nimium feſtinatæ adſcripſit, & nullo modo admittere voluit, cum tam in libro 2do qvam tertio varia adhuc ſupereſſe ipſe ſentiret, qvæ ulteriori lima egere poſſent, & præſertim antilogias ſive diſſenſum relationum, qvem, qvantum qvidem fieri poſſet, ut notaret & conciliaret, per literas 15 Jan. 1700 denuo rogavit. Nec *Magnæus* hac in parte eruditi amici officio defuit; *Torfæus* enim ſe in literis ad eum 3 Nov. 1700 datis *antea varias*, & tum iterum *novas* in *Seriem obſervatioues* ab eo accepiſſe, indicat, & ad harum priores, ſuas animadverſiones, & *corrigenda* in eis, qvæ tum impreſſa erant, cum eisdem

literis remiſit; poſteriores vero poſtea discusſit, ſeqventisqve anni initio novas ab eo recepit; qvæ eorum diſceptationes tandem effecerunt, ut *Torfæus* non ſolum folia *Seriei* bene multa, (& in his U p. 153. 154.) poſtqvam impreſſa erant, rejecta demeret, novaqve ſubſtituerit, ſed etiam *analecta* qvæ ad calcem ejus p. 492. exſtant, ſubinde adderet, initio demum anni 1702 abſoluta. Circa externam operis formam nonnulla etiam prædictis annis mutata fuiſſe *Torfæi* literæ ad *Magnæum* 15 Jan. 1700 indicant, ubi ſe, qvæ de *Gormi & Haraldi Gormi filii obitu* antea ſcripſerat, tum ita contraxiſſe innuit, ut uno obtutu videri poſſent, adeoqve neceſſe eſſe, ut ex his capitibus (qvæ tamen non in *Serie* ſed in *Trifolio* locum poſt invenerunt) nonnulla demerentur. Hoc etiam ſenſu in literis ad eundem 22 Martii 1701 ſcribit ſe ſperare, *Diſſertationis de Starkadis* (qvæ Part. 1. *Hiſtor. Norvegiæ* librum 5tum pag. 250 ſeqv. hodie claudit) poſt Sigurdum Hringum in *Serie* locum fore; ut plura eo pertinentia, ſed aptius infra commemoranda, taceam. Cum autem prædictæ de *Serie* diſceptationes, qvæ ei cum *Magnæo* interceſſerunt, ob argumenti difficultatem ſatis graves eſſent, multumqve temporis, ob locorum diſtantiam, ſæpe efflueret, anteqvam unus alterius reſponſa habere, & plene de his inter eos convenire potuit, adeo longa in imprimendo mora nectebatur, ut omnem ejus patientiam prorſus fatigaret; & qvamvis in literis ad *Magnæum* 22 Martii plurimum de hoc qvereretur, exoptans ut liber circa feſtum pentecoſtes ejusdem anni abſolveretur; ſic enim ſe, ſi rerum ſuarum componendarum cauſa Hafniam ea æſtate (ut in animo habuit) veniret, Regi eum offerre poſſe; tantum tamen ab hoc abfuit, ut contra circa initium Septembris, qvo in Norvegiam rediit, ulterius qvam ad Ragnarem, (ſive libr. 3.* cap. 12.) perductus non eſſet, de qvo qvæ agebant *Magnæum* ſibi cum reliqvis plagulis impresſis non miſiſſe, atqve ideo occaſionem ea relegendi & penitus examinandi ſibi præreptam fuiſſe, in literis ad eum 3 Dec. 1701 haud ſine cauſa doluit. Cumqve ita librum ad feſtum Michaelis prædicti anni, qvod tamen Hafnia diſcedens autumaverat,

abſolvi

abſolvi non potuiſſe cerneret, ſpem adhuc fovit *Magnæum* ita cum bibliopola egiſſe, ut ad initium novi anni, qvod & enixe petiit & optavit, prodiret, & in ea opinione Supremo Secretario Domino *Ditleifo Wibe*, per qvem eum, niſi *Magnæus* aliter diſpenſaviſſet, Regi offerri optaverat, in hunc ſenſum ſcripſerat: „*cum veriſimile videatur, neqve enim certi qvid in tanta* „*diſtantia definire poſſum, principio novi anni exiturum in* „*publicum librum, jam diu in officina calcographica prælis* „*laſſatum, qvi Series Regum Daniæ inſcribitur, R. M. con-* „*ſecratum, providendum ſtatui, ut ſimul cum illo exemplari,* „*qvod per amicum meum Arnam Magnæum T. Exc. meo* „*nomine humillime exhibendum deſtinavi, hæc qvoqve epi-* „*ſtola ad Te perveniat*". Hoc tamen ſecus accidit, finis enim operi prius non eſt impoſitus, qvam vere anni 1702, qvo *Magnæus* in Islandiam ablegatus eſt, *Torfæus* vero id circa medium anni primum recepit, lætus tamen, qvod poſt tantam moleſtiarum iliadem abſolutum tandem vidiſſet.

§. 7. Correctoris munus ut *Magnæo* præ aliis demandaret, ſatis cauſarum habuit, & primum qvidem ut ejus in ſtudiis hiſtoricis, & præſertim antiqvitatibus ſeptentrionalibus, peritiam, licet cetera ejus temporis eruditis haud omnino ignotam, palam commendare poſſet, & deinde etiam, qvod eo excepto neminem noſſet, qvi omnia monumenta antiqva, qvibus *Series* ſuperſtructa erat, tanta cura verſaviſſet, qviqve de ſingulis, iis inprimis, qvæ in his maxime perplexa erant, æqve exacte judicare poſſet. Nec ſpes eum hac in re fefellit. Ex ejus enim epiſtolis non ſolum ſatis apparet, qvod eum *Magnæus* in multis ad *Seriem* pertinentibus, & inter alia in teſtimoniis veterum conqvirendis, calculis chronologicis exigendis & conferendis, & deniqve in locis difficilibus, & maxime in carminibus antiqvis, recte vertendis, inſigniter juverit, ſed ipſe etiam hanc ejus operam in ſuis ad eum literis gratus ſæpius agnoſcit, imo in nonnullis ad alios poſt *Seriem* editam ſcriptis candide confitetur, *eam, qvalis tunc in lucem venerat, prodire nun-*

qvam

qvam potuiſſe, ſe præſertim abſente, niſi eum adjutorem habuiſſet. Contra tamen diffitendum non eſt, qvod *Magnæus* ſæpius in mutando & reſecando liberius multo qvam *Torfæus* optaverat, vel optare jure potuerat, egerit. Eoqve hic intuitu in litteris ad eum 16 Dec. 1701 haud parum dolet, *qvod nimis multa compendia*, qvæ ei neceſſaria non videbantur, in eis, qvæ tum impreſſa erant, *feciſſet.* In alia ad eum epiſtola, 11 Febr. 1702 data, eodem reſpectu ſcribit, *ſe, ubi impreſſa cum originali ſuo exemplo contulit, omnia ita inverſa deprehendiſſe, ut ſe tam cito ſingula perſpicere poſſe tantum non deſperaret.* Præ ceteris ægerrime tulit *eum in variis, qvæ ex ſuo ſenſu excluſerat,* (ex qvibus, *tabulas genealogicas* per totum librum tertium, ſpeciatim memorat) *operam, qvam eis elaborandis impenderat, ſibi vere perdidiſſe, cum, qvæ ex his Hiſtoriæ Norvegicæ apposite inſeri non poſſent, qvo reponeret, neſciret; ſed librum ſibi, abſentiæ cauſa, qvalem acciperet, non qvalem vellet, habendum;* unde concludi facile poteſt has mutationes nec paucas nec exiguas fuiſſe; idqve ejus ad *Magnæum* literæ 16 Apr. 1703. datæ plene confirmant, qvatenus in his graviſſime qveritur, exemplar manuſcriptum, qvo ad *Seriem* imprimendam uſus fuerat, qvodqve, poſtqvam edita erat, ei remiſerat, *ita eum perturbaviſſe, ut ſe vix inde extricare poſſet; qvædam ſcilicet litura inducta, qvædam craſa, nihil in ordinem redactum fuiſſe, multasqve ad hæc animadverſiones ſtylo tantum plumbeo ſcriptas, ſe, qvid ſignificarent, aſſeqvi non potuiſſe*, eis ſolum exceptis, qvæ *Magnæus Seriei* inſeri noluerat de Regibus Daniæ, qvi ibi antea memorati erant. Ex hoc tamen conſilio Reges, Halfdano Nigro antiqviores, ut & eos, qvi in *Hervoræ & Ragnaris* Hiſtoriis memorantur, usqve ad Haraldum Pulchricomum, ad partem primam *Hiſtoriæ Norvegicæ*, ubi Libris IXno & Xmo hodie comparent, referre conſtituit, qvo tamen haud pauca in hac inverti ſenſit. Hoc etiam inductus, *Sturlaugi Laborioſi vitam* in unum caput (qvod libri 6ti ſeptimum nunc eſt, ibid. T. I. p. 201.) tum contraxit, ſimiliqve

modo plures ejusdem farinæ hiſtorias tractare decrevit, ne materia legentibus odioſa fieret, qvo hanc operis partem multo qvam antea breviorem fore haud gravate tulit. Sed qvantumcunqve anno 1702 inopinatum *Magnæi* in Islandiam abitum, & perturbationem rebus ſuis per hunc inductam, initio doluit, qvod ei hoc iter ante non indicaverat, multo minus ad varia maximi momenti capita, qvæ ei de ſuis operibus ſcripſerat, reſponderat, nec chartas ei creditas reſtituerat, cum nauclerus, cui hæc omnia diſcedens tradiderat, adverſis ventis tamdiu detineretur, ut *Torfæus* nihil horum ante Decembrem obtineret; & qvantumcunqve *Series* multis de cauſis eum antea ſollicitum tenuerat; haud parum tamen mox erigebatur, cum eam, ubi prodierat, plurimum laudari audiret, & a proceribus etiam avide legi, ex qvibus Exc. Dom. *Fridericus Gabel*, qvi Pro-Regis partibus in Norvegia tum fungebatur, nonnullas in eam *Animadverſiones* conſcribere dignatus eſt. Unde tanto magis, præſertim in tanta argumenti novitate, mirum videri haud immerito poteſt, eam emptores admodum paucos inveniſſe, cujus rei cauſam bibliopola partim in *Johannem Laurentii* conjecit, qvaſi hic exemplaria bene multa furtim impreſſiſſet & vendidiſſet, partim in materiam, qvod hæc, ob multa illa folia, qvæ dilacerata erant, & de novo impreſſa, omnem nitorem perdidiſſet, & partim deniqve in argumentum libri, qvod ſcilicet hic ad recentiora tempora continuatus non eſſet. *Torfæus* autem ut primum pro mera ſuſpicione, eaqve haudqvaqvam probabili, habuit, ita ſecundum merito futile eſſe cenſuit, cum omnia folia, de novo impreſſa, numerata eſſent, atqve adeo nullam bibliopegis moleſtiam creare poſſent; tertium mandato Regio, ut *Seriem* eousqve tantum, qvo monumenta Danica & Islandica diſſentiunt, perduceret, facile excuſavit. Interea tamen hæc vendendi difficultas anſam bibliopolæ dediſſe videtur, ut novo *Univerſi ſeptentrionis antiqvitatum* titulo, qvem nonnulla *Seriei* exemplaria etiam hodie præferunt, plures emtores allicere tentaret, qvod tamen, ut omnem alium fucum, *Torfæo* valde diſplicuiſſe, ejus hac de re *monitum* ad calcem *Grönlandiæ antiqvæ* editum docet.

§. 8.

§. 8. Ut autem pateat, qvomodo *Series*, ſine principalis argumenti detrimento, tantum mutari, & præſertim tam multa, qvæ ibi ab initio locum habuerunt, inde eliminari potuerint, ſciendum eſt, *Torfæum*, dum ei, anteqvam in publicum prodiit, emendandæ & expoliendæ incubuit, aliqvando in animo habuiſſe, eam in qvatuor libros dividere, & qvidem in qvarto fabulas, qvas *Saxo* ſecutus fuerat, *hiſtoriæ fabularis* vel *mythicæ* titulo, ſigillatim recenſere & excutere; tum *Diodori Siculi* exemplo, qvi hiſtoriam mythicam ſeparatim tractaverat, & nihilominus præterea talia hiſtoriæ inſeruerat, qvalia *Torfæus* in ſua retinere noluit; tum, & maxime qvidem, qvod hoc ſatis convenienter ad ſuum inſtitutum fieri poſſe cenſuit; ſic enim ſe ipſum ab omni ſuſpicione, qvod hiſtoriam fabulis miſcuiſſet, optime liberari poſſe, ſi fundamenta tantum, qvibus *Saxo* ſuum opus ſuperſtruxit, ita detegeret & explicaret. Sic etiam *Seriem* magis placituram ſperabat, cum plures hiſtorias legerent, qvam disqviſitiones chronologicas, ad Regum ordinem demonſtrandum pertinentes. Augurabatur qvidem *Arnam Magnæum*, cui hoc in literis 11 Dec. 1698 primum ſignificavit, qvemqve ſuam ſuper eo ſententiam rogavit, judicaturum, paucis has fabulas abſolvi poſſe; ipſe vero eas, utpote à ſe operoſe ſatis deſcriptas, nimis contrahi noluit; Sic in Humblo & Lothero integra loca de Humblio Hunniæ Rege & Hlaudure vel Lothero Heidreki filio; in Alrico & Geſtiblindo, de eodem Heidreko & Geſto cœco; in Joſura Frodii 3tii filia, de Arngrimi filiis & Eyfura, qvæ omnia in *Serie* (p. 247-48. 255-56. 256-57 it. 261-62.) ſtrictim tantum indicantur, ex *Hervarar ſaga* transſcribere ſtatuit. Has autem fabulas, qvo in variis epiſtolis ad *Arnam Magnæum*, anno 1699 exaratis, præter Hervarar-Sagam, refert *narrationes de Indridio Ilbreid*, ſive Panſa, nec non de *Hiarando Hognio & Hedino*, ut & *Asmundi & Egillis Unimani*, *Halfdani Eyſteinis filii*, *Sorlii Robuſti*, *Hrolfi Krakii*, *Thorſteini Vikingi filii*, ut & *Herraudi & Boſii* Vitas, libro tertio *Seriei* ab initio integras inſeruerat; hoc vero anno, poſtqvam eas peculiari

liari

liari libro uberiores edere decreverat, iis ita contrahendis manus admovit, ut locum in ea habere poſſent, unde etiam factum eſt, ut ea, de qvibus harum plurimæ agunt, vel omnino non, vel paucis tantum, maxime ad genealogias & ſynchronismos illuſtrandos, in *Serie*, ex. gr. *Asmundi & Egillis vita* p. 500. *Hrolfi Krakii* pag. 284. ſeqv. *Thorſteini Vikingi filii* p. 30-34. it. p. 493, memorentur, excepta *narratione de Hognio & Hedino*, qvæ non tantum, ut reliqvæ, p. 262. pro inſtituti ratione leviter tangitur, ſed etiam integra in *appendice* 2. p. 476. locum ſortita eſt. Cumqve *Magnæus* hoc ejus inſtitutum probaret, non tantum univerſam *Hrolfi Krakii hiſtoriam*, ut eam tum conſcripſerat, & oratiunculas paraphraſtice expoſuerat, ut & *Egillis Unimani vitam*, qvatenus Frothonis 3tii tempora illuſtrat, in compendium tamen redactam, qvarto huic *Seriei* libro inſerere ſtatuit, ſed reliqvas etiam, qvas ſupra memoravimus, qvales eas hoc animo elaboraverat, cum epiſtola 3 Apr. anni 1700 data, *Magnæo* transmiſit, ei ſimiliter inſerendas. Qva lucubratione fieri aliter non potuit qvam ut plurima comprehenderet, qvæ propius multo ad univerſam Norvegiæ, imo totius ſeptentrionis, hiſtoriam, qvam ad controverſum Daniæ Regum ordinem pertinent. Hoc vero propoſitum, qvantum ad *Hrolfi Krakii* hiſtoriam attinet, ex *Magnæi* mente, qvi, ut ſpeciminis inſtar, ante *Seriem* ipſam ederetur, ſvaſit, brevi mutatum eſt, conſiliumqve de ea ſeparatim edenda ante finem Novembris ejusdem anni captum; Qvod ubi factum erat, reliqvas etiam, qvas ſupra memoravimus, & plures forte id genus hiſtorias, ne *Seriem* ultra modum exaugerent, nimisqve retardarent, *Magnæus* ſuopte conſilio ab ea ſeparavit, unde *Torfæus* iis in parte prima *Hiſtoriæ Norvegicæ*, & qvidem *Thorſteini Vikingi filii Vitæ* in Libro 5. *Sorlii Robuſti*, in Lib. 6. Sect. 3. *Halfdani Eyſteinis filii*, in Lib. 7. Sect. 1. *Asmundi & Egillis*, in Lib. 7. Sect. 2. *Hervarar-Sagæ* in Lib. 10. Sect. 2. *narrationi* vero *de Indridio Panſa* in parte Secunda Libr. 10. Cap. 10. locum poſt aſſignavit.

§. 9.

§. 9. Nec minorem mutationem *Series* paſſa eſt, ratione temporis vel intervalli, qvod decurrit. Ea enim, qvam *Torfæus* in gratiam Friderici 3tii primam conſcripſerat, usqve ad Svenonem Eſtritium perducta erat; contra vero edita in Gormo Grandævo deſinit. Unde, ſi nihil præter Præfationes huic & *Trifolio* præmiſſas hac de re ſuppeteret, credi facile poſſet, *Torfæum* vel ſtatim ac libro expoliendo & edendo manum admovit, vel ſaltem volentem, hanc mutationem feciſſe. Verum ex epiſtolis ejus ſatis ſuperqve patet, eam ei, etiam poſtqvam *Series* prelum ſubierat, mentem fuiſſe, ut non tantum Gormi, ſed etiam Haraldi Cærulidentis, & Sveinis barbæ furcatæ chronologia, Libri in ea tertii partem faceret; unde etiam disqviſitionem: *utrum Jomsburgum Haraldi an Sveinis tempore conditum fuerit*, qvæ 12 *Trifolii* Caput nunc efficit, *Magnæo* 1698 transmiſit, ſuo loco inſerendam, eo maxime fine, ut eo facilius in *Hiſtoria Norvegica*, ubi tam Haraldi, qvam Sveinis, tanqvam Norvegiæ Regum, geſta deſcribenda erant (qvod T. 2. Lib. 6to, 7mo & 8vo ab eo factum eſt) progredi poſſet, nec prolixis id genus digresſionibus, qvæ, ex ſcopo *Seriei*, aptiorem in hac locum invenire poſſent, detineretur, cetera ſibi *Magnæi* operam experens, ut hic, qvæ forte de his in ſcriptoribus rerum Germanicarum, qvos ipſe tunc temporis ad manum non habuit, obſervaſſet, ſuppleret & annotaret. Nec multo poſt, eodem anno, alterum huc ſpectantem tractatum, qvem in alia epiſtola, *Scriptorum Islandicorum cum aliis, circa Religionis chriſtianæ in Dania initia, & Haraldi Cærulidentis hiſtoriam, conciliationem*, ipſe appellat, qviqve *Trifolii* capit. 8. ad 11. nunc legitur, ſimiliter miſit, qvo ea inprimis revocaverat correxeratqve, qvæ ſe de religionis chriſtianæ in Daniam introductæ tempore antea minus feliciter tractaſſe tunc animadverterat. Nimis tamen multa, qvæ locum in *Serie* commode invenire non poſſent, de Haraldo ex hiſtoria inſeruiſſe ſibi viſus eſt, unde *Magnæo* in mandatis ſimul dedit, hæc, ſi vellet, reſecare; magis enim conducere putabat, ſi ſolæ antilogiæ earumqve conciliationes

liationes in *Serie* retinerentur, reliqva vero omnia hiſtoriæ reſervarentur. Qvæ ad Sveinis Regis calamitates pertinent, ſatis ſibi videbatur in Haraldi vita refutaſſe, unde ex eis, qvæ his ulterius convellendis inſervire forte poſſent, ea tantum, qvæ antea adducta non erant, ad Sveinis vitam referri voluit, qvæ vero ex *Adamo Bremenſi* & *Emmæ Encomiaſte* adduxerat, retineri poſſe cenſuit, idqve factum eſſe, ex *Trifolio* (p. 125 & 132.) patet. Interea *Seriei* editio, ut ſupra monſtratum eſt, diutius multo, qvam optaverat, retardabatur, idqve *Magnæo* anſam dedit conſulendi ut eam in duo opera divideret. Hoc vero *Torfæus* in literis ad eum, die 22 Martii 1701 datis, penitus abnuit, neceſſarium eſſe profeſſus, ut ad idem temporis punctum, ad qvod primum perducta fuerat, continuaretur; *ſuam enim diligentiam ex magnitudine libri, ſive uno, ſive duobus voluminibus prodiret, ſatis apparere; certe nullo modo convenire, ut in Haraldo Cærulidente divideretur, vel finiretur; ita enim tractatum de progreſſu religionis chriſtianæ in Dania medium abrumpi; & præterea, qvod tum reliqvum eſſet, valde exile opuſculum fore; nulliusqve momenti viſum iri*, niſi tota Knytlingorum hiſtoriæ narratio eo referenda eſſet, qvod facere recuſavit, partim cum id ad Hiſtoriam Danicam proprie pertineret, cujus concinnandæ laborem *Magnæo*, ſi ei demandaretur, multo libentius cedere voluit, partim qvod nonnulla eo ſpectantia, *Hiſtoriæ Norvegicæ*, ubi occaſio dabatur, jam tum inſeruerat. Cumqve *Series* ad feſtum Michaëlis anni 1701, prelum non reliqviſſet, qvod tamen optaverat, qvæ poſt Gormum reſtabant, ſaltem ſub alio titulo, ex. gr. ſeqventi: "*acceſſit tractatus de* „ *Religione chriſtiana in Daniam introducta, & geſtis qvi-* „ *busdam Haraldi Cærulidentis & Sveinis admorſæ barbæ,* „ *vel ſimilis argumenti*": adjectum iri, adhuc ſperavit, idqve in literis ad *Magnæum* 16 Dec. ejusdem anni denuo repetit. Hic autem, ut *Torfæo* inſcio & reluctante *Ser.* p. 241. indicaverat, eum *Haraldi & Sveinis tempora peculiari ſcripto illuſtraſſe*, ita ex feſtinatione, qva *Torfæus Seriei* editionem, idqve non

ſine

ſine cauſa, ſubinde urgebat, occaſionem ſumſit cum bibliopola agendi, de hac ejus parte ſeorſim edenda; id tamen *Torfæo*, ut ante, diſplicuit, haud injuſte, in literis ad eum d. 11 Febr. 1702 exaratis, præter libelli parvitatem cauſanti, *ſe Haraldi & Sveinis, æqve ac Canuti Magni, utpote Norvegiæ etiam Regum, vitas in HISTORIA NORVEGICA jam tum deſcripſiſſe, ut vero controverſias chronologicas ex ipſo hiſtoriæ corpore eliminare poſſet, ea qvæ de religione chriſtiana in Daniam introducta, ut & de Olai Tryggvini ad Danavirkium militia, agebant*, (qvæqve in *Trifolio*, ut ſupra notatum eſt, nunc leguntur) *in SERIE præmittere voluiſſe, ut his velut fundamentis adſtruere, ulteriusqve ſtabilire poſſet, qvo tempore Hacon Comes baptiſatus fuerit, qvo à fide in Deum & obſeqvio erga Haraldum defecerit, & qvamdiu poſtea regnaverit, ideoqve in omnibus qvæ eo ſpectabant argumentis, SERIEM allegaſſe, qvæ tunc cuncta mutari & deleri neceſſe eſſet*, qvod tamen eum poſt oblitum eſſe ex *Hiſtoriæ Norvegicæ* inſpectione apparet, qvatenus ibi Tom. 2. p. 259. 273. 278. 284. 292. 293. 296. 336. & forte alibi, in eis, qvæ nunc in *Trifolio* edita leguntur, ad *Seriem* provocat, manifeſto indicio, qvod hæc omnia ad *Seriem* referre ab initio conſtituerit. Interea tamen facile eſſe judicavit pone Gormum in *Serie* apoſtrophen facere, ejus tenoris: *opus qvidem jam perductum eſſe, qvousqve monumenta Islandica à Danicis diſſentiunt, cum vero res à duobus ſeqventibus Regibus geſtæ ad Hiſtoriam Norvegicam etiam pertinerent, & inſignes controverſiæ de annorum computatione, qvæ narrationem perturbare poſſent, in eorum tempora inciderent, petere ſe ⁂ lectores boni conſulant, qvod hæc Supplementi loco SERIEI attexuerit*; qvicqvid autem foret, hæc *Vitarum*, qvippe qvas ſeparatim ſcripſerat, titulo vel nomine edi omnino renuit, imo in omnem eventum tolerare maluit, *Seriei* editionem, qvantumcunqve cetera hanc expetebat, usqve ad paſcha anni 1702 ſuſpendi, qvam hoc tantillum ſeparatim edi; cumqve aliqvot menſes iterum laberentur,

ante-

anteqvam in publicum prodiit, in ea adhuc fuit opinione, novam hanc moram ideo inductam eſſe, ut id, prout *Magnæo* in mandatis dederat, una prodire poſſet; unde, ut impreſſum *Seriei* exemplar in Gormo finiri viderat, in literis ad *Johannem Laurentii* 5 Julii 1702, graviter de hoc qveſtus eſt; ex qvo plene apparet, qvod *Magnæus* promiſſum de eis qvæ ad Gormi, Haraldi & Sveinis tempora pertinent, ſeparatim edendis, ad finem *Seriei* p. 446, ex ſuo ſenſu addiderit. *Torfæum* autem hoc induxit, ut bibliopolæ, qvi impenſas ſuppeditare ex contractu obligatus erat, tanto magis inſtaret de hac *Seriei continuatione* vel *appendice*, qvam primum poſſet, excudenda, cum ipſe etiam ei qveſtus eſſet, *Seriem* in antiqvioribus tantum temporibus ſubſiſtere, & ad recentiora non deſcendere; unde etiam ſæpedictam *continuationem*, à ſe denuo reviſam, & *Diſſertationis hiſtorico-chronologicæ* nomine, qvod ei tum præfigere decreverat, inſignitam, vere anni 1703 ad eum transmiſit. Hoc vero, cum, præter varias à parte bibliopolæ tergiverſationes, ob aliorum ſuorum operum, & in his *Hrolfi Krakii Vitæ*, *Vinlandiæ & Grönlandiæ* editiones, usqve in annum 1707, qvo tandem hæc *Seriei* pars, ſub *Trifolii hiſtorici* nomine, prodiit, differre cogeretur, pro temporis reiqve circumſtantiis conſultiſſimum viſum eſt eo modo excuſare, qvod à *Serie* avulſa eſſet, qvo id in *Præfatione* ad dictum *Trifolium* hodie legitur, qvod ad librum 3tium *Seriei* revera pertinere ex antedictis apparet.

§. 10. *Dedicationem* in *Seriem Torfæus* qvidem *Magnæo*, ut ſuo nomine ſcriberet, 1699 in mandatis dedit, eam tamen ipſe poſtea ſcripſit. *Præfationem* etiam 1697, dum Hafniæ morabatur, ipſe conſcripſerat; ſed cum liber poſtea adeo mutatus eſſet, ut ſibi ipſi fere diſſimilis evaſiſſet, novam ei præfationem, in qva non tantum univerſi inſtituti, ſed ſingulorum etiam capitum ratio ſpeciatim redderetur, præfigi optavit, ideoqve per literas 2 Oct. 1699 datas *Magnæum* rogavit ut hanc ſuo nomine ſcriberet, qvod cum is promiſiſſet, idem in literis ad eum 11 Febr. 1702 denuo repetit, idqve ea maxime de cauſa, qvod

rationem

rationem libri ei tum qvam ſibi notiorem eſſe judicarit. In hac autem Præfatione inter alia memorari voluit, qvod *Magnæum* per totum opus conſuluiſſet, & non ſolum ejus opera in erroribus typographicis corrigendis uſus fuiſſet, ſed etiam bene multa ſecundum ejus conſilia mutaviſſet, cum aliorum, qvantumvis cetera egregii antiqvarii fuiſſent, opera eo ſucceſſu uti non potuiſſet, idqve qvia monumenta, ex qvibus ſua hauſerat, publici juris nondum facta erant. *Magnæus* autem, cum circa idem tempus, qvo *Series* prelum tandem reliqvit, ſuum in Islandiam iter maturare neceſſe haberet, Præfationem, qvalis à *Torfæo* primum ſcripta erat, operi præmitti curavit, eis tantum, ut videtur, mutatis, qvæ rationem reddunt cur in Gormo finiatur. Ad *Indicem* vero & *Notas*, qvæ hic jam primum prodeunt, qvod attinet, *Torfæus* jam tum, anteqvam *Series* imprimi cœpta eſt, per literas 5 Apr. 1699 cum *Magnæo* egit, ut *Indicem* in eam, vel ipſe conficeret, vel confici curaret, qvamprimum qvælibet plagula abſolveretur, idqve eum ex condicto feciſſe in literis 11 Febr 1702 ſpem adhuc certisſimam fovit, cum vero, *Magnæo* eodem anno in Islandiam profecto, *Series* ſine indice prodiret, ipſe non tantum indicem ſtatim convaſare cœpit, ſed etiam breves qvasdam notas, qvibus nonnulla loca vel illuſtrarentur vel revocarentur, addere decrevit; *qvam ſuam inconſtantiam ſibi* à *cordatis vitio verti non poſſe* ſperabat; *ſe enim verisſimum qværere; ideoqve, cum veriora eis, qvæ prius ſcripſerat, inveniret, hæc mutare ſolere, qvemadmodum haud pauca folia ex SERIE demſerat, novaqve ſubſtituerat; cum multo libentius pecuniæ jacturam faceret, qvam talia retineret, qvæ nomen apud poſteros tueri non poſſent; ſibi enim ut volens falleret, ſalarium à Rege non numerari.* Occaſionem autem novis hiſce notis, qvas eum prioribus analectis additurum *Magnæus* in anteceſſum auguratus erat, proximam dederunt, tam qvæ hic, contra ejus mentem, ſua ſponte mutaverat, qvam qvæ *Torfæus* partim in ſuis ad eum epiſtolis monuerat, is vero, ob anguſtiam temporis, emendare omiſerat, partim, & maxime qvidem, qvæ

 ſingula

ſingula iterum iterumqve relegendo, &, inter qvotidianos in cognatis *Hiſtoriæ Norvegicæ* argumentis labores, penitius rimando ipſe detexerat. Sæpedictas *notas* & *Indicem* vere anni 1703 abſolvit, Hafniamqve, ut imprimerentur, miſit. Ut autem bibliopola, qvamvis indicem antea optaverat, librum, ſi accederet, plures emtores inventurum ſperans, moras in edendo nectebat, *Torfæus* in variis epiſtolis, annis 1704 & 1706 exaratis, ut hæc ederentur, flagitare non intermiſit, qvem etiam ad modum ſe hæc propediem editurum eſſe, ad calcem *Grönlandiæ* 1706 editæ publice promiſit, cum autem hoc fruſtra eſſet, isqve eruditos indice multum non indigere judicaret, & præterea per totum illud tempus, qvo poſt *Seriem* editam literis vacare per ſenectutem potuit, tam in minoribus ſuis operibus edendis, qvam in *Hiſtoria Norvegica* perficienda ſatis ſuperqve occupatus eſſet, à propoſito iſta edendi prorſus deſtitiſſe tandem videtur; eaqve ſine dubio cauſa eſt, qvod variis earum obſervationum, qvas hæ notæ continent, partim in *Prolegomenis* ad *Hiſtoriam Norvegicam*, partim in hac ipſa, locum dediſſe deprehendatur; qvod qvamvis ita ſit, non tamen ideo minus utile vel neceſſarium videri debet, hæc ſeparatim edita habere, & *notas* qvidem, ut harum argumentum cum *Serie*, qvo proprie pertinet, eo facilius conferri & conjungi, *Indicem* vero, ut præſtantisſimi hujus libri uſus, hactenus, ob rerum varietatem, nominumqve multitudinem, haud parum impeditus, expeditior eſſe posſit.

§. 11. Verum præter ea qvæ à *Torfæo* tam in prioribus ad *Seriem* Analectis, qvam poſterioribus hiſce *Notis* circa eam obſervata ſunt, in epiſtolis ejus qvædam, ad eam illuſtrandam pertinentia, occurrunt, qvæ, coronidis loco, hic addere libuit, ut lectores omnia, eo ſpectantia, qvæ autor reliqvit, ſimul habere poſſent, ſunt autem qvæ ſeqvuntur:

> Qvæ *A Magnæus* in libro 1mo mutaverat, *Torfæus* qvidem in literis ad eum 15 Dec. 1699 probavit, non tamen pejus ſibi viſum eſſe profeſſus, ſi omnia criteria generalia in caput 6tum congesſiſſet, & qvæ forte

à ſe

à ſe omiſſa erant, addidiſſet, illa etiam authentiæ argumenta eſſent. Qvod vero *Hrolfi Krakii vitam*, p. 30 & 37, ad duas hiſtoriarum claſſes retuliſſe videbatur, minus probavit; ut & qvod ea, qvæ Islandice tantum verſa eſſe putavit, & in his *Apollonii vitam* hiſtoriarum albo eximi voluit, cum *Trojanorum hiſtoria*, qvam tamen admiſerat, æqvo jure excludi potuiſſe videretur.

Pag. 30-32. *Thorſteinis Vikingi filii vitam*, cui *Magnæum*, forte in *Bartholini* gratiam, plus juſto infenſum ſenſit, rejicere non poſſe ſibi videbatur, tam propter rationes l. c. ut & in *addendis* p. 493. pro ea adductas, qvam qvod ingens illa claſsis & potentia, qvæ ibi memoratur, regno honori eſſet; imo ne qvidem *Sturlaugi vitam*, cum vicini noſtri, ſi multa talia haberent, ea in ſuos uſus convertere certe non intermitterent. Se qvidem, *Magnæo* monente, primum ſtatuiſſe memorat, ſciolum qvendam, qvæ in hujus hiſtoriæ principio de Alfo habentur, addidiſſe, poſtea vero ſe hanc ſententiam mutaviſſe, unde etiam argumentum pro *Thorſteinis Vita' Ser.* p. 31. ex graduum æqvalitate ductum expungi aliqvando voluit, ejusqve loco ſeqventia reponi: *Qvicqvid ſit, hiſtoriæ Thorſteini auctoritas vel inde convincitur, qvod Vikingi & Sturlaugi laborioſi tempora cum traditionibus de utroqve conveniant, cum tamen diverſæ de iis hiſtoriæ ne mentionem qvidem alterius faciant. Freyri, qvi chriſti tempore vixit, Sturlaugus clientelari jure ſubjectus erat, qvem anno chriſti X. mortuum ſtatuimus. Hic occidit Kolum Krappium, ejusqve fratrem uterinum Framarem in ſocietatem recepit, Vikingus autem juvenis annorum qvindecim prius occiderat duos ejus fratres, ſororem & ſororis maritum, atqve ita mutuo teſtimonio ſe confirmant.*

Si Vikingus 30 annis ante chriſtum natus eſt, anno chriſti natali hanc cædem perpetraſſe oportet, Sturlaugo adoleſcentiam non egreſſo, atqve ita ſingula conveniunt; Hæc tamen nec in prioribus ad *Seriem* addendis, neqve in poſterioribus ad eam notis obſervata deprehendimus, qvod minime mirandum, cum æqvalitas graduum in *Thorſteinis* & *Sturlaugi* genealogiis recte ſe habeat, hæc vero eorum ætas ipſius Thorſteinis genere, & inprimis Noris, à qvo 6 gradu deſcendit, æra, in *Serie* paſſim indicata, in hiſtoria vero Norveg. & qvidem T. 1. libr. 3. cap. 23. pleniſſime expoſita, penitus ſubvertantur; ex qva etiam disqviſitione ſatis apparet, qvomodo in erroneam hanc opinionem inductus fuerit. Qvod autem ad *Thorſteinis*, *Sturlaugi*, *Hervoræ* & aliarum id genus hiſtoriarum auctoritatem in genere attinet, lubens qvidem fatebatur, multa in eis futilia occurrere; ſed *Herodotum* etiam & *Diodorum* Siculum permulta habere ejusdem farinæ; unde ſibi licere, ea qvæ ante Pulchricomi tempora referuntur *hiſtorico-mythica* profiteri, ſed nihilo tamen minus ab oblivione vindicare, ut poſteritas ſciret, qvid antiqvitas tradiderit; in qvibus id qvod verum eſt ſatius putavit conſervare, qvam fabuloſa ſubvertere, cum horum interitu illud qvoqve interire neceſſe eſſet. Et ſi argumentum pro Thorſteinis vita, qvod ex Sturlaugi vitæ conſenſu duxerat, ejusdem commatis *Magnæo* forte videretur, atqve illud, qvo Sigurdus Brenner jus ſuum in Regnum Norvegiæ tueri voluit, qvod ſcilicet eum Jonas Kuflungus pro ſuo cognato agnoverit, minime ei obfuit, ſi aliud, idemqve melius, ſubſtituere poſſet; ſe vero qvæ aliqvo modo conſiſtere poſſent, propter ſolas auxeſes & fabulas interſperſas, univerſa rejicere minime poſſe duxit. Qvo autem magis in his inoffenſo pede procedere poſſet, dudum optaverat, & *Magnæum* ſollicitave-

licitaverat, ut tractatum criticum, hiſtoriæ præmittendum, ſuper omnibus veterum Islandorum ſcriptis, præſertim hiſtoricis, adornaret, in qvo, qvæ pro fide dignis admittenda, qvæ vero contra rejicienda eſſent, plene doceret, cum etiam optimæ veterum hiſtoriæ nonnullas fabulas intermixtas haberent. *Saxonem* vero Haraldi Hilditannis & Asmundi athletarum interfectoris Vitam, nec non narrationes de Vikare & Arngrimi filiis ab Islandis mutuatum non eſſe, ex eo maxime concludebat, qvod horum de his ſcripta multo plura, & ex parte alia, contineant, qvam qvæ ille habet, adeoqve ex eo translata eſſe non poſſent.

Pag. 31. Præter ea, qvæ tam in *Hiſtoria Norvegica* T. 1. p. 194. qvam in novis ad hunc *Seriei* locum notis ad genealogiam Thorſteinis illuſtrandam adducta ſunt, *Torfæus*, ut Alfi cum Bryngerde matrimonium cum temporum ratione (de qvo *Magnæus* dubitaverat) conſiſtere evinceret, Alvoram Alfi ſororem natam eſſe poſuit anno chriſti 70. Alfum 110. Unde, ſi Jotunbiorn natus poneretur anno 71. Raumus filius ejus 91. Bryngerdis vero 120, ſatis apparere putavit, qvod eam Alfus, propter ætatem, in matrimonio habere potuerit; nec qvid obſtare deprehendit, qvominus Alvora, utpote Alfi ſoror, Raumi etiam filia ſtatueretur.

Pag. 104-106. Argumentum, ad æram immigrationis Odinianæ adſtruendam, à graduum ratione ductum *Magnæum* non omnino probaviſſe, atqve ideo qvædam hic ex ſuo ſenſu mutaviſſe *Torfæus* in literis ad eum 30 Nov. 1700. haud obſcure innuit, ſe malle ſcribens, ut qvæ ille hic deleri optaverat, retinerentur; qvamvis enim lineæ à Pulchricomo ad Regem Daniæ Fridericum Qvartum deſcendentis ratio aſcendenti, à Pulchricomo ad Odinum, plene non reſponderet, tantum tamen ea illuſtrare ei videbatur, ut defectum, vel exi-

guum tantum, vel prorſus nullum in ea admittere opus eſſet; qvemadmodum ex gradibus à Chriſtiano 5to, qvos tamen tum 26, non 25, numeravit, proportionem temporis ab Haraldo ad Odinum clare ſatis eluceſcere cenſuit, unde etiam hoc in analectis p. 495. poſtea addidit. Qvod autem *Cæſar* nihil de Odino ſciverit, mirum non putavit, cum brevi tantum tempore, poſtqvam Rhenum transierat, in Germania commoratus fuiſſet. De *Tacito* res magis ardua videbatur, cum procurator *Galliæ* Belgicæ aliqvamdiu fuiſſet, ſed ad hoc etiam facile reſponderi poſſe profeſſus eſt, imo ipſe qvodammodo reſpondit Hiſt. Norv. T. 1. Libr. 3 c. 14. p. 140.

Pag. 110. Lin. 16. *Torfæus* annotavit Codicem Regium Eddæ Sæmundi loco *Siggii*, Yggi. i. e. *Yggium* habere.

Pag. 118. Qvæ de *templo Biarmenſi*, Odino Upſalenſi antiqviore, *Sturlaugi vita* præeunte, dicta ſunt, *Magnæus* retinuit, cum incertum judicaret, an *Torfæus* Haraldum Gullmunnum Aſis coævum habere vellet, nec ne, ideoqve in analectis p. 496. tantum ſignificavit hanc *Sturlaugi vitæ* relationem dubiæ fidei eſſe. *Torfæus* vero, cum in Commentario de Fornioti Norisqve epocha, ei jam tum transmiſſo, ſatis declaraſſet Haralldum Gullmunnum, atqve adeo Sturlaugum, Aſis multo tempore inferiorem eſſe (conf. Hiſt. Norv. T. 1. p. 154) hæc prorſus revocari debere merito cenſuit, qvod etiam in poſterioribus ad h. l. notis factum eſt.

Pag. 126. collat. cum 216. it. 261-62. Initio *Torfæus*, ſi ita placeret, nihil obſtare cenſuit, qvominus Odinus, Sigurlamii pater, Upſalenſis eſſe poſſet, nec multum qverelæ locum eſſe, qvamvis 46 anni cuilibet gradui aſſignarentur, cum qvidam 70 vel plures annos, & qvidam contra 30 vel pauciores aſſeqvi potuerint; Hoc vero cum eis, qvæ p. 257 & 261. dicta ſunt, conſiſtere

non

non poſſe poſt animadvertit, ideoqve tandem in eam ſuſpicionem inductus eſt, duos fuiſſe Svafurlamios, cum Eyvora, Arngrimi uxor, Nore haud paucis gradibus inferior, filia ejus Svafurlamii, qvi Gylfii ex filia nepos erat, eſſe non poſſet, unde neceſſe eſſet inter hunc Svafurlamium & patrem Eyvoræ, cui etiam forte Svafurlamii nomen erat, aliqvot gradus deeſſe.

Pag. 173-208. Qvod *Magnæus*, tria ultima libri 2di capita nec multa ſe eruditione commendare, nec ſuam theſin firmiter ſatis tueri judicans, hæc in ejus gratiam ordinatius digeſſerat, gratus qvidem agnovit; avebat tamen ſcire, qvid adeo improbaret, utrum ſcilicet ſtatueret, epocham Regni Gothici & migrationum exaltari magis poſſe, an vero ſuperfluum putaret, ex genealogiis & ſynchroniſmis demonſtrare, qvod, qvæ tantæ antiqvitatis patroni admittunt, ſubſiſtere non poſſent. *Torfæo* contra hoc adeo neceſſarium videbatur, ut ſe optaret omnium populorum placita de gentis cujusqve primordiis legiſſe, & ex his omnia refutaſſe, qvæ prodigioſam adeo antiqvitatem ex his terris repetunt. Poſſe qvidem ſe has & alias *Magnæi* objectiones, ſibi ſoli habere, qvo melius ab erroribus ſibi cavere poſſet, ſed præterea velle, qvæ forte perperam ſcripſiſſet, in alio opere ad earum ductum emendare, & revocare, idqve non ſine ejus encomio, cum veritas ſibi amiciſſima eſſet.

Pag. 228. Ad Exc. *Gabelii* objectionem: qvod
Sveciæ Dynaſtis, Dyggvio antiqvioribus, ſceptra tribuiſſet, eosqve ita pro Regibus venditaviſſet, cum tamen Dyggvius primus eorum Regio titulo uſus fuiſſet, *Torfæus* qvidem faſſus eſt, ſe hæc non omnino accurate, ſed ſecundum conſvetudinem poſteriorum temporum ſcripſiſſe; facillime tamen hæc tuebatur, cum ipſa monumenta antiqva, & in his *Eddam* Gylfio Niordo & Yngvio, & Codicem Chronici Norvegici, qvem ab Olai

Sancti & filii ejus Magni Boni imaginibus *Jöfra-Skinnam* i. e. Regium appellere ſolet, ipſi etiam Odino Regium nomen tribuiſſe deprehenderit. *Gabelii* ſententiam, qvod imperium Veciæ antiqvisſimis temporibus in Pontificatum redactum fuiſſet, libenter amplectebatur; id autem Svecos, ut ex *Joh. Magni* Libr. 2. Cap. 3. apparet, pro majori gloria habituros putavit, ſi ſtatueretur, Danis integrum non fuiſſe alibi qvam Upſalis ſacrificare. Denominationem pacis univerſalis à Frodio, à potiori qvidem ductam eſſe largiebatur, cum Frodium potentisſimum ſui temporis Regem in ſeptentrione fuiſſe, omnes conſentiant, ideo tamen Svecos admiſſuros dubitavit, qvod ullum ei in eos jus fuerit, ſaltem qvamdiu Freyr in vivis fuit.

Pag. 257 ad 262. Locum ex carmine *Hyndluliod* adductum *Torfæus* qvidem initio bene ſatis conſiſtere poſſe putavit, qvatenus diſputatio l. c. in eo verſaretur, qvod Angantyr & Arngrimi filii diu poſt Frodii Pacifici tempora vixiſſent. Qvamvis enim perſpicua Arngrimorum confuſio tam in *Hervarar-Saga* qvam *Originibus Norvegicis* obſervaretur, ambo tamen Frodio pacifico multo poſteriores, & in utroqve loco 6 gradibus à Nore remoti, evaderent. Cum vero carmen *Hyndluliod* uni eorum ſynchronum poneret Ottarem Stultum, hujusqve genus ad Finnalfum & Norem texeret, & eos tamen poſt Sigurdum Fafnericidam & Giukungos, & longe poſt Jormunrekum collocaret (verbis: " allir komnir frá " Jormunreki ", i. e. *omnes à Jormunreko deſcendentes*), neceſſario concedendum putavit, hiatum eſſe in genealogia Ottaris, & Svanum Rufum Finnalfi filium non eſſe, ſed multos inter eos inſeri debere; unde etiam ei displicuit, qvod *Magnæus* p. 262. Lin. 15. probaverat *Verelii* ſententiam de Arngrimo Eyfuræ marito (qvod etiam ideo in *Emendandis* p. 498. annotatum eſt) cum hi,

hi, nempe hic Arngrimus, ejusve proavus, ne ad Norem qvidem pertingerent, iis ſolum exceptis qvi in *Originibus* memorantur, Svadio nempe gigante ſocero ejus, & patre ejus Eyſteine, qvi ad Snærem Grandævum pertingerent, Solvium Regem, qvi Soleyas occupavit, etiam ante Norem fuiſſe, ſed Arngrimum poſt eum Alfo coævum. Ut autem *Magnæus* in ea fuit opinione, qvod uterqve, Dagus & Eygrimus Bauggerdem in matrimonio habuiſſet, ita *Torfæus* tandem inductus eſt ad ſtatuendum, Eygrimum potius qvam Dagum Arngrimi patrem fuiſſe, partim qvia *Hervarar-Saga* hoc adeo diſtincte tradit, ea etiam probabilitate adjecta, qvod Eygrimus, in domo Starcadi & Alfhildis educatus, eorum filiam Bauggerdem uxorem adipiſci facile potuit, partim qvia *Origines* tam in genealogia Solveigæ uxoris Olai Lignatoris, qvam Halfdani Albipedis & Eyſteinis Bombi, à *Chronico Norvegico* recedere & omnia ab Halfdano Grandævo computare deprehenduntur; unde hac in re conſultisſimum putavit *Hervarar-Sagam* ſeqvi. De ſynchronismo autem Ottaris Stulti & Angantyris *Magnæi* ſententiæ acceſſit, eos poſt vixiſſe. Hinc Arngrimum & Eyfuram, (qvod etiam in *emendandis* pone *Seriem* p. 498. obſervatum videmus) ad ſeculum poſt Chriſtum natum ſecundum rejecit, tandemqve agnovit, Angantyrem, qvem carmen *Hyndluliod*, & ex eo *Series*, loco ſupra citato, Ottari Stulto coævum ponit, prorſus diverſum fuiſſe ab Angantyre Arngrimi filio qvi Norvegus erat, ut & ejus pater & avus, qvod non tantum in *Hiſtoria Norveg.* (T. I. p. 418. & ſeqv. conf. p. 441.) poſtea expoſuit, ſed etiam hæc omnia in *poſterioribus* hiſce ad *Seriem* notis emendavit, & pluribus rationibus adductis ulterius diſcusſit

Pag 269-272. Ut *Sturlæus* Drottam Dani ſororem, Danpi vero filiam, fuiſſe tradit, ita *Torfæus* ab

initio ſuſpicatus eſt, Danum etiam Danpi filium fuiſſe; Cum vero *Sturlæus* hoc non determinet, alia monumenta conferendo poſt ad credendum inductus eſt, Drottam uterinam tantum Dani ſororem fuiſſe, ita ut Dani mater aut Olaum ejus patrem priorem, Danpum vero poſteriorem, maritum habuiſſet, aut contra, adeoqve qvod Danus Olai filius fuiſſet & regnum non invaſiſſet, ſed forte Danpi provincias alia occaſione acqviſiviſſet ſuisqve addidiſſet, unde Cap. 5. Libr. 3. aliqvando ita ordiri voluit: " *Vermundus inter Daniæ Reges à* „ *Saxone decimus ſeptimus conſtitutus, qvi & Vig-* „ *leti filius ſtatuitur, hunc in annalibus noſtris lo-* „ *cum occupat, & à Sapientis cognomine illuſtratur;* „ *nam genealogiæ, qvas exhibuimus, Olaum man-* „ *ſvetum filium ejus fuiſſe, teſtantur ipſo Saxone* „ *ſuffragante, Olai autem manſveti filium LANG-* „ *FEDGATAL ut & LIBER ORIGINUM NOR-* „ *VEGIÆ, Codice FLATEYENSI contentus col.* „ 10. *Danum magnanimum. At SNORRIUS STUR-* „ *LÆUS Dani ſororem Drottam Danpi filiam,* „ *Rigi neptem, qvi in ſeptentrione primus Rex ap-* „ *pellatus eſt, recenſet. Matrem igitur Dani poſt* „ *mortem patris ejus Olafi Danpus duxerat, fuit-* „ *qve Drotta uterina illius ſoror*". Ita *Sturlæi* narrationem cum reliqvis genealogiis optime conciliari poſſe putavit. Vermundum vero & Olaum ex Skioldungorum familia fuiſſe cenſuit, ſed Rigum & Danpum ex alia, atqve ideo Danum totum regnum adipiſci potuiſſe forte per adoptionem, eamqve cauſam eſſe, qvod Carmen *Rigsmál* Danum & Danpum conjungat in verbis: " *Eiga* „ *þeir Danpr oc Danr dyrar hallir*". Eaqve ratione facile obviam ivit Exc. *Gabelii* objectioni: *qvod Rigum & Danpum ex Regum univerſalium, vel totius Daniæ monarcharum, ordine male excluſiſſet, cum ta-*

men

men Snorro hos eo referre, adeoqve LANGFEDGATAL & ORIGINES NORVEGICAS his ſupplere voluiſſe videretur; Si enim obſervaretur Drottam ex alia familia fuiſſe, & ſchema genealogicum, etiam ſecundum ipſum *Snorronem*, ſeqventi modo formandum eſſe: (conf. Hiſt. Norv. T. I. p. 378.)

Vermundus Sapiens. | Rigus.
Olaus Manſvetus—Uxor utriusqve anonyma—Danpus. Domaldus.
Danus Magnanimus. Drotta———Domar.
Dyggvius.

facile patere, nullum hic in *Langfedgatale* hiatum eſſe, certe eam *Snorroni* mentem non fuiſſe, ut Rigum & Danpum ei insereret. Nec ſatis cauſæ eſſe cur Rigus ad Monarchas referatur, qvod Regium nomen primus in ſeptentrione aſſumſerit, cum nihil obſtaret, qvominus hoc nomen, qvod Monarchis, ſive Regibus primariis, poſtea tantopere placuit, à Rege fiduciario vel tributario primum aſſumtum eſſe potuerit; accedit qvod ejus uſum Reges primarii fiduciariis tanto minus prohibere potuerint, cum hi haud raro illis potentiores eſſent. Hæc autem qvantum ad Dani & Danpi genus attinent, cum *Serie* edita h l. ſenſu conveniunt, ab epiſtola vero ad Magnæum 14 Jan. 1699. aliqvantum abeunt, cujus diſſenſus ratio in Hiſt. Norv. T. I. p. 414. reddita eſt.

Pag. 309. *Torfæus* deſideravit qvod *Magnæus* ad verba: *Haralldar Konungs ur Geirraudargördum i Noregi:* oblitus fuiſſet annotare, qvod exemplar *Bryn. Svenonii* habeat: *Haralldz Kongs ens Gotranda nordan or Noregi:* cum Geirraudargardas in Norvegia ſitas eſſe non putaret. *Magnæus* contra partim Geirraudargardas pro ficto loco habuit, partim etiam objecit, non apparere, qvid per *Gotranda* intelligeretur. *Torfæus*

ſæus vero de priore dubitavit; poſterius qvidem conceſſit, ſimul tamen inſtabat, eſſe etiam alia nomina, ut Hnauggvanbaugi & plura, qvæ certo explicari non poſſent, adeoqve ſatius eſſe, qvæ Codices habent, retinere, qvam vitioſam & falſam chorographiam admittere; his enim nomina ex alia lingva data eſſe facile poſſent.

Pag. 316 & 319 Teſtimonia *Saxonis* de Hialio & Scatio, qvi Olao Lignatori Vermorum Regulo ſynchroni erant, nec non de Regnaldo Rutheno Radbardi nepote, qvi Sigurdo Hringo, in prælio *Bravallenſi*, militavit. *Torfæus* libr. 3. Cap. 9. ad Sigurdorum, Hringi nempe & Fafnericidæ, ætatem adſtruendam uſus fuerat, inprimis qvatenus Radbardi genealogia genealogiam Sigurdi Hringi à Scriptoribus Islandicis traditam illuſtrat. Hæc vero *Magnæus*, utpote loco minus apto poſita cenſens, deleverat, & ad Cap. 8. ubi nunc extant, rejecerat. *Torfæo* contra videbatur utrumqve hoc argumentum æqve commode eo loco, qvo primum poſita erant, permanere potuiſſe, tanqvam rationes ad tempus indicandum, unde etiam ea in *analectis* p. 503 & 504, ulterius ſtabilire & illuſtrare neceſſarium duxit.

Pag. 320. *Magnæus* cum Dellingum ex *Torfæi* ſententia (*Ser.* p. 117.) pro Odino admittere nollet, inter alia ei objecit, an tum Dellingus, à qvo Ragnaris Lodbrochis genus derivaverat, etiam Odinus eſſet? Poſuerat autem *Torfæus* ſecundum *Origines Norv.* (conf. Hiſt. Norv. T. I. p. 133. 256.) Finnalfum uxorem habuiſſe Svanhildem auripennem, filiam Dagi Dellingi filii, eorumqve filium fuiſſe Svenum Rufum, qvæ tamen genealogia ultra Ingemundum & Eyſteinum non procedit. Cum vero horum majores eosdem eſſe deprehenderet, qvos carmen Hyndluliod (*Ser.* p. 260-61. laudatum) ad Ottarem Stultum refert, hujus patrem Innſteinem Ingemundi & Eyſteini fratrem fuiſſe non ſine probabilitate

tate

tate primum ſuſpicabatur. Incertior vero erat an à patre eorum Alfo Grandævo Ragnaris genus deducendum eſſet, cum *Origines* non determinaviſſent, qvinam Alfus Grandævus hic fuiſſet. Unde etiam hæc partim in *addendis* ad *Seriem* p. 507. mutavit, partim in novis hiſce ad pag. 387 notis ulterius declaravit.

Pag. 340. Lin. 5. Qvod *Magnæus Audlingorum* & *Adelingorum* familias tanqvam diverſas poſuerat, *Torfæo* ab initio diſplicuit, de qvo tamen eum aliqvid poſtea monuiſſe non occurrit.

Pag. 342-43. De Sigurdo Fafnericida *Torfæus* haud parum fluctuavit, incertus, an duo ſtatuendi eſſent, & an Ragnar ullius eorum filiam uxorem habuiſſet, ut & an Giukungi Sigurdo Hringo coævi fuiſſent; primum tamen inclinavit ad credendum duos fuiſſe Sigurdos Fafnericidas, unumqve eorum Ermanarico coævum; hoc vero, poſt varias ultro citroqve ſuſpiciones tandem rejecit, Ermanaricum *Jornandis* cum Ragnaris, Sigurdi Hringi filii, hiſtoria male connecti convictus. Dubia autem qvæ Sigurdum Fafnericidam, Sigurdum Hringum, ipſumqve Ragnarem ſeculo 8vo antiqviores fuiſſe innuunt, nec pauca nec levia fuiſſe, tam ex *Serie* edita p. 335 & ſeqv. qvam ex poſterioribus hiſce ad pag. 337. notis apparet. *Theodori Thorlacii* narrationem, qvod in libro qvodam veteri, latine ſcripto, & Heidelbergæ impreſſo, Vitam Sigurdi Fafnericidæ, antiqvitatibus Islandicis haud parum ſimilem, qvæ eum ad Valentis tempora, imo ſuperius eveheret, legiſſet, inter hæc dubia aliqvando numeravit; in hoc vero *Thorlacium* memoria lapſum, poſt deprehendit.

Reſtat ut Benevolum Lectorem certiorem faciamus qvorum operæ hoc ſcrip-

tum debeat; nempe *Jonæ Jonæo*, Studioſo, qvi tranſcripſit ex Mſſ. & *Johanni Finnæo*, Præpoſito generali dioeceſis Skalholtenſis dignisſimo, qvi, ambo natione Islandi, ultimam correctionem & limam addiderunt.

Havniæ Cal. Decembr. 1776.

P. F. Suhm.

Notæ

Notæ Poſteriores in Seriem Regum Daniæ.

(*) Cum in analectis ſeu emendandis & addendis, loca qvædam, Candide Lector, vel neglecta, vel perperam allegata, vel deniqve non ſatis explicata, dum ſingula relego, obſervem, mei muneris eſſe duxi, ut iſta ſupplerem, illa vel revocarem, vel reſtituerem, hæc qvoqve illuſtrarem. Has igitur animadverſiones ſuperioribus adjeci, unde cognoſcere poteris ſcopum nobis præfixum eſſe, ut vera, vel vero ſaltem proxima, inveſtigemus, poſteritatiqve communicemus, nec qvicqvam reticeamus, qvod ad diligentiorem inqviſitionem occaſionem præbere poſſit, nec nos partium ſtudiis deditos, ar-

gumenta pro alterutrius defenſione conqviſiviſſe, adjicio etiam, nec conqviſitis diutius contentos fore, qvam certiores rationes occurrant, qvæ ſemel approbata evertant, nosqve in ſua caſtra rapiant. Neqve enim hinc inconſtantiæ notam verendam arbitramur, cum in veritatis (cui indagandæ nos devoveramus) inqviſitione conſtanter perſeveremus. Hæc igitur pro candore Tuo, boni conſule. Vale! Ex villa mea Stangalandia, Inſulæ Kormtis, Diſtrictus Stafangrienſis. III. Non. April. MDCCIII.

(*) In Præfatione Fol. 2. p. 1. Linea 25, qvæ mutata ſententia, aliter hic qvam in priori Serie, lege: aliter ibi, qvam in hac poſteriore. Et pag. verſa lin. 5. ignoti, lege: ignotam, ſc. harmoniam.

(*) Pag. 4. Lin. 11. poſt *Eiriksſaga*, adde: citatur a Verelio not. ad cap. VII. Hiſt. Gotrici & Rolfi pag. 53. inter deperdita numerari etiam meretur *Olafi Tryggvini vita*, a Gunnlaugo Monacho latine conſcripta.

(*) Pag. 11. Lin. 29. poſt *Skioldungorum Hiſtoriam*, adde: Aut illam, aut partem ejus, Magnum Olafi, illum, qvi Lexicon Runicum ab Olao Wormio editum compoſuit, ad manus habuiſſe colligo, ex voce *fuke* in eodem obvio. Tradit enim Eiricum Spaka, id eſt *Prudentem*, nomen ſuum ænigmati involviſſe, cum hoſtibus ſpeculator obviam veniret, his verbis: "*Ec heiti fuka land oc fundit hvergi*". Appellor algarum territorium, & nullibi inventum, qvod Saxo lib. 5. pag. m. 86. lin. ult. reddidit, ubiqve adventantem, nusqvam compertum. Per *fuka*

algas

algas & id genus ejectamenta maris, qvæ æſtu radicibus evulſa fluctibus huc illuc aguntur & impelluntur, *Magnus* intelligit, qvæ in magnos cumulos congeſta, qvod ſpeciem terræ referant, territorium vocavit. In prima autem nominis ſui ambigua interpretationis ſyllaba, Eiricum luſiſſe, uterqve animadvertit. Eſt enim tum Præpoſitio negativa, tum etiam Adverbium affirmationem repræſentans temporis; priori ſignificatione: *non* vel *nec* denotat: poſteriore *ſemper*, ni fallor ex græco ἀεὶ, in *ey* translata, & hâc, maris iſta ſpolia, ſcopulorum excrementa, qvæ *reke* appellantur, ſemper impelli; illâ *nunqvam* ſignificavit, atqve ita nomen ſuum utriusqve ſignificationis capax ex utroqve ſenſu amphibolia formavit & logogrypho involvit, connexio qvoqve narrationis Saxoni Magnoqve conſentiens abunde monſtrat eandem hiſtoriam utrumqve explicare. Saxo enim tradit eum a Rege Frothone, hoſtiles acies ſpeculatum miſſum, id qvoqve Magnus Olafi, ſed omiſſo Frothonis nomine (ut dictum eſt) ita exponit. Sed cum *Skioldungorum hiſtoria* interierit, haud eſt definitu proclive, ſub qvonam Frodio Eirikus vixerit; nam qvæ de eo ſcribuntur, aliena ſunt a Frodii, nobis Primi, Saxoni Tertii, temporibus, ſi Snorrji ſcriptis pretium ſtatuendum erit, aliisqve a nobis adductis antiqvitatum documentis; qvare ſuſpicor eum ſub alio Frodio vixiſſe. Dictionis autem a Saxone explicatæ genius ſatis probat, eum, qvæ ab aliis accepit, hic transtuliſſe; nam ſi colloqvium ejus cum Frodio pag. m. 76. deſcriptum,

cum dialogo Fridthiofi & Hringi Hringarichiæ Regis conferas, vix ovum ovo ſimilius eſt, id vero magna antiqvitate ſe tuetur. Cum autem Magnus Olai non citet hiſtoriam, unde hæc deſcripſerat, fieri poteſt aliunde, qvam ex *Skioldungorum hiſtoria*, utrumqve hæc deſumſiſſe.

Pag. 12. Lin. 9. poſt *Hiſtoria Liosvatnenſium*, adde: Toſtii (illius, ut videtur, qvi cum Haraldo Strenuo Norvegiæ Rege anno Chriſti MLXVI. in Anglia cæſus eſt) Hiſtoriam allegat Biornus de Skardſaa in ſuis de Gronlandiæ collectaneis, qvæ apud me manuſcripta aſſervantur. De Sæmundi &c.

P. 23. Lin. 24. pro octodecim lege tredecim.

Pag. ead. Lin. 25. pro DCCCXXXV. lege DCCCXL.

Pag. ead. Lin. 27. pro CLX. lege CLV.

Pag. 24. Lin. 9. pro CXXXVIII. lege CXXV.

Pag. 25. Lin. 23. lege: cum tamen Bardus circa annum demum ſalutis DCCCXL. uti mox dictum, natus tradatur.

Pag. 27. Lin. 29. pro DCCCCLXI. lege DCCCCL.

Pag. 28. Lin. 1. pro LXXXI. lege XCVI.

(*) Pag. 31. Linea 19. poſt *dono dediſſe*, adde: Per Indiam *Reenhielmius* notis ad cap. III. hiſtor. Vikingi & Thorſteini pag. 35. Schythiam usqve ad Tanaim intelligi exiſtimat. *Daniel* autem *Langhornius*, appendice ad Elenchum Antiqvitatum Albionenſium, pag. m. 35. Aſtios, Ingrios & *Ruſſos*, maris accolas maxime orientales. Qvicqvid illius ſit &c.

(*) Ibi-

(*) Ibidem Lin. 26. poſt *in matrimonio habuit*, adde: Notandum Raumum illum Bryngerdis patrem non videri fuiſſe Noris, ſed Jotunbiorni, filium, id qvod Liber Originum Islandiæ (Landnama) cum libro Originum Norvegiæ *collatus*, ſuggerit, ſecus Alfus ſuam ipſius ſororem duxiſſet, qvod tamen Septentrioni haud uſitatum reperio. Schema tale eſt:

Nor
Raumus

Alfus. Jotunbiornus
Raumus
Bryngerdis.

Hinc conſtat fratris ſui neptem, uti id in hiſtoria Norvegica a nobis obſervatum eſt, Alfum duxiſſe.

Pag. 32. Lin. 12. poſt *convenire ſoleant*, adde: accedit aliarum hiſtoriarum conſenſus, *Fridthiofi* nempe *Vegeti* Thorſteini filii, ac *Gotrici & Hrolfi vitarum*, qvarum prior dictum Fridthiofum Ingibiorgem, Belii Regis filiam, uxorem duxiſſe, & fratres illius Helgium & Halfdanum vita vel regno privaſſe tradit, qvæ ſingula nomina in *Thorſteini vita* recenſentur; poſterior cap. III. Fridthiofi memorati filium nepotesqve ac eorum geſta exhibet, nec minus tempus qvo vixerunt monſtrat, Speciæ Regum cum iis ſynchronismos adferendo. Plura ſunt qvæ Thorſteinum vere exſtitiſſe patefaciunt. Ceterum illa, qvæ de monſtr. gig. habitu &c.

(*) Ad pag. 34. Lin. 22. poſt *ſtetiſſe inferius dicitur.* Ni forte *Saxo* noſtris rectius Alf Multivagum ſcripſerit, qvo & inclino.

(*) Pag. 36. Lin. 5. poſt *ſpectatisſimus vir,* adde: *Andreas Nicolai Toldorphius* &c.

(*) Pag. 44. Linea 18. poſt: *Saxoni Grammatico* Synchronus fuit. *Brandus Sæmundi filius* Islendinga ſögu Part. II. cap. XXXVIII. memoratur his verbis: " Fleſtar ſögur er her hafa görſt á Islandi „ voru ritadar adr Brandr biſkup Sæmundar ſon „ andadizt ". Id eſt: *Plurimæ hiſtoriæ res geſtas in Islandia continentes, conſcriptæ ſunt ante obitum Epiſcopi Brandi Sæmundi filii*, id eſt ante annum 1201, qvo eum vivis exemtum inter plures Arngrimus Crimogææ lib. I. cap. X. tradit.

(*) Pag. 45. inter lineas, tertiam & qvartam inſer: Neſcio qvo lethargo obſtupefactus, *Gunnlaugum Monachum* hic omiſerim, aut qvo ille fato, amico meo Arnæ Magnæo, poſtqvam de illa lacuna eum admonui, exciderit, vir memorabilis a *Biorno de Skardza*, præfatione in Annales ab ipſo, ab anno MCD ad MDCXLIV, digeſtos, his verbis, qvæ transferre ſuffecerit, poſtqvam eos, qvi primi Annales & hiſtorias conſcripſerunt, recenſuiſſet, laudatus. *Hi*, inqvit, *hiſtorias de Norvegis Danisqve Regibus compoſuerunt, fuerunt etiam hic docti illi Monachi, qvi, qvæ illi compoſuerunt, conſervarunt, præſertim duo illi, qvi in monaſterio Thingeyrenſi reſederunt, Gunnlaugus & Oddus, qvi multos libros ex variis lingvis in Noricam verterunt, & hiſtorias*

con-

contexuerunt. In his Olafi Tryggvini hiſtoria, ab hoc ipſo Gunnlaugo latine concinnata. Hiſtoriæ, qvæ typis evulgata eſt: Part. II. cap. CVI. memoratur, qvod etiam ejusdem Part. cap. CVIII. confirmat. Meminit etiam illius Sturlungorum Hiſtoria part. IV. cap. VII. eumqve inter præcipuos ſeptentrionalis qvadrantis Religioſos, a doctrina & humanitate comendabat. Illius ſcripta præſtantisſima *Brynjolfus Svenonius* inter notas Stephanii in præfationem Saxonis pag. 15. appellat, & inter plura alia deperdita deplorat.

(*) Eadem pag. eadem lin. ipſum qvoqve *Sverrerem*, vel hiſtoriam Norvegicam, vel certe partem ejus aliqvam conſcribendam curaſſe, varietas relationum de Simone Scalpo, qvi patruum ejus Regem Eyſteinum Haraldi Gillii filium vita ſpoliavit, ſatis monſtrat, ibi enim traditur, qvomodo id Rex Sverrer literis prodi mandaverit.

(*) Pag. 46. Linea 17. poſt *usqve ad Sverrerem.* Hic me hallucinatum agnoſco, cum Chronica Mſſ. membranacêa tria in Sigurdo Hieroſolymipeta tradant (ubi de Rodgeiro Siciliæ Principe, mox Rege, agunt) *Fridericum* (Secundum) *imperatorem, tunc nuper mortuum fuiſſe;* (Cum hæc de Sigurdo Rege ſcriberentur), atqve is Imperator, Snorrio novem annos ſupervixit. Non itaqve hæc *Snorrius* de illo ſcribere poterat. Conſtat etiam *Eiricum Oddi filium*, geſta filiorum Haraldi Gillii, Magni Cæci, & Sigurdi Slembidiaconi, vitas ſcripſiſſe, qvæ editione Danica continentur; Itaqve pro certo definire neqveo,

qvous-

qvousqve *Snorrius* Regum Norvegorum res in commentarios regeſſerit, cum tamen, poſteritatis conſenſu, is Chronici Norvegici auctor habeatur, qvis ejus conſenſum infringet, præſertim cum ex *hiſtoria Olafi Tryggvini* Part. II. cap. LXXXIII. ea ex illo allegentur, qvæ in Chronico, qvod ei tribuitur, inveniüntur, & cap. XCIV. ejus relationes eidem conſentientes recitentur, indubio argumento, ad finem vitæ Olafi Tryggvini hiſtoriam ſtruxiſſe, imo & ultra. Nam *Hiſtoria Sturlungorum*, magnum illud volumen, a fratris ejus filio Sturla Legifero contextum, part. V. cap. XI. ad annum MCCXXX. teſtatur *Sturlam Sighvati* (alterius ejus fratris) *filium, magna induſtria deſcribi curaſſe hiſtorias, qvas Snorrius compoſuit*, & qvid vetat, qvo minus ad *Sverrerem* aut ulterius ſcripta ſua continuaverit, licet ea, qvæ ſuperſunt, alius conſcripſerit, ejus autem interierint. Notisſimum eſt &c.

(*) Pag. 47. Lin. 4. poſt: *à Snorrio conſcriptas*, adde: teſte *Sturlungorum hiſtoria* part. V. cap. XI. deſcribi curaverit.

(*) Ibid. Lin. 10. poſt: *Sturlungorum Hiſtoriæ*, adde: ipſa teſte Part. IX. cap. XXII. qva res &c.

(*) Pag. 49. Lin. ultima poſt: *Res iſtas ab iis geri alias conſpexerant.* Exſtat locus in *Islandorum* ſeu Sturlungorum *hiſtoria*, qvæ alias *Sturlunga-ſaga* appellatur Part. II. cap. XXXVIII. minime omittendus, qvi qvod prolixior ſit, latine reddendus eſt: *Plurimæ* inqvit *hiſtoriæ, qvæ res in Islandia geſtas continent, conſcriptæ fuerunt ante obitum Epiſcopi*

Brandi

Brandi Sæmundi filii, qvæ vero poſt ea perpetrata ſunt, literis parum mandabantur, anteqvam Sturla Poëta Thordi filius Islandorum hiſtorias *dictabat, qvas partim ex relationibus virorum, qvi ipſo juvene vixerunt, rerumqve geſtarum ordinem callebant, partim ex literis, qvas illi ſcripſerunt, qvi iis æqvales erant, qvarum geſta celebrabantur, collegit; multa etiam ipſe vidit, qvæ in ejus tempora incidebant, ad confirmationem eorum, qvæ tradidit. Fuit enim vir celebris, probus, excellenter ſapiens, moderatus, audax, interritus, Deus eum jam ſupra laudes beet.* Hinc manifeſtum eſt, eam, qvæ jam ſupereſt, *Sturlungorum hiſtoriam*, ex illa majore, qvam ille conſcripſit, deſumtam eſſe.

Pag. 50. Lin. 12. lege: nec niſi vera in Halfi Regis & Olafi Tryggvini vitis de eo referri certo perſvad. p.

Pag. ead. Lin. 26. poſt *commemoravi*, adde: in confinio Bergenſis & Stafangrienſis diſtrictuum pharus extat vel ſpecula, *Flokevaren* (alias *Ryevaren*) etiamnum dicta. Accolæ nominis originem penitus ignorant, Verum *Originum Islandic. liber* ſpeculam illam à Flokio, Islandiam qvæſituro, erectam eſſe teſtatur. Innumera &c.

(*) Pag. 52. Lin. 29. poſt: *verbis memorat*. His addi poteſt, aulæum Sancti Olafi, cui Sigurdi Fafnericidæ conflictus cum Fafnere intextus erat, de qvo Poëtam Thorfinnum Rex verſum facere juſſit, de vena ejus experimentum capturus, cum traductus eſſet, nihil proprio marte concinnare, ſed ab

aliis hauſta recitare. Conſervatur carmen Codicis Flat. fragmentis inter columnas 750 & 754. Qvæ hucusqve &c.

(*) Pag. 54. Lin. 28. poſt: *licet invitus ſpoliaſſet*, adde: Decem qvoqve carmina tetraſtropha, qvæ in Anglia ad ripas fluvii Tameſis (expugnato, ut ibi habetur, Londino, verius caſtello ponti ſuperſtructo) feciſſe *Codex Flat.* perhibet, aliaqve plura, interqve ea verſum, qvo *Ingibiorgem Finni* Arnini filiam celebrat. Eam credo, *qvæ Thorfinno* Orcadum Comiti poſtea uxor obtigit. Extat in Cod. Flat. fragmentis inter Colum. 750 & 754. Duos autem *Knytlingorum Hiſtoria* cap. XIV. reſervat, militibusqve adſcribit.

Pag. 63. Lin. 2. lege: nosqve in proceſſu operis unum aut alterum, bono cum Deo, clarius detegemus.

Pag. 64. Lin. 1. pro *Bravicum*, lege: Bravallenſe.

Pag. 72. Lin. 17. pro *tot ſeculorum millenariis*, lege: tot annorum millenariis.

Pag. 75. Lin. 2. lege: & ſi qvid antiqviſſimos poëtas de rebus, qvæ monumentis hiſce Gotlandicis continentur, numeris ſuis complexos eſſe velimus, iſtud jam Saxonis qvidem temp. interiit.

Pag. ead. Lin. 8. lege: rem acu tetigiſti. Qvid autem facilius &c.

Pag. 81. Lin. 13. poſt: *exutus fuerit*, adde: Vera hic ſcripſiſſe Eiricum *Loccenius* teſtatur, qvi in præfatione ad hiſtoriam ſuam Svecicam dictam illius

qvere-

qverelam adfert, tandemqve concludit: *Hoc qvod hiſtoricus* (Eiricus) *candide profitetur, ipſa re comperi, poſtqvam annales regni hujus, qvotqvot adhuc exſtant, replicare cœpi.* Hæc ſi ad poſterorum notitiam perventura Johannes Gothus crediđiſſet, minime tot reges ipſe fin. è pr. cerebro.

(*) Pag. 84. Lin. 27. poſt: *Transdoſrani. Adamus* etiam *Bremenſis* in provinciarum Aqvilonarium deſcriptione cap. CCXXIX. hæc confirmat, tradens Gothelfam per medios Gothorum populos decurrere in oceanum.

Pag. 86. Lin. 4. poſt: *Jutiæ convenit*, adde: id qvod & *fragmentum hiſtoricum* de Ivare Vidfadmio ac bello Bravallenſi ulterius adſtruit, ubi Ivarem ex Svecia in Reidgothiam cum claſſe profecturum, portum qvendam Sialandiæ in tranſitu ſubiiſſe tradit; indeqve ſolventem auſtrum verſus in Reidgothiam (*ſudr til Reidgotalandz*) navigationis curſum direxiſſe; mox inde reverſum, domumqve in Sveciam perrecturum, ex auſtro (*ſunnan*) venientem Sialandico littori proras advertiſſe; qvæ ſatis oſtendunt ex Svecia in Reidgothiam euntibus Sialandiam prætereundam, qvod Smalandiæ nullo modo applicari poteſt; Diviſio qvoqve hæreditatis regn.

Pag. 87. Lin. 4. poſt: *Silfraſkallium*, inſere: *ac cum eo aliqvoties conflixit, ſemper victor, tandemqve regem illum occidit. Poſtea in interiora Jutiæ* &c.

(*) Pag. 96. Lin. 6. poſt: *æternum admonerentur.* Nec parum noſtram opinionem fulcit terminatio Nominativi pluralis in *ar*, inde *vitar*, & ad

latinæ lingvæ genium, *Vitæ*, retento *ae* finali, *r* in *e*; poſtremo utroqve in dipthongum converſa; Si enim pro *Gothis*, *Vitæ* ſcriberentur, *Viti* certe dicti fuiſſent. Ex teſtimonio &c.

Pag. 99. Lin. 18. lege: qvave occaſione primi illi incolæ in ſeptentrionem irruperint.

Pag. 100. Lin. 24. poſt *habitus eſt*, adde: etenim Aſæ illorum, qvi ante illos his in terris habitarunt, famam pesſime traduxerunt, & apud poſteros deſpectam eſſe voluerunt: gigantes eos dictitantes qvi Diis bella inferre geſtirent. Itaqve ſi qvis poſtea ex antiqviorib. indig. &c.

Pag. 102. Lin. 13. lege: à devicti patruelibus bello petitus.

Pag. ead. Lin. 22. lege: hinc factum eſt, ut Islandi, ſinceri antiqvitatis præcones.

Pag. 106. Lin. 8. poſt *conſilium cepit*, adde: graduum, inqvam, numerus cum temporum ratione optime heic convenit, etenim ab Odino ad Haralldum Pulchricomum, primum Norvegiæ Monarcham, qvi circa annum Chriſti DCCCLIII. natus eſt, nongentorum fere annorum decurſu XXVII. generationes numerantur. Idem Haralldus a Niordo, Odini ſocio, per XXVIII. gradus deſcendit. Sic inter Haralldi poſteros auguſtisſimus Rex noſter FRIDERICUS IV. eminet, octingentis paulo plus annis dicto Rege junior, atqve ab eo per XXVI. generationes glorioſisſimum ſtemma ducens. At *Edda*, inqvies &c.

Pag.

Pag. 110. lin. ult. pro *Vodinum*, lege: Bodonem.

Pag. 113. Lin. 4. lege: Eam circa LXX. ante Chriſti nativitatem annum contigiſſe nuper dictum.

Pag. 117. Lin. 18. lege: nos tamen eum vetuſtisſimis temporibus in Aſia vixiſſe, cultumqve ſolis ibi fundaſſe putamus: qvem una cum nominis illius notitia, *alius* qvidam longe ſerius has in terras invexiſſe videtur, addito forte mendacio &c.

(*) Pag. 118. Lin. 17. poſt: *Upſalenſis adventum*: Nos, qvando (templum in Biarmia) ædificatum fuerit, determinare neqvimus. Seculo poſt natum Chriſtum ſecundo vixiſſe Sturlaugum conjectamus, qvo tamen fanum antiqvius fuiſſe videtur; qvod & *Sturlaugi* &c.

Pag. 118. Lin. 17. lege: qvod & *Sturlaugi Laborioſi* vita (ſi modo ei hac in re fides habenda) confirmat.

(*) Pag. 125. Lin. 19. poſt: *apparere poterit*, adde: Nec coæva qvidem, nam omnia ibi infra Noris tempora. Verum ſingulas illas res &c.

Pag. 126. Lin. 10. dele vocem *circiter* & lege: qvi Odino coævus erat.

(*) Pag. 126. Lin. 14. poſt *Eyvoram ſeu Eyſuram*, adde: vel etiam inter Svafrlamium & Sigrlamium ea ratione &c.

Pag. 128. Lin. 22. lege: ea conveniunt qvæ de Odino illo ſuisqve comitibus prædicantur.

(*) Pag. 132. lin. penultima. poſt: *reſtituit*, adde: id a Mithodino inductum *Saxo* lib. I. pag. 13. docet.

docet. Hic enim Deorum iram aut Numinum violentiam, confuſis permixtisqve ſacrificiis expiari negabat, ideoqve eis vota communiter nuncupari prohibet, diſcreta ſuperum cuiqve libamenta conſtituens. Mirum qvam hæc congruant cum præcepto *Cornelii Agrippæ*, lib. III. de occulta Philoſophia, cap. VII. *Neceſſe eſt*, inqvit, *Magum ipſum, Deum omnium productorem & primam cauſam, cæterosqve Deos ſive numina* (qvas ſecundas cauſas dicimus) *cognoſcere, & qvo cultu, qva veneratione, qvibus ſacris, uniuscujusqve conditioni conformibus colendi ſint ſinguli, non ignorare, qvicunqve enim invocatis Diis, illos non proprio honore proſeqvitur, nec illis, qvæ cuicunqve congruit, rite diſtribuit, illorum præſentiam & optabiles ab illis effectus non aſſeqvitur; qvemadmodum in una harmonia, ſi una chorda frangatur, tota ſubito diſſonat. Nonnunqvam etiam periculum cum poena incurrit, ſicut ſcriptum eſt de Aſſyriis, qvos transtulerat Salmanaſſar in Samariam, qvia ignorabant legitima Dei terræ, immiſit in eos Dominus leones, qvi interfecerunt eos, eo qvod ignorabant ritum Dei terræ. Nobis autem dictum eſt: Dominum Deum tuum adorabis, & ei ſoli ſervies.* Video qvidem clariſſ. &c.

Pag. 148. Lin. 5. lege: in qvorum majeſtatem perſonamqve, mediante, uti antea dictum, nominum illorum aſſumtione, Odinus Upſalenſis illiusqve ſocii invaſerunt.

(*) Pag. 155. lin. ult. poſt: *adhuc minus*, adde: Nam annalium liber IV. cap. IV. teſtatur: L. Domitium

tium Neronis avum, exercitu flumen Albim transſcendiſſe, longius penetrata Germania, qvam qvemqvam priorum, easqve ob res inſignia triumphi adeptum & de Rusſia ac remotioribus &c.

Pag. 179. Lin. 24. lege: Boringiam & Gothlandiam inſediſſe. Exinde Gothos duce Bericone.

(*) Pag. 214. Lin. 28. ad hæc verba: *Hæc mater erat Dani Magnanimi;* Nota: Minime! ſic enim Olafus Manſvetus Dani pater duxiſſet ſuam ipſius ſororem Olufam; qvod cum non conſiſtat, manifeſtus error apparet, proqve matre Olufa, pater Dani, Olafus, ſecundum alias genealogias, reſtituendus erit.

(*) Pag. 216. ad tabulam poſt:

Heidricus Ulfhamus Jutiæ Rex

Haraldus Grandævus ——— Hildis. | Hiörvardus. | Halfdanus Brönæ alumnus

Halfdanus Diſertus. | Hervör ——— Högnius

Ivar Vidfadmius.

Teſte *Hiſtoria Olafi Tryggv.* pag. 54.

Pag. 220. Lin. 23. poſt: *extructus legitur*, adde: Alterius *Snorrius Sturlæus* meminit in vita Jorundi & Eirici Sveciæ Regum, qvi Gudlaugo Halogiæ Regi, ab iis ſuſpenſo, in Straumseyenſi Daniæ promontorio excitatus eſt. Iſtius modi ſuperba gentilium heroum monumenta.

(*) Pag.

(*) Pag. 222. Lin. 25. poſt *deſcendit*, adde: Notandum, cur *Snorrius* tantum viginti octo generationes a Niordo ad Haraldum Pulchricomum numeret, cum ipſe in *Chronici* ſui proloqvio teſtetur, qvod Thiodolfus de Hvinio, carmen *Ynglingatal* in honorem Rögnvaldi Heidumhærri, qvi ipſius Haraldi patruelis erat, compoſuerit, ibiqve triginta ejus progenitores expoſuerit. Thiodolfum non a Niordo illud ſtemma auſpicatum videri, ſed vel ab ipſo Odino, qvem Niordi patrem forte exiſtimabat, proprio nomine Yngvium appellatum, ſicut *Arius Polyhiſtor*, ſuum genus exorſus, ad Olafum Hvitium, ſeu Album, Dublini Regem (*Waræo* Anlavum) ab hoc Yngvio, utriqve primo & ultimo una computatis, trigeſimum contexuit, pari enim gradu Olafus iſtic, Rögnvaldus & Pulchricomus, ab Yngvio diſtant; vel ab Yngvio, qvem vetuſtisſimum *Eddæ* exemplar Mſſ. Regium in fine prologi, Odini filium fuiſſe tradit, his verbis: " Enn Oþin hafþi meþ ſer þann ſon „ ſinn er Yngvi er nefndr, er Konungr var i Sviþió- „ þu, oc eru frá hönum komnar þær ættir er Yng- „ lingar ero kalladir ". Hoc eſt: *Odinus ſecum devexit illum filium, qvi Yngvius nuncupatur, qvi Rex Veciæ fuit, & ab illo provenerunt familiæ, qvæ Ynglingi appellantur.* Hic obiter notandum, pro "þann", id eſt *illum*, librarium male repoſuiſſe "þadan" ɔ: *illinc*, in editione Reſeniana. Loqvitur enim prius de Semingo, qvem Norvegiæ Regem Odinus conſtituit; non autem dicit, cum ex Norvegia proficiſceretur Odinus, eum Yngvium ſibi comitem adſciviſſe,

viſſe, ſed indefinite hic loqvitur. Hic ab Odino, qvi in hanc ſummam non includitur, triginta generationes extant, patetqve *Eddam* hic a *Snorrio* diſcrepare. Hæc enim ab Odini filio Yngvio, Ynglingorum progeniem ducit, ille ab Yngve-freyre Niordi filio. Favent Eddæ *Origines Norvegicæ* cod. Flat. contentæ, *ibi* enim Freyr, Odini filius, & Niordi pater producitur, Niordus Freyris, Freyr *Fiölneris*, *ubi* potius mendum agnoſcendum videtur in *Freyre*, qvi Niördi pater habetur, ni forte is, qvi hic Odini filius habetur, alio nomine Yngvius appellatus eſt, id qvod *Snorrius* Niordi filio applicuit.

(*) Pag. 228. Lin. 22. poſt: *prope centenarios.* Fabula *Eddæ* 22. indicare videtur Freyrem, non ut tradit *Snorrius*, in Aſia natum eſſe, ſed a Niordo ex uxore Skade progeneratum, & qvidem poſt annos novem, cum in Thrymheimo ipſius patrimoniali prædio cum illa habitaſſet, id qvod Oda Eddæ *Skirnis-faur* dicta etiam confirmat, longe itaqve junior patri Niordo ſucceſſiſſe poterat, qvam hic ponitur, forſitan de fratris tunc mortui nomine dictus.

(*) Pag. 231. Lin. 9. poſt *ætatis XC.* adde: hunc *Sveno Aggonis* Senem appellat, nobisqve conſentit.

Halfdanum I. anno Chriſti &c.

Pag. 244. Lin. 16. lege: Nam Sveciam *Svíþiod* nominavit, de gentili ſuo nomine *Sviþrir*, qvod *Scytham* vel Scythicum denotat; Scythia enim, unde profectus erat, eorum lingva *Svíþiod mikla*, vel *Svíþiod Kallda*, id eſt: *Svecia* vel *Scythia magna* vel *frigida* vocabatur. Ipſe, congeſtis hinc inde &c.

C Pag.

Pag. 247. Lin. 14. poſt *didici præfuiſſe*, lege: Ceterum Odinum in Regum Daniæ genealogia conſulto præteriiſſe atqve in illius locum Danum, tanqvam primum Daniæ Regem, Regumqve anteſignanum & vetuſtisſimum regni eponymum, ideo ſubſtituiſſe *Saxo* videtur, ne ex tam venenato germine clarisſimæ gentis rectores pullulaſſe dicerentur, uti Lib. I. Cap. VII. pag. 66. ſuperius à nobis dictum eſt. Id qvod ex compoſito conveniſſe videtur inter eum & *Svenonem Aggonis*, qvi Skioldum qvidem, ex noſtratium mente, primum Danorum Regem facit, at Odini nomen qvaſi ſtudioſe reticet, ob allatam, ut videtur, cauſam, cum tamen illa generis baſis haud magis Serenisſimorum Daniæ Principum gloriæ officere posſit, qvam aliarum, qvarumcunqve nobilisſimarum gentium rectoribus; qvorum ſtemmata ab illo idololatriæ hyperaſpiſta, aut aliis ex gentilismo heroibus, deducuntur.

Humlium, non magis qvam primum *Saxonis* Danum, genuinis Daniæ Regibus accenſendum reor. &c.

(*) Pag. 248. Lin 20. poſt: *regnum Daniæ a principio fuiſſe hæreditarium*, adde: Odini ipſius diſpoſitio evincit, qvi illud in poſſesſionem filii ſui Skioldi transtulit, qvod in ejus familia deinde continuo permanſit, id qvod ex toto hoc opere conſpicuum eſt. Nec *Sveno Aggonis* aliud tradit, cui haud minor, qvam *Saxoni*, fides hac in parte debetur. Succeſſores enim ſæpius *regni hæredes* appellat, id qvod exemplis apud eum obviis monſtrabimus; Nam hi-

ſtoriæ

ſtoriæ ſuæ cap. I. pag. 8. tradit: *Skiold regni poſt ſe reliqviſſe hæredes, Frothi & Haldanum, Haldanum hæredem regni procreaſſe Helghi, illi ſuccesſiſſe filium Rolf Kraki, & huic Rokil cognomento Slangenbach, eiqve ſuccesſiſſe regni hæredem Frothi hin Frökni* pag. 9. In oratione autem pag. 12. Uffonem ſic loqventem inducit: *Me etenim unicum & verum regni, natura produxit, hæredem.*

Cap. II. pag. 36. *Haraldo*, inqvit, *ſuccesſit filius & regni hæres Gorm Loghæ.*

Cap. III. p. 56. teſtatur, *Reges univerſam tellurem jure dominii poſſediſſe*, & p. 61. *Haraldum Blåtand Gormi filium, regni hæredem extitiſſe.*

Cap. IV. pag. 73. *Svenonis Tiuge-Skeggi tempore ſylvas nemoraqve publica in Regis patrimonio fuiſſe* docet, *dum tunc primum cives, ea pro redemtione ejus impetraſſe*, tradit. Id qvod per totum regnum vix obtinuiſſe ideo mihi non perſvadetur, qvod *Knytlingorum hiſtoria* in Skania, hæc Regii juris fuiſſe perhibet. Cap. IX. pag. 136. *Kanutum Valdemari Primi filium, hæreditarium patrium imperium ſumſiſſe* teſtatur. Hæc *Svenonis* teſtimonia ad thematis hujus aſſertionem abunde ſuffecerint, unum tamen aut alterum ex *Saxone* adjiciam: Lib. III. pag. 42. Lin. 24. *Hotherum* teſtatum producit, *Regnum Daniæ, avito ſibi jure competere, ſi rite majorum ſtemmata revolvantur.* Idem p. 46. Lin. 25. in concione ad proceres, *ſe bello cum Boo periturum affirmans, oravit, ut filium ſuum Rörecum regno præficiant, ne jus hoc ad* EXTERNAS

 igno-

ignotasqve FAMILIAS *improborum cenſura transfunderet.* Jus ergo prætendit, qvod ne ei injuria eriperetur, oravit. Lib. autem VII. pag. 125. tradit *Halfdanum Biergramum, qvod ſine liberis eſſet, Regias opes Ungvino Gothorum Regi teſtamento legaſſe, eumqve Regem conſtituiſſe.* Hic profecto *Krantzius* Daniæ Lib. II. cap. IV. errat, qvi eum *filium Asmundum Norvegiæ præpoſuiſſe, Ungvinum ultimis ceris in Daniæ Regnum ſucceſſorem conſtituiſſe* tradit, *Saxoni* contrarius, qvi eum tunc ſine liberis fuiſſe perhibet. Si ergo tanta poteſtate polluit, ut Daniam teſtamento legaret, certe hæreditarium regnum, & qvidem in patrimonio fuiſſe, oportet, licet *Hugo Grotius* de jure Belli & Pacis lib. I. cap. III. paragr. 13. id magis ad commendationem ad populum, qvam jus referendum putet. Verum nos inter Regna â populo delata, Daniam primis illis temporibus accenſendam non cenſemus, aut enim primi poſſeſſoris hæredes, aut victores ſemper ſecuta eſt. Sed ad civium benevolentiam, concilianda qvoqve ſtudia eorum teſtatiora viderentur, ſuffragiorum ſpeciem in auguratione adumbrari placuit. Non deſcendam ad inferiora tempora, cum omnibus conſtet Regem Valdemarum ejusqve filiam Reginam Margaretham, ſe hæreditario jure regnum tenere, & ipſos profeſſos eſſe, & a ſubditis ipſam confesſionem expresſiſſe. Addam his ex *Knytlingorum hiſtoria* duo loca, qvæ hæc illuſtrant: Cap. 20. legitur *Rex Svenus Ulfi* (Danis Eſtridæ) *filius, in publico conventu civibus,* luculenta oratione *gratias pro con-*

ſtanti

ſtanti benevolentia & aſſiduis officiis in ſe collatis egiſſe, unum tantum, ut cæteris adjicerent, expetiviſſe, qvod magni momenti duceret. Notum ipſis qvanta conſtantia priſcas leges conſervaverit, jam vero videri ipſis rem, præter earum conſtitutionem poſtulari, nimirum ut liceat ſibi ſucceſſorem deligere. Nec id qvidem ſine publica utilitate, cum multos habeat filios, egregiis dotibus præditos, ne ex æmulatu rixæ, tumultus, deniqve bella, qvibus ſtatus Regni concutiatur, civium tranqvillitas & pax publica convellatur. Qvo conceſſo, Kanutum, qvi deinde Sanctus habitus eſt, *Regem poſt ſua fata pronunciaſſe, nec tamen eo jure, ut ad poſteros ſuos, qvamdiu fratres ſupereſſent, ultimo poſſeſſori ſuccederent.* Qvalis autem lex de ſucceſſione antiqvitus in uſu fuerit, tunc a Sveno abrogata, eadem hiſtoria cap. XXVI. explicat. Tradit enim *poſt obitum Sveni ingens disſidium inter filios ejus ortum, ſingulis faſtigium regni expetentibus, ſciſſosqve in factiones proceres. Inter omnes autem eminuiſſe Asbiornum Eydinorum Comitem, Haraldi, qvi filiorum Sveni natu maximus erat, ſocerum, qvi genero enixe ſtudebat, multosqve in ſuas partes traxit. Recurſum tunc ad priſcas leges, qvæ filiorum veterrimum ſucceſſorem declarabant, ſecundumqve eas Haraldum tandem Regem pronunciatum.* Cap. autem CIII. refert, *poſt cæſum Eiricum Eymunium,* qvem Danici Scriptores Eymund appellant, *multos ex regiis familiis ſuppetiſſe, ſed ætate pæne pueros, Svenum nempe ejus filium, Valdemarum ſancti Knuti* (Aabotrito-

rum Regis & Holſatiæ Comitis) *&* *Knutum Magni filium, Nicolai Regis nepotem, qvorum ſinguli, pari jure regnum ſibi vindicabant*, nempe hæreditario. Nec alio qvam hæreditario jure Gull-Haraldus diviſionem Regni Danici a patruo Haraldo Cærulidente poſtulavit, ut *hiſtoriæ* noſtræ *Norvegicæ* part. II. Lib. VI. cap. XI. uberius monſtratum eſt. Plura non conqviram, cum ex profeſſo hanc theſin tractandam non ſuſceperim. Certe veritati litat Odinum ex Aſia profectum inter alios Aſianorum mores & conſvetudines, etiam uſitatam Regiminis formam intuliſſe, ibi enim regna hæreditaria fuiſſe, & abſoluti dominii Reges, ex ipſorum hiſtoriis apparet. Error vero, qvo electivum &c.

(*) Pag. 251. Lin. 20. Franconiæ, lege: Franciæ, qvæ teſte *Philippo Cluverio* antiqvitus Rheno & Albi terminabatur.

(*) Pag. 252. Lin. 9. poſt *Hrolfi Krakii Daniæ*, adde: & Hugleiki Sveciæ Regis.

Pag. 252. Lin. 28. lege: ita enim verba illius jacent, ut Odini cultum atqve in Svecia habitationem Haddingi tempore cœpiſſe voluerit.

(*) Pag. 256. Lin. 28. facile hinc redarguitur, qvod *Eirikus Diſertus occiſo a ſe Alarico* (qvi Heidricus eſt) *a Frothone in Sveciæ ſceptra ſuffectus fuerit, primusqve ſuum nomen in cæteros Sveciæ Dynaſtas transfuderit*, cum conſtet Eiricum Alrechi fratrem, cui Starkadus militavit, ante hujus Eirici tempora in Svecia regnaſſe, id nominis omnium primum; Nec Alarici (Heidrici) loco Sveciæ præfici

poterat,

poterat, cum is Jutiæ Rex tantum fuerit, nec inter univerſales Daniæ Monarchas, nedum Sveciæ, numerandus. Nec felicius *Saxo* Asmundi & Asviti geſta ad hæc tempora reducit, qvorum *vita*, ſed longe fabuloſior, ſub *Asmundi & Arani* nomine etiam hodie ſuppetit, a nobis *Hiſtoriæ Norvegicæ* magnam partem a fabulis liberata inſerta eſt. Ex Sigurdi Hringi ætate, qvo tempore vixerint, facile apparet, nam illo ſene Armodus, hujus Asmundi filius, a Starkadorum ultimo in balnæo cæſus eſt, teſte *hiſtoriæ Olafi Tryggvini* Partis II. cap. XXXII. pag. 141. cui *Sörlii Robuſti vita* ſuffragatur, remqve totam explicat. Ad extrema igitur Seculi a nato redemtore ſeptimi hi referendi ſunt.

(*) Pag. 257. Lin. 15. poſt: *Stemma Angantyris:* Omnes has paginas a principio Angantyri iſti, ad pag. 261. lineam 14. qvæ ſic incipit: *Sed nonnihil hic* &c. revoco, omnesqve ſtrophas, qvæ ex carmine *Hindluliod*, hic deſcriptæ ſunt, utpote alieno loco in teſtimonium adductas. Exiſtimabam enim hunc Angantyrem, qvi hic citatur, eum eſſe, cui cum Ottare Stulto lis de hæreditate interceſſit. Hic ejus ſtemma cum *Originibus Norvegiæ*, in majoribus ejus conſentiens, ad Svanum usqve Rufum revolvitur, qvi ibi Finnalfi filius habetur, Ottaris pater Inſteinus hic appellatur, Innſteini Alfus Senex, & ſic conſeqventer ad Svanum Rufum. Ibi licet Ottaris mentio non fiat, tamen Eyſteinus, qvi noviſſime numeratur, Alfi ſenis filius memoratur, genusqve ejus perinde ac Innſteini retexitur; inde concluſi,

cluſi, Innſteinum Ottaris patrem & Eyſteinum fratres fuiſſe. Nec in eo erratum animadverto, in ſynchroniſmo autem Angantyris hujus, de qvo nobis ſermo, & Ottaris, lapſum me agnoſco. Yngvio enim Sveciæ Regi, Alreci filio, qvem anno CCXL. denatum ſtatuimus, coævus hic Angantyr fuerit; hunc autem Ottarem poſt Haraldum Hilditannem, qvi DCCXXXV. decesſit, imo & ultra Sigurdi Hringi ætatem, annum nimirum DCCL. vixiſſe oportet, cum in generis ejus ſerie & Hildetannis & Sigurdi Fafnericidæ & Regis Jormunreci, & illorum, qvi ab ipſo deſcenderunt, fiat mentio; unde etiam apparet Svanum Rufum in *Originibus Norvegiæ* perperam Finnalfi filium appellari, niſi illi duo cognomines fuerint, ingensqve in generationum ſcala graduum defectus lateat.

(*) Ibid. Lin. 15. poſt: qvæ Arngrimi genus longe aliter recenſet originum ſeriem p. 257. in tabulam congesſimus, ubi Arngrimi pater Dagus habetur, hic autem Eygrimus Bolmus. *Nos utramqve hic iterum apponemus, qvo graduum ratio conſpectior fiat:*

Nor
|
Raumus

Hringus — Finnalfus

Hringus
|
Halfdanus Priſcus.
|
Dagus — Baugerdis

Finnalfus
|
Alfhildis — Starcadus Aludrengus.
|
Baugerdis — Eygrimus Bolmus.
|
Arngrimus.

Planum

Planum eſt Arngrimum unum tantum patrem habuiſſe naturalem, qvem cum *Hiſtoria Hervoriana* non ſine circumſtantiis Eygrimum fuiſſe monſtret, auctoritati ejus nihil videtur derogandum, cum tamen ex graduum paritate idem tempus utriqve conveniat, ſuſpicari licet Baugerdem poſt Eygrimi obitum Dago nupſiſſe, eumqve Arngrimi vitricum, pro patre deinceps habitum, ſcriptorem in hunc errorem induxiſſe.

(*) Eadem pag. Lin. 16 & 17. poſt: *Halogiæ* (non ut vult clariſſ. *Verelius* Smalandiæ) *civem*, adde: Halogiæ civem fuiſſe; Exemplar *Hiſtoriæ Hervorianæ*, qvod celeberrimus Epiſcopus *Bryniolfus Svenonius* ad manus habuit, in fine cap. I. teſtatur, id qvod ex itinere filiorum Arngrimi in Samum Balthicam ad congreſſum cum Hialmare & Aurvaroddo properantium confirmatur; Aldeigiuburgi enim (urbs eſt Ruſſiæ meridionalis maritima) in tranſcurſu divertebant ad Comitem Biartmarem, nempe terreſtri itinere per Jamtiam Helſingiamqve profecti, navem in ſinu Bothnico comparaſſe videntur. Eadem via Hacon Hladarum Comes, & poſt eum Rex Sverrir, in Norvegiam tendentes inceſſerunt. Vexabat hic locus ſagaciſſimum *Verelium*, ut ex notis ad cap. V. in voce *Aldeigiuborg* apparet, nec id ſine cauſa, cum inſulam Bolmum in Smålandiam retuliſſet, ſanioris exemplaris certiore fide deſtitutus. Nec aliter conciliatur, qvod ibidem traditur, nimirum *Arngrimi filiis ad Samſeyam profecturis iter per Aldeigiuburgum faciendum fuiſſe*, qvam ut ex Halogia profectio inſtituta fuerit. Sed cum hæc ad Hiſtoriam Norvegicam pertineant, aptior ibi diſſerendi locus hæc melius explanabit.

Pag. 262. *Lin.* 4. *lege*: Angantyris parentes, ſecundo poſt Chriſtum natum ſeculo vixiſſe. Valde igitur metuo ne *dicti* Arngrimi patris nomen heic corruptum ſit, (*) non hoc qvidem loco, ſed p. 257. ubi Dagus pro patre ejus obtruditur, qvi forte matrem ejus Baugerdem poſt Eygrimi obitum uxorem duxit, atqve ideo pro vitrico, pater exiſtimatus, nam tempora utriqve conveniunt, & uxoris ejus progenitorum nonnulli &c.

(*) Pag. 262. Lin. 6. collata cum pag. 498. poſt: *dicti Arngrimi* (ſupple ex poſteriore pag.) patris nomen hic corruptum ſit, id mihi hoc loco prætervifum, qvi Dagum ex *Originibus* deſumtum, Eygrimo prætuli, qvod jam revoco. Verum qvo planius totum hunc paragraphum explicemus, progenitorum oblivionem indicabo, oſtendens: I) Arngrimum, hujus Arngrimi proavum, Odino minime æqvalem fuiſſe. II) Neqve Odinum, neqve Gylfium, Eyvoris vel Eyfuræ proavos eſſe potuiſſe, hoc modo:

Angantyr, Arngrimi & Eyfuræ filius, Yngvio Alreki Sveciæ Regis filio coævus erat, teſte *Hiſtoria Hervoriana*, nam ejus filiam uxorem expetebat, & ex provocatione cum Hialmare certans occubuit. Ejus abavi, Odinus, Gylfius, Arngrimus & Alfus, in tabula pag. 216. conſpicui ſunt, qvi ſi cum Niordo, a qvo Yngvius duodecimo gradu deſcendit, conferantur, ſeptem gradibus eo inferiores ſunt. In Eyfuræ igitur progenitoribus ſeptem gradus deſiderantur, inſerendi, ut antea dictum eſt, ſive inter Eyfuram & Svafrlamium, ſive inter Svafrlamium & Sigrlamium, cum veriſimile ſit Sigrlamium filium

id

id nominis habuiſſe. Eyvoremqve ſive Eyfuram, patrem ejus nomen referentem, indeqve intermediorum oblivionem promanaſſe. In Arngrimi autem nullus defectus apparet, nam eorum vix ullus, Noris certe nullus, Odini tempora aſſeqvitur; fuerunt enim Alfo, qvi Noris nepos erat, coævi.

Pag. ead. Lin. 14. lege: qvæ proavo ejus, cognomini, ſecundum *Vereſii* mentem, asſignanda erant.

(*) Pag. eadem, Lin. 16. Hethinum & Höginum, nobis Högnium, Frodii Sexti, qvi Ingialdi nepos erat, tempore vixiſſe ex appendice noſtro pag. 490. apparet. Habuit enim Hognius in matrimonio Hervorem Hiorvardi filiam. Hiorvardi pater fuit Heidrecus Ulfhamus, teſte *Hiſtoria Olafi Tryggvini* Part. II. cap. XVII. pag. 54. Hiorvardi ſoror, ejusdem Heidreci Ulfhami filia fuit Hildis, Haraldi Grandævi uxor, Halfdani Diſerti mater, Ivaris Vidfadmii avia, uti id ex tabula pag. 216. apparet. Scema tale eſt:

Heidrecus Ulfhamus.

Hiörvardus. Hildis—Haraldus Grandævus.

Hognius—Hervör.

Eſt autem Frodius Sextus, ab Odino decimus qvintus, a Frodio, qvem *Saxo* Tertium deſcribit, duodecimus, Haraldus Grandævus uno gradu inferior. Facile itaqve Hognii & hujus Frodii tempora conciliantur. *Saxonem* decepit, uti alias fieri ſolet, diverſis perſonis commune Frodii nomen.

Pag. 266. Lin. 22. lege: (*cognatum forte dicere voluit, Et priſcâ lingva cognati* fratres *appellantur, qvod etiamnum Islandis in uſu eſt. Ceterum Skioldus & Ingvifreyr ſimul non regnarunt: ſed terminos iſtos inter Skioldum & Niordum Ingvifreyris patrem conſtitutos fuiſſe apparet.*)

Pag. 267. Lin. 27. poſt: *interpolatum & corruptum;* adde: Frodii mortis genus, non minus qvam *Saxo*, fabuloſe *Edda* refert, narratione tamen, ut videtur, ex vero deſumta; nempe: Frodium ad convivium in Sveciam à Fiolnere invitatum perhibet, ibiqve duas ancillas, qvarum nomina Fenia & Menia, magnitudine roboreqve ingentes, emiſſe; Accidiſſe autem, ut circa hoc tempus bini molares lapides in Dania invenirentur, ob gravitatem ſuam hominum vulgo intractabiles, ea vero natura occultave virtute præditi, ut qvicqvid præcineretur tererent. His verſandis dictas ancillas Frodium adhibuiſſe, imperaſſeqve, ut aurum & pacis commoda, molendo, ſibi acqvirerent, atqve adeo acerbe eas exercuiſſe, ut qvietis ſomnive tempus ulterius non haberent, qvam interſtitium, qvo cuculus inter bina cantamina taceret. Inde irritatas, molendo hoſtes accerſiviſſe, qvi, piratarum rege Myſingo duce, noctu ſupervenientes, Frodium occiderint. Myſingum inde magna auctum præda ancillas qvoqve abſtuliſſe, injuncto mox ut ſalis copiam commolerent; id cum aliqvantum feciſſent, interrogaſſe eas, an & ulterius molendum eſſet? Cumqve perſeverare juberentur, usqve dum navigia illius, mole gra-

vata,

vata, undis mergerentur, in molendi opere perſtitiſſe.

Fabula pro interpretantium ingenio varias explicationes admittere poteſt. Ego Frodii cum Fiolnere amicitiam Svecis noxiam fuiſſe puto, impetraſſeqve ab eo Frodium aliqvid qvo vires gentis poſtea fractæ ſint. Mox oppreſſam gentem, in ditionem ejus concesſiſſe, illudqve per fæminas iſtas ſignificari; per nimios autem labores, magna gravamina, qvo ſecuritatem & opes ſibi pollicitus fuerit; hinc Svecos ad rebellandum concitatos, Myſingum ſibi ducem præfeciſſe, qvi Frodium ex improviſo oppreſſerit; indeqve victoria in tyrannidem verſa, avare ſuperbeqve imperitaverit, atqve ideo vita ſimul & regno à Svecis exutus fuerit. Conjecturæ anſam *Saxo* præbet, qvi Sveciam ſub imperium Frodii redactam, Eiricumqve ibi Regem conſtitutum tradit. Frodio Hiarnium poëtam &c.

(*) Pag. 272. Lin. 16. poſt: *Daniæ Reges locum deberi patet*, adde: Pro *Snorrio* facit, qvod apud Scriptores extraneos Danorum nomen cum clarisſima qvavis gente cæteroqvin certans, ante Anaſtatii & Juſtiniani Imperatorum tempora nusqvam occurrat, Seculo enim qvinto iis primum innotuit. Hic tumulandi morem &c.

(*) Pag. 277. Lin. 23. poſt: *Norvegum fuiſſe diximus*, adde: Idem verſio Danica *Johannis Martini Slangrupenſis* p. 8. teſtatur. Notandum ex hoc Hakio qvosdam Scriptores Svedicos, Haconem Ringum exſtruxiſſe, inqve Aunii Grandævi locum ſubſtituiſſe. Qvicqvid illius ſit &c. D 3 Pag.

Pag. 279. Lin. 17. ante: *conſpicuum credo*, inſere: adjungemus etiam Starkadi, qvi Haconi militavit, ſtemma, ex *Gotrici hiſtoria* & *Originibus Norvegicis* inter ſe collatis deſumtum:

5. Nor.
6. Raumus.
7. Alfus *vel* Finnalfus.
8. Alfhildis.
9. Storvircus.
10. Starcadus.

Conſpicuum credo tum ex &c. tum ex his ſeriebus evadit, hiſtoriam &c.

Pag. 281. Lin. 1. lege: qva ratione Odinum illum & Frögerum tredecim Regum tempore vixiſſe ſtatuit, id eſt, ſecundum *Svaningii* calculum DCLXX. annis, tot enim circiter inter initium regni Hadingi & mortem Frodii hujus, ſecundum illius ſupputationem, interfluxerunt.

Pag. ead. Lin. 28. poſt: *diverſum fuiſſe innuunt*, adde: filium nempe Asmundi (qvem *Berſercorum interfectorem* & *Gnodenſem* promiſcue cognominant) ac Brynhildis Hertriggi Rusſiæ Regis filiæ. Imo Starcadum iſtum, qvi Armodum occidit, a Starcado Olii interfectore alienum eſſe manifeſtum reddunt. Etenim qvi, ſecundum *Eigilis Unimani* & *Nornageſti vitas*, Armodo necem intulit, eadem Nornageſti vita teſtante, ipſe eſt Starcadus, qvi Gandalfi filiis, Sigurdi Hringi Daniæ Regis affinibus, contra Giucungos, Germanos bellatores, militavit; qvem & Bravallenſi prælio interfuiſſe conſtat, qvadringen-

tis

tis circiter, ſi nos in calculo non fallimur, annis poſt occiſum à Starcado Olium. Qvod autem hic Starcadus Fenringo, inſula Norvegiæ, oriundus in memorata Nornageſti vita dicitur, confuſio eſt, & ad priorem illum Starcadum pertinet. Olonem Vegetum *Saxo* ſceleſta Starcadi manu interfectum refert &c.

Pag. 282. Lin. 10. lege: cædes vero à Starcado illata Olio huic noſtro, Fridleiſi III. filio, qvi *Saxonis* Olavus Fridleiſi II. filius eſſe videtur. Alias Olaſum, qvem noſtrates &c.

(*) Pag. 283. Lin. 12. poſt: *Starcadi alumnus audit*, adde: Tota hujus memoria præter nomen Islandis periit, ſola Laxdælenſium hiſtoria, qvæ *Laxdæla* uſurpatur, in ipſo limine teſtatur, eum *à Svertlingis occiſum fuiſſe*, ubi licet perperam illius Ingialdi patrem eum fuiſſe perhibeat, qvi Olaſi Hvitii ſeu Albi Duflini Regis (*Waræo* Amlavi) patris pater fuit (de qvo in *hiſtoriæ Orcadenſis*, lib. I. cap. V. prope in limine actum eſt) tamen hic manifeſtum eſt, Frodii hujus hiſtoriam Islandis fuiſſe cognitisſimam, poſtea autem una cum *Skioldungorum Hiſtoria*, qva procul dubio continebatur, interiiſſe. Cum hoc Frodio qvarto &c.

(*) Pag. 284. Lin. 25. poſt: *Ingialdo Lethrenſem ditionem obtigiſſe*, adde: id qvod *Saxo* qvoqve teſtatur his verſibus:

Nunc ergo Ingelle melius qvam tempore lapſo
Lethrarum dici dominus Daniæqve mereris.

Nota

Nota *Svenonem Aggonis*, eundem cum Islandis ſucceſſionis ordinem a Vermundo ad Ingialdum usqve ſeqvi, omiſſis qvatuor, qvos *Saxo* his inſeruit. Hujus Ingialdi hiſtoriam *Saxo* &c.

(*) Pag. 285. Lin 10. poſt: *ab illo deſcendit*, adde: Hujus aliqvalis, ſed confuſa, fama ad *Svenonem Aggonis* perveniſſe videtur; Nam cum Islandis in ſucceſſione præcedentium conſenſiſſet, hæc cap. II. pag. 34. ſubjungit: *Poſt cujus* (Ingild) *tempora, longo annorum intervallo, filii patribus in regno non ſucceſſerunt, ſed nepotes altera parte, tamen regali ſtirpe editi. Verelius* in &c.

Pag. 285. Lin. 18. poſt: *juſto breviorem*, adde: Etenim filia illius Hlif Eyvindum Auſtmannum peperiſſe ibi dicitur, cujus filius, Helgius Macer, Islandiam poſtea inter alios occupavit, qvadringentis plus annis poſt mortem Ingialdi: qvibus implendis qvatuor generationes neutiqvam ſufficiunt. Poſt Ingialldum Halfdanus &c.

Pag. 288. Lin. 10. poſt: *reſponderet*, adde: Interea Valdar Munificus, Hroaris (qvem Helgio fratri ſuam Daniæ partem vendidiſſe diximus) filius, partem regni ſibi aſſeruiſſe videtur, minorenne ſcilicet patruele ejus Hrolfo. Hic ille eſt Valldar, qvem Angantyris, Reidgothiæ ſeu Jutiæ Reguli, Heidreci Ulfhami, Jutiæ itidem reguli, patris tempore, Danis (puta, parti illorum) imperaſſe tradit carmen vetuſtum, qvod ex *Hiſtoriæ Hervorianæ* exemplari Regio, in membrana (in editione enim Svecica omiſſum eſt) ſuperius Lib. II. Cap. I. pag. 93. adduximus. Et

tempora

tempora bene conveniunt, etenim Haraldus Grandævus, dicti Valdaris filius, Hildem, memorati Angantyris neptem, filiamqve Heidreki Ulfhami, in matrimonio habuit, prout ex genealogiis libri hujus cap. I. pag. 215. 216. adductis patet, ut Angantyr & Valdar hoc ratione coævi eſſe facile potuerint.

Ad Valdaris ditionem qvod attinet, eam in Scania fuiſſe, ex eo colligimus, qvod Haralldus Grandævus, filius illius, nepotesqve Halfdanus Diſertus & Gudrodus ibi rerum potiti, hæreditaria, absqve dubio, ſuccesſione innixi. Hrolfi Krakii hiſtoriæ partem aliqvam aſſecutus vid. *Saxo* &c.

(*) Pag. 291. Lin. 21. poſt: *Svenus Victorioſus*, inſer. is forte piratarum rex fuit.

(*) Pag. 291. Lin. 25. poſt: *uxorem duxit.* Ulfhamio filius Hiörvardus ſuccesſiſſe ex *hiſt. Olafi Tryggv.* Part. II. cap. XVII. pag 54. colligitur, cujus tempore Halfdanus Branæ alumnus Roſkildæ regnavit, cæſus a Sörlio Robuſto, Erlingi Uplandorum in Norvegia Regis filio; Halfdani filius fuit Högnius, qvi Hiörvardi filiam Hervorem uxorem duxit, teſte *hiſt. Olaf. Trygg.* loco citato. Hic novisſimis Polyarchiæ annis valde potens, Halfdano Diſerto coævus vixiſſe videtur Seculo ſexto. Hic eſt ille, qvem *Saxo* in Frothonis Tertii tempora refert, Hoginumqve appellat, cumqve Hithino conflixiſſe tradit, de qvibus ad calcem hujus libri plura.

Pag. 302. Lin. 9. poſt: *ſatis docent*, adde: *Wyclacum* alias, Wodeni filium, *Johannes Bromton* pag. m. 776. ubi de Merciorum regibus agit, exhi-

bet, eumqve genuiſſe ſcribit *Wermondum*, patrem *Offæ*, patris *Dengelteni*, â qvo Merciorum Rex *Offa*, qvi anno Chriſti DCCLVII. regnare cæpit, per XII. generationes deſcenderit. Iſthæc nomina cum *Saxonis* Vigleto, Vermundo, Uffone, & Dano II. collata, parum diſcrepant. Qvin & *Matthæus Paris* initio vitæ *Offæ* Regis *Varmundum occidentalium Anglorum Regem* celebrat, cujus filius *Offa* usqve ad trigeſimum ætatis annum mutus deſesqve fuerit, poſtea vero patre cum proceribus de regni hæreditate conſultante, loqvelam derepente nactus, ſatis ab illo tempore facundiæ habuerit, atqve in egregium evaſerit virum. Hiſtoriam illam, ſed pluribus commentis auctam; fabulatorem qvendam e Dania in Angliam traduxiſſe exiſtimat *Langhornius* Antiqvit. Albion. Append. pag. 29. Nos contrarium putamus, nempe hanc narrationem ex Anglia in Daniam transiiſſe. Conſtat qvidem Matthæum *Saxone* juniorem eſſe; verum ille prædictam hiſtoriam aut ê vetuſtiori ſe libro hauſit, aut ſeniorum per antiqviores ſibi iterum tradita relatione didicit; ut qvicqvid horum credamus, eadem ad *Saxonis* notitiam æqve pervenire, atqve ab eo operis ſui amplificandi ſtudioſisſimo, Daniæ Regibus applicari potuerit, niſi qvis ſtatuere malit, memoratam relationem, antiqvisſimis temporibus in plures nationes ſparſam, forte etiam metris celebratam fuiſſe: ſingulasqve earum *Saxonis* & *Matthæi* ævo rem apud ſe geſtam voluiſſe, haud ſecus ac de Hagbardo & Signe inter ſeptentrionis gentes contenditur. In Rórici & Vigleti memoratorum temp. *Saxo* &c. Pag.

Pag. 308. Lin. 8. poſt: *Scaniæ Regulos*, adde: Halfdano illi Diſerto, præter regnum, qvod in Scania tenuit, Northumbriam qvoqve, Angliæ provinciam, paruiſſe, ex iis, qvæ de Sigurdi Hringi expeditione in Angliam inferius dicemus, patebit; cujus poſſesſionem an armis vel alio modo adeptus ſit, parum conſtat; jus in eam hæreditarium habuiſſe, genus illius a Hroare Northumbriæ Rege deductum, ſatis evincit. Gudrodus Halfdani frater, *Ingialldi* Aſtuti Sveciæ Regis filiam &c.

Pag. 311. Lin. 6. lege: Hrærekus Slaungvanbaugius & frater ejus Helgius Acutus, Halfdani III. filii, Lethrenſem ditionem tenuerunt, hæreditario, ut videtur, jure; Poſtqvam autem Ivar Sveciam devicerat, Helgius filiam ejus Audurem (ab immenſis, qvæ demum acceſſerant, opibus, *prædivitem* vel *profunde divitem* poſtea dictam) ambivit. Is & ſuum &c.

Pag. 313. Lin. 11. poſt: *objicere potuerit*, adde: Haralldus præter Daniæ regnum Sveciam qvoqve rexit: amplisſimæ ditionis dominus, qvippe qvi ſingulos Daniæ Sveciæqve Regulos ad obſeqvium ſui ac tributa pendenda adegit. Angliæ qvoqve partem illam, qvam proavus ejus Halfdanus Diſertus avusqve Ivar Vidfadmius poſſederant, (Northumbriam fuiſſe patet ex allato nuper *Hiſtoriæ Hervorianæ* loco, ut & iis qvæ ex *Olafi Tryggvini vita* inferius in Sigurdo Hringo allegabimus) ſibi ſubjecit, eiqve reges ac comites tributarios præfecit. In Haralldi hujus genere recenſendo *Saxo* &c.

Pag. 316. Lin. 16. poſt: *provocaſſe*, adde: Olonemqve *Haralldi* ex ſorore nepotem dictos fratres occidiſſe, ac in victoriæ præmium virginis (Eſa vocabatur) nuptias obtinuiſſe *Saxo* lib. VII. pag. m. 141. perhibet.

Pag. ead. Lin. 27. poſt: *æqvalem fuiſſe innuit*, adde: qvod & Ivaris Vídfadmii & Ingialdi Aſtuti ſynchroniſmum ſuperius â nobis propoſitum ulterius confirmat. Genealogico ſchemate res clarior evadet, qvod ex *Saxone* & noſtratibus mixtim conflatum ita erit:

Ivar Vídfadmius. — Ingialdus Aſtutus.
Audur Prædives. — Olafus primus. Vermorum Rex.
Haralldus Hilditann. — Anonyma. Haraldi ſoror.
Olo Vegetus——Eſa.

Ab hoc Haraldo Hildetanne &c.

Pag. 319. Lin. 27. poſt: *dignitate conſpicuum*, lege: Rögnvalldum qvidem, alias Radbardum dictum, inſignem heröem, Hringo militaſſe tradit vetuſtum illud *de pugna Bravallenſi fragmentum*, qvod nuper allegavimus, ſed de genere illius nihil adfert, nec noſtri ullum Regnaldum inter Sigurdi Hringi conſangvineos recenſent. Interea ſi noſtras antiqvitates heic cum *Saxone* conferamus, Regnaldum iſtum vel Rögnvaldum, Hringi vel patruelem vel amiti-

num fuiſſe, ſatis tuto colligitur. Genealogiæ ſeries hæc erit:

Radbardus Rusſiæ Rex, poſterior
Auduris Prædivitis maritus.

Randver	Anonymus vel Anonyma
|	|
Sigurdus Hringus.	Regnalldus Ruthenus.

Anteqvam ab Haraldo Hildetanne diſcedamus, de ſobole illius ac nepotibus nonnulla ſunt dicenda. Et primo qvidem memorandus venit filius illius Eyſteinus, cognomento *Illradus*, id eſt, *Aſtutus*, qvem *Hervöris hiſtoria* poſt patrem Haraldum in Svecia regnaſſe, tandemqve a Ragnaris Lodbrochis filiis occiſum eſſe tradit. Eyſteinum iſtum Sveciæ Regem non tacet *Ragnaris Lodbrochis vita*, inferius a nobis alleganda, ſed illum ſimiliter â Lodbrochidis occiſum refert. *Belium* alicubi cognominatum legi. (*In *Indice Skaldorum* ſeu Poëtarum, ad calcem *Chronici* Norvegici membranacei, qvod ex æde S. S. Trinitatis Hafnienſi mutuatum ad manus habeo, *Kringlam*qve appellare ſoleo.) De progenie illius nihil ſcimus, nec qva ratione ad Sveciæ imperium pervenerit ſatis liqvet; Etenim Haraldo Hildetanni Sigurdum Hringum immediate ſucceſſiſſe conſtat; cui Eyſteinus, qvantum apparet, ſceptrum extorqvere haud potuit. Poſt eum itaqve regnaſſe ſtatuendum, volente Ragnare Lodbroche, Sigurdi Hringi ſucceſſore, tributarium forſitan Ragnari, cetera juris abſoluti,

 nec

nec ultra obnoxium. Certe Ragnarem & Eyſteinum arcto ſeſe amicitiæ nexu invicem coluiſſe, in prædicta *Ragnaris vita* traditur. Nos Haraldum Hildetannem, patrem illius, natum ſtatuimus anno Chriſti DLXXXV. CL annorum, cum obiret, fuiſſe memoratur, anno Chriſti, ſecundum noſtrum calculum DCCXXXV. Seqvitur inde admodum ſenem fuiſſe Haraldum cum Eyſteinum progeneraret; centum & qvindecim annorum fuiſſe ponimus; Qvod nec exemplo caret, in Hordia enim, Norvegiæ provincia, parœcia Skaanevigen, ruſticus qvidam ante XL. circiter annos, ex uxore ſua filium centenarius ſuſcepit, cum qvo exinde triginta annis vixit, prout iſta ſacerdos parœciæ, in qva natus eſt, & alii fide digni viri mihi retulerunt. Natus itaqve erit Eyſteinus anno Chriſti DCC. occiſus â Ragnaris Lodbrochis filiis anno Chriſti DCCLXXIII. ætatis ſuæ LXXIII. vivo adhuc Ragnare, qvi eo occiſo Sveciæ regnum ſibi pleno jure aſſeruiſſe videtur. *Sigurdum Angvioculum*, Ragnaris filiorum natu minimum, triennem, cum occideretur Eyſteinus, fuiſſe, in *Ragnaris Lodbrochis vita* perhibetur, id qvod cum noſtro hocce calculo bene convenit. Hilditannis filiorum alter avi nomen & cognomen geſſit, Hrærecus Slaungvanbaugius dictus. Illius *Originum Island. liber* meminit, ac genuiſſe ait Thorolfum Voganefum, patrem Vemundi Ordlokaris, cujus filius Valgardus Hrafnum progeneravit, *Stultum* per antiphraſin dictum, ac inter præcipuos Iſlandicæ gentis conditores vulgo numeratum. Tertium Hil-

ditannis

ditannis filium *Biörnus de Skardza* in ſuis de Grönlandia collectaneis (qvæ Mſſ. poſſideo) Solgium nominat, eumqve progenuiſſe ſcribit Hrolſum de Ani, patrem Biörni, patris Eyvindi Auſtmanni, cujus filius Helgius Macer inter primos Islandiæ incolas recenſetur. Tabella hanc nepotum ſeriem monſtrare ex re erit:

Haralldus Hildetann
Daniæ Rex.

Hrærekus Slaungvanbaugius.	Solgius.
Thorolſus Voganeſus.	Hrolſus de Ani.
Vemundus Ordlokar.	Biörnus.
Valgardus.	Eyvindus Auſtmannus.
*Hrafnus Stultus, *Islandiæ aboriginum unus.*	Helgius Macer, *inter primos Islandiæ incolas.*

Brevior forte juſto genealogia hæcce cuidam videbitur, ſed facile credi poteſt, Hildetannem binos iſtos filios jam ſenem procreaſſe, eorumqve deinde poſteros parentibus ſuis qvadragenariis circiter natos eſſe, id qvod abſurdi nihil infert. (*) Progenitores Hrafni Stulti ex *Niála*, in Recenſu ſtemmatis Valgardi Grá, hoc modo referuntur:

Haraldus Hilditanni Daniæ Rex.
Hrærecus Slaungvanbaugius.
Thrandus Senex.

Thorol-

Thorolfus Voganeſus.
Vemundus Ordarloka.
Evar.
Valgardus.
Hrafnus Stultus, Islandiæ aboriginum unus. Poſt Haralldum Hilditannem Sigurdus Hringus regnavit, &c.

Pag. 320. Lin. 7. lege: Sigurdus Hringus in matrimonio habuit Alfhildem, cujus ſtemma *in Originibus Norvegicis* tale recenſetur; Pater illius Gandalfus Alfheimorum (tractus in Norvegia inter Gothalbiam & Raumalbiam) Rex, idem, ut videtur, cum illo, qvi *Gandal Senex* dicitur apud *Saxonem* lib. VIII. p. m. 144. ubi Haraldi Hilditannis athletæ enumerantur. Gandalfo pater erat Alfgeir, filius Alfi Senis vel Grandævi, Alfheimorum Regis. Alfus hic Grandævus ipſe eſt Finnalfus, Noris, Norvegiæ Eponymi, nepos. Verum temporis intervallum qvod inter Norem & dictam Alfhildem intercedit, longe plures generationes reqvirit. *Exſtat alias* diverſus ab hoc Alfus, *Senex* itidem dictus, Noris trinepos, Finnalfiqve abnepos, cujus Ser. Reg. Daniæ Cap. IV. pag. 260. 261. mentio facta eſt; ejus proneptem ſi Alfhildem ſtatuere vellemus, plures qvidem gradus lucraremur, ſed ne ſic qvidem tempori ſufficientes, cum illa, hac ratione, non niſi per novem generationes â Nore deſcenderet, magno in progenitorum ſerie hiatu. Alfhildis Sigurdo Hringo Ragnarem Lodbrochem, celeberrimum poſtea Regem, peperit. Notabilem &c.

Pag.

Pag. 322. Lin. 27. poſt: *Stultus dictus eſt.* Adde: Notabilis inqvam hic locus eſt; qvi & chronologiæ noſtræ haud leviter ſuccurrit, Anglicam qvoqve hiſtoriam valde illuſtrat, ac ab ea magnum lumen vicisſim mutuatur. Occidentalium *Saxonum* Rex, cujus hic fit mentio, Inas eſt, qvi Anno Chriſti DCLXXXIX. occidentalium *Saxonum* regnum & ſupremam in Anglia Monarchiam adeptus, anno DCCXXVII. relicto imperio, Romam ſe contulit, ibiqve monachus obiit. Inæ hujus frater *Simeoni Dunelmenſi* in geſtis Regum Anglorum ad annum DCCCXLIX. *Ingild* dicitur, cujus filius *Eoppa* Affam, *Affa* Alhmundum, *Alhmundus* Egberhtum, *Egberhtus* Ethelvulfum, *Ethelvulfus* Elfredum Anglorum Regem genuere. Qvem heic *Dunelmenſis* Ingildum, noſtrates Ingialdum vocant, *Ailredus*, Rievallenſis Abbas, *Ingles:* Eoppam, nobis Ubbium, *Eppam:* Affam, nobis Eavam, *Effam* nominat, Genealog. Reg. Angl. pag. m. 350. ubi eandem Elfredi ſtemmatographiam exhibet. Elfredus itaqve anno Chriſti DCCCXLIX. natus Ingialdi trinepos eſt: Sigurdi Hringi, qvi cum Ingialdo pugnavit, trinepos ſimiliter eſt Haraldus Pulchricomus Norvegiæ Rex, qvadrienno poſt Elfredi nativitatem in lucem editus, qvæ ſecum invicem optime conveniunt. Ingialdum Inæ fratri ſupervixiſſe credimus: nec multi anni reqviruntur ut ad Sigurdi Hringi tempora pervenire potuerit, qvem anno DCCXXXV. regnare cœpiſſe ponimus. Anglica hæc Sigurdi Hringi expeditio, ſubactioqve Northumbriæ, jure nitebatur a majori-

bus ad eum derivato; Etenim Haraldus Hildetann, cui memoratus Hringus ſuccesſit, *illam partem Angliæ qvam Halfdanus Diſertus & poſtea Ivar Rex poſſèderant, ſibi ſubjecit*, teſtante id *fragmento* hiſtoriæ Haraldi (qvod *de pugna Bravallenſi* aliqvoties allegavimus) his verbis: " hann lagdi undir ſik þann „ hlut Englandz er átt hafdi Halfdan Snialli ok ſídan „ Ivar Konungur". Partem illam Angliæ *Northumbriam* fuiſſe, ex hoc *Olafi Tryggvini hiſtoriæ* loco diſcimus. Northumbriam qvoqve Ivari Vidfadmio paruiſſe ex *Hervoris hiſtoria* clarum eſt, cujus verba pag. 310. ſuperius adduximus. Ubi & ulterius obſervari meretur, dictum Ivarem *occidentalem Saxoniam* præterea rexiſſe: per qvam ſi Weſt-Saxonum in Anglia imperium *Hervoris hiſtoriæ* auctor intellexit (id qvod ex verborum illius contextu apparet) Ivari, ea ratione, ſupremum illius dominium competebat, Regesqve qvos ejus tempore occidentalibus Saxonibus præfuiſſe Anglorum hiſtorici *tradunt*, non niſi illius beneficiarii *fuere, id qvod tamen aliis ulterius diſcutiendum* relinqvimus. Ad Halfdanum Diſertum qvod attinet, illi in Northumbriam hæreditarium jus fuit, qvippe pronepoti Hroaris, qvem regnum iſtud conjugio acqviſiviſſe ſuperius cap. VI. pag. 287. dictum eſt. Qvod ſi Ivar Vidfadmius Northumbriæ regno, ſuccesſionis jure ad ſe â patre devoluto, occidentalem Saxoniam armis adjecerit, conſiſtere poſſunt qvæ ſupremo illius in regnum iſtud dominio *Hervoris hiſtoria* innuit. Ceterum qvicqvid illius ſit, ſatis hinc apparet nonnullos Anglo-

Saxo-

Saxonum Reges, certe eos qvi Northumbriam tenuerunt, memoratorum Daniæ Regum vaſallos fuiſſe.

Sigurdi Hringi tempore celebres in Germania erant Gunnar & Högnius, Giukii filii, ſororisqve eorum Gudrunæ maritus Sigurdus Fabnericida.

Hringus ætate provectior ad Gunnarem & Högnium (Giucungos antiqvitas communi nomine vocavit) legatos miſit, qvi iis aut tributa imperarent, aut bellum denunciarent.

Tributi ſolutionem abnuentibus, dies certamini in confinio regni condicitur. Nec multo poſt acri in Holſatia prælio concertatur; Giukungis Sigurdus Fabnericida, affinis eorum, auxilia præſtitit; Sigurdi Hringi partes Gandulfi filii, uxoris illius fratres, ſuſtinuere, in qvorum comitatu Starcadus eminebat, inſignis bellator; cui Sigurdus Fabnericida hoc congreſſu binos dentes excusſit. Nec multo poſt Hringi exercitus in fugam converſus Giukungis victoriam reliqvit. Hæc *Nornageſtus*, qvi rebus hiſce interfuiſſe perhibetur, Olafo Tryggvino, Norvegiæ Regi, circa annum Chriſti DCCCCXCVIII. narravit; trecentorum circiter annorum ætate, ſi *vitæ ejus* fides, tunc completâ. Ex hoc Sigurdo Hringo Saxo binos homines fecit &c.

Pag. 324. Lin. 26. poſt: *plane diverſus eſt*, adde: ut & ipſe Starcadus, Armodi interfector, ab eo, qvi Olium occidit, penitus alienus; qvemadmodum ad pag. 281. ſuperius dictum eſt. De Hetha obiter monendum &c.

 (*) Pag.

(*) Pag. 324. Lin. penultima poſt: *prope deſertum qvoddam ſita fuerit*, adde: *Ælnothus* cap. XIII. noſtræ opinioni adſtipulatur, qvi Danica lingva, *campi villam* interpretatur. Olonis ex pluribus &c.

(*) Pag. 328. Lin. 21. poſt: *Si Erpus viveret: Edda* tradit eos in matrem exacerbatos fuiſſe, qvod contumeliis verborum eos noviſſime laceraſſet, atqve ideo conſtituiſſe id agere, qvod eam maxime ægre laturam ſcirent, atqve ideo eum ſuſtuliſſe, qvem conſtaret eam tenerrime amare. Hæc fere ſunt &c.

Pag. 333. Lin. 5. lege: ac itaqve Sigurdo Hringo filioqve illius Ragnare Lodbroche tempore inferior erat.

Pag. ead. Lin. 14. lege: infra Ragnarem Lodbrochem, Sigurdi Hringi filium, collocandus eſt.

Pag. 335. Lin. ult. poſt: *utriqve referunt*, adde: Opportune heic commemoranda venit cygnea illa cantilena, qvæ *Brynhildi Budlinæ* in *Sæmundi Edda* adſcribitur; ibi Brynhildis, rogum aſcenſura, de mariti ſui Gunnaris cognatorumqve illius fatis vaticinatur, atqve de Svanhilde, Sigurdi filia, hæc addit:

„ Hana munu bíta Bicca rád,
„ Þvíat Jormunreccr óþarft lifir,
„ Þá er aull farin ætt Sigurdar,
„ Eru Gudrunar græti at fleiri ". id eſt:

Hanc (Svanhildem) *Bicconis conſilia mordebunt*, *Jormunrecus enim in* aliorum *damnum vivit; Tunc univerſa*

verſa Sigurdi progenies deleta eſt, ſuntqve eo plures Gudrunæ (Giukinæ, Sigurdi uxoris) *calamitates.* Confirmantur hiſce illa, qvæ de Sigurdo Fafnericida neceſſariisqve illius, tanqvam ejusdem ſeculi hominibus proxime præcedenti capite dicta ſunt. Verum longe ſupra ſeculum VIII. eos evehere, ac ita noſtrum de iis, eorumqve æqvali Sigurdo Hringo calculum evertere videtur Jormunrecus vel Ermanaricus; Etenim ſi Svanhildis illa, ab eo enecata, Sigurdi Fafnericidæ filia fuit, illius & dictorum ejus æqvalium ætas non in ſeculum VIII. uti &c. pag. 336. Lin. 3.

(*) Pag. 336. Lin. 18. poſt: *Floanorum hiſtoria exhibet*, adde: Non ſola, ſed *Ragnaris* qvoqve *Lodbrochis hiſtoria* & Regis *Sverreris* Progonologia, qvæ *hiſtoriam* ejus in Codice Flat. orditur, forte & plures. Verba *Floanorum hiſtoriæ* hæc ſunt &c.

(*) Pag. 337. Lin. 4. poſt: *Brynhildis Budlii filia*, adde: Sunt & plures Genealogiæ, qvæ Sigurdum Fafnericidam, ejus amaſiam Brynhildem, & uxorem Gudrunam, & eorum temporum æqvales, Sigurdum Hringum & Ragnarem Lodbrochem exaltant; qvas ordine exponam:

1mo In *Siklingorum familia*, Signyæ Sigurdi Fafnericidæ amitæ, maritus Siggeir, a Noro Norvegiæ eponymo, (qvem anno Chriſti triceſimo natum ſupponimus) qvintus.

2do In *Lofdungorum familia* decimus.

3tio In *Budlungorum familia* Brynhildis, illius amaſia, decima.

4to In *Niflungorum*, uxor ejus Gudruna nona.

5to Alfhildis Sigurdi Hringi uxor, Ragnaris mater, qvinta, & hic Ragnar ſextus eſt.

His ſuffragatur ſynchroniſmus inter Sigurdum Faſnericidam eiqve coævos; & Hakium, Hagbardum & Sigarem, qvem *Ragnaris Lodbrochis hiſt.* cap. XXIII. nobis ſuggerit, in colloqvio inter Brynhildem & Gudrunam, tunc innuptas, de ſynchronis Regibus inſtituto, Gudruna enim nocturna per qvietem imagine contriſtata, ad enodationem exqvirendam, ad Brynhildem profecta perhibetur. Cumqve inter varia oblectamenta, nulla exporrectæ frontis indicia præberet, Brynhildis, *ut animum, inſtituto de potentibus Regibus, eorumqve celebribus geſtis ſermone relaxarent*, ſvaſit. Qvo probato. Gudruna qvæſivit; *qvem ergo celeberrimum duceret?* cui Brynhildis; *Hakium & Hagbardum multis bello præclaris geſtis inclytos.* Ad ea Gudruna reſpondit: *Fateor viros magno theatro ſpectatos fuiſſe, tamen Sigar eorum ſororem rapuit, aliam incendit, adqve vindictam tardi ſunt. Sed cur fratres meos non nominas, qvi jam omnium ſermone illuſtri laude celebrantur?* Ad ea Brynhildis: *magna in eis ſeges & materia gloriæ, licet experimentis adhuc minus innotuerint; Novi enim qvi iis longe anteferendus eſt.* Profiteri juſſa. *Is eſt*, inqviebat, *Sigurdus Sigmundi Regis filius, ætate puer, cum filios Regis Hundingi occideret, patrem ſuum, avumqve maternum Eylimium*

mium ultus. Hæc ideo exſcripſi, ut appareat, an de coævis tantum, an etiam ſuperiorum Seculorum æqvalibus comparatio inſtituta fuerit. Non de his, ſed illis agi, graduum a Nore ad Signyam Hagbardi amicam, in duos diverſos ramos ſparſus, ſed utrobiqve conſentiens, nec cum prædictis perſonis diſſentiens numerus facile perſvaſerit, â Nore enim per Gardum Agdium ſeptimo tramite deſcendit, eundemqve gradum in Siklingorum familia obtinet, Brynhildis, ut monſtratum, octavo, Gudruna nono, Sigurdus decimo, idqve in diverſis genealogiis. Reſtat adhuc unum argumentum, pro exaltanda Sigurdi Hringi æra, id nobis carmen *Hyndluliod* ſuppeditat, hac ſtropha:

„ Kunna ek báda Brodd ok Haurfi.
„ Voro þeir í hird Hrólfs hins gamla
„ Allir bornir frá Jormunreki
„ Sigurdar mági, hlíd þu ſögu minni
„ Fólkum-grams þeſs er Fafnir va". Id eſt:
Novi utrumqve Broddum & Horfium
Illi fuerunt in ſatellitio Hrolfi Priſci ſeu Senis
Omnes orti ex Jormunreko
Sigurdi genero, (*audi narrationem meam*)
Potentis illius Regis, *qvi Fafnerem occidit.*

Hinc colligitur Sigurdum Fafnericidam Jormunreko ſynchronum fuiſſe, & qvidem ſeculis Brávallianum conflictum antecedentibus. Sed ne rationes, qvæ qvartum Seculum Sigurdo Hringo aſſerunt, tantum aſſeram, unam adjiciam, qvæ eum aut ad Chriſti in carne manifeſtati tempora, vel etiam ſupra elevat.

Eam

Eam nobis *Eddæ* mythologiæ a fabula LXIX. ad finem uſqve libri monſtrant, qvibus hiſtoria involvitur, nec ea, qvæ deſcripta ſunt, aliunde qvam ex his tabulis exſtructa eſſe apparet; Ibi monſtratur, Faſnerem, a cujus cæde Sigurdus *Faſnericida* dictus eſt, Odino & Aſis, vel eorum filiis, coævum vixiſſe. Nihil igitur mirum ſi Sigurdo ab Odino qvintum in genealogia gradum aſſignarunt, cum hac ratione altius eſſet elevandus. Hinc forte præſidium, traditio de Londino, a filiis Ragnaris Lodbrochis, hujus Sigurdi nepotibus, fundato accipiet, de qvo in *ſerie Regum* Lib. III. cap. XII. actum eſt. Atqve hæc ſunt argumenta, qvæ noſtræ opinioni de Seculo octavo his perſonis aſſignando objici poſſunt. Nihil enim diſſimulandum ſtatuo, eorum, qvæ in utramqve partem diſputari poterit. Jam eadem, qva antea methodo, ordine nimirum retrogrado, ad hæc qvoqve reſpondebo:

Primo itaqve relationem de Hreidmare & filio ejus Otrio, in lutram converſo, ab *Aſis* occiſo, moxqve ejus fratribus Faſnere & Reigino â Sigurdo Faſnericida inde dicto, interfectis, ad fabulas Eddicas rejicio, cum nullus Ragnarum Lodbrochum eousqve, vel per palpabiles graduum lacunas exaltetur, ut ejus filiam uxorem ducere potuerit; nam qvi eo nomine præcipue exaltatur, a Nore ſextus, a Fornioto (qvi Odino ſynchronus erat) undecimus conſpicitur, longe tamen inferior eſt illo Faſnericida, qvi hic deſcribitur, cum autem pro certo ſtatutum ſit, Ragnarem Faſnericidæ filiam duxiſſe.

Inde

Inde forte fabula de Londino a Ragnaris filiis, Sigurdi nepotibus, condito emanavit, id qvod vel Chriſti in carne manifeſtati tempore, vel paulo ante factum oportet, ſi hæc recipienda ſunt. *Ammianus Marcellinus*, qvi Valentiniani & Gratiani Imperatorum temporibus vixit, Lib. XXVII. *vetus oppidum* appellavit. Illi anno CCCLXXVI. ad Imperium provecti qvadringentorum forte annorum ſpatium ad vetuſtatis nomen conciliandum ſatis ei viſum eſt. Neronis tempore, *Tacitus* Annalium lib. XIV. cap. XXXIII. *cognomento coloniæ non inſigne, ſed negotiatorum & commeatuum maxime celebre fuiſſe* teſtatur, forte regnantium privilegiis, immunitatibus & munificentia, brevi, qvinqvaginta, aut circiter annorum ſpatio, ex parvis initiis eò opulentiæ excrevit, cujus exemplum Conſtantinopolis præbuit, pluresqve aliæ urbes, qvæ brevi ſpatio in immenſum auctæ ſunt. Cum tamen hujus Fafnericidæ tempora, cum Ragnarum nullo conciliari posſint, ſatis ad hanc objectionem reſpondiſſe videor.

Eam autem, qvæ proxime præcedit, facile diluam, cum non conſtet, qvo tempore Ottar ille Stultus & Angantyr vixerint, Hyndlaqve illa, cui hoc nomen adſcribitur, nam ſi ſeculo nono, aut infra, vixerat, progeniem Jormunreci, ejus qvi Fafnericidæ gener fuit, recenſere poterat, etiam ſi illi ſeculo octavo vixerint, illa enim illos ibi recenſet, qvi ſeculo octavo floruerunt, Haraldum nempe Hildetannem ejusqve fratrem juniorem Randverem, unde facile apparet, eam infra illa tempora vixiſſe.

Tertium argumentum a ſynchronismo Hakii & Hagbardi, cum memorato Faſnericida, & ejus coætaneis, nodus eſt intricatior, qvi nullo modo, nec per impoſſibile qvidem, ad octavum ſeculum ſe duci patiuntur, ſed nec ex hypotheſibus, ex qvibus *Seriem Regum* hanc adſtruximus, ad qvartum. Si tamen ad conciliandam Regum Norvegorum cum Daniæ Sveciæqve Dynaſtis harmoniam, ſexaginta duos annos vitæ Aunii Annoſi exemerimus, ut in *Hiſtoria Norvegica* non ſine magna ratione facimus, ad finem ſeculi tertii eos producimus; ita ut hoc pacto Sigurdo Faſnericidæ ipſiqve Jormunreco, ſeu Ermanarico coævi fiant, ſi eos ſeculo qvarto vixiſſe largiemur. Et cum hinc carmini Hroki Nigri magna accedat auctoritas, *Jornandis*qve traditio a nobis citata ad has perſonas referenda videatur, ad ſingula horum ſimul reſpondebimus.

Hakium & Hagbardum fine tertii ſeculi vixiſſe, in *Hiſtoria Norvegica* oſtendimus, ea *tamen ratione*, ut ſexaginta *duo anni*, de *vita Aunii demantur*. Poterat autem Gudruna juvencula extremis illorum annis vixiſſe, anus vero octuageſimum annum ſupergreſſa, filios in Jormunrecum immisſiſſe, non tamen ſtatim poſt ſumtum de filia ejus Svanhilde ſupplicium, ſecus nimia ætas ei tribuitur, cum Jormunreco deſponderetur, cum fuerit matris ex primo marito filia. Verum in neutra *Edda* hæc de colloqvio Brynhildis & Gudrunæ traditio extat; Lacuna enim in *Sæmundi Edda*, & omnia inde deſcripta exemplaria, eo loco conſpicua eſt; in *Ragnaris* autem *Lodbro-*

chis

chis Hiſtoriam, is, qvi eam ex odis illis collegit, iſta inſeruit. Cumqve cætera inde fideliter deſumta fuiſſe appareat, vix dubitandum videtur, qvin ejus tempore hæc qvoqve exſtiterint, poſteaqve perierint. Nullum autem membraneum exemplar, qvantum ſcio, *Hiſtoriæ Ragnaris* ſupereſt. Bis de illo omni ſeculo glorioſiſſ. memoriæ Regem Dominum meum clementiſſ. Fridericum Tertium, juvenis interpellare non erubeſcebam, eo confidentius, qvod *Thorarinus Eiricius*, qvi *Halfdani Nigri vitam* ſcriptis promulgavit, mihi confirmaſſet, ſe ab Epiſcopo Schalholtenſi, inſigni viro, Mag. *Brynjolfo Svenonio* transmiſſum ei tradidiſſe, qvod deinde ipſe Rex aliqvoties reqvirere dignatus non invenit. Jam vero exemplaria illa chartacea bina ad manus habeo, hoc loco ex parte mutila, utriusqve verba exſcribam: „ Goþrun (Guþrun) var ſáord, Brynhilldur mællti, „ hvi meigi þier ei gledi hallda, ſkemptum oſs allar „ ſaman, oc rædum um ríka Konga oc þeirra ſtórvirki; „ giorum þat ſeigir Guþrun (Goþrun); eda hvoria „ veitſtu frægaſta? Brynhilldur ſvarar: ſonn (ſonu) „ Hacka oc Hagbard, þeir unnu mörg frægdar verk „ í hernadi, Gudrun (Goþrun) ſvarar: miklir (*mikler*) „ voru þeir ok ágæter, enn þó nam Sigar ſyſtur þeirra, „ enn hefur adra menn (inne) brenda, oc eru þeir „ ſeiner at hefna, edur (eda) þvi nefner þú ei brædur „ mina, er nu þikia fremſtir menn. Brynhilldur „ ſvarar, þat er í gódum efnum, enn ei eru þeir „ enn miok (miog) reynder, oc veit ek einn miök „ af þeim bera, þat er Sigurdur ſon Sigmundar

 „ Kongs,

„ Kongs, hann var þá barn er hann drap ſonu Hund-
„ ings Kongs ok hefndi faudur ſins, ok Eylima mó-
„ dur födurs (faudurs) ſins". Diſcrimen codicum parentheſi includitur, uterqve hic corrupte, nec ſecundum antiqvorum regulas exſcriptus eſt, id qvod horum perito facile patet, mihi locum integrum transſcribere viſum eſt, qvem licet nuper explicatum, iterum tamen ſecundum verba ſollicitabo: *Gudruna fuit pauciloqva; Brynhildis ajebat, qvi lætitiam percipere neqvis? Integremus animum omnes ſimul, deqve potentibus Regibus eorumqve magnificis factis colloqvamur. Id faciemus, dixit Gudruna. Qvos autem clarisſimos noſti? Brynhildis reſpondit: Filios Hakium & Hagbardum.* Nota hic alibi habetur *ſonn*, alibi *ſonu*, ita ut dubitari posſit, an Hakium & Hagbardum, aut eorum filios intelligat Scriptor; vero tamen ſimilius, cum in caſu recto eos nominet, ipſos indigitari, patrisqve eorum nomen, qvod nobis *Saxo* ſuppeditat (Hámundum enim appellabat) hic librarii incuria, aut litura codicis omiſſum eſſe. Pergit: *Illi bellicis expeditionibus multa memorabilia geſſerunt. Gudruna reſpondit: Fuerunt viri magni & celebres, tamen eorum ſororem Sigar rapuit, aliam incendit* (aliud exemplar & *alios viros incendit*, habet; id qvod minus appoſite hic refertur) & *tardi ſunt ad ultionem*, cœtera expoſui. Hic locus oſtendit de præſentibus ſermonem eſſe, cum tamen prior, qvi eos celebres fuiſſe tradit, de mortuis intelligendus videatur. Sed qvoniam authenticis membranis caremus, nihil certi

decidere

decidere poſſumus, nec graduum in diverſis genealogiis, cum utrisqve convenientia, tam exqviſitum nobis de eorum ſynchronismis argumentum affert, qvin paribus rationibus infringi posſint; exemplo ſint, Sölvius de Niardeya, a Nore per Gardum Agdium in ſeptimum gradum demiſſus, Hiörleifus Mulieroſus, ſororis ejus maritus, eodem gradu ab eodem Nore remotus. Hrokus, Albus alter, Niger alter, Utſteinusqve & Innſteinus, Halfi Herois milites, pari & illi gradu, per Raumum & Haudum a Nore deſcendentes. Mirus hic trium generationum in eodem gradu concurſus, nihilominus ingentem in omnibus lacunam, ſeptem nimirum graduum defectus ad tempora Eyſteini Sveciæ Regis Adilſis filii, qvem hic idem Solvius anno Chriſti DXXXI. regno vitaqve ſpoliavit, & in his prodigioſa longe ultra ſeculum extenſa Aunii ſilicernii ætas oſtendit, ita ut a nativitate Noris, qvem in annum Chriſti XXX. collocavimus, ad nativitatem Eyſteini, cui annum CDLXXVI. asſignavimus, CDXLVI. anni reqvirantur, nec ſufficiat ſi ſingulis generantibus ſeptuaginta qvatuor anni dentur, id vero ſi vel maxime, in una linea posſit ſuſtineri, in tribus tamen diverſis ita obtinere, monſtro ſimile eſt. Verum talia monſtra, in his ſtemmatographiis haud rara ſunt; Dageidis enim a Nore decima, Alreci Sveciæ Regis uxor. Starkadus Stórvirki filius, ejusdem Alreci miles, a Nore qvoqve decimus, & Herthiofus Hördalandiæ Rex, ab eo decimus qvartus ſimul vixerunt. Haud ſatis itaqve validum præſidium e diverſarum genealo-

giarum graduum paritate, ad ſynchroniſmos ſemper & ubiqve adſtruendos reperitur. Eo mens inclinat, ut credam, aut colloqvium tum de maxime ſtrenuis Regibus, qvorum memoria celebris erat, tum etiam de principibus, qvi tunc vixerunt, inſtitutum fuiſſe, collationemqve factam de utrorumqve geſtis, aut hæc ab illo, qvi odam hanc compoſuit, confiſta. Prori ſententiæ reſponſum Gudrunæ patrocinatur, qvæ tanqvam de fato functis teſtatur, eos magnos fuiſſe viros; qvod autem tanqvam de ſuperſtitibus ſubjungit, eos ad vindictam tardos eſſe, neſcio, cum autographa deſint, an ſcriptum fuerit, "ero" aut "oro", id eſt *ſunt*, aut *fuerunt*. Si poſterius ſtatuendum eſſet, jam deciſa eſt controverſia. Priori, poëtarum conſvetudo anſam præbet, qvi non hiſtorica fide talia ſemper exponunt, ſed pro conditione perſonarum rerumqve, de qvibus disqviritur, proſopopœiam verbaqve de ſuo affingunt. Sic in Oda, qvæ *Brynhildarqvida* inſcribitur, male cohæret, qvod militiam haud parvo tempore ſecuta, tandemqve Regem occiderit, cui Odinus victoriam pollicitus fuerat, ideo offenſam illius incurrens diuturno ſomno eòusqve ab illo ſopita fuerit, donec unus aliqvis exiſteret, qvi omnis metus expers eam excitaret, & nihilominus duodecim annorum fuerit, cum Sigurdo deſponſata eſſet, tantis in tam tenella ætate geſtis inclyta. Hakium certe & Hagbardum, longe ante bellum Brávallenſe vixiſſe, controverſia caret. Sigurdus enim Hringus, qvi ibi Haraldum Hildetannem vicit & occidit, Ingili & Inæ Veſt-Saxoniæ Regibus

Regibus coævus fuerat, invicto teſtimonio a nobis in analectis pag. 507. & ſeqventi, adducto, qvod ſine Anglicorum Scriptorum inſpectione & teſtimoniis, a noſtris Scriptoribus proditum, in tempore cum illis, ad amusſim convenit. Jam vero Oda *Eddæ Sæmundi*, qvæ *Helgaqvida Hundingsbana* appellatur, oſtendit eundem Helgium cum fratre Sinfiotlio (qvorum uterqve Sigmundi filii erant, uterqve Sigurdi, nondum nati, Faſnericidæ fratres) poſt bellum Bravallenſe vixiſſe, nedum Sigurdum, qvippe ex ultima patris uxore, patri filium poſthumum procreatum. Referuntur ibi convitia, qvibus Godmundus qvidam a Granmaris filiis ad claſſem Helgii Hundingicidæ ſpeculandam, miſſus, & Sinfiotlius Helgii frater, ſe invicem laceſſebant, ubi inter alia opprobria hæc habentur:

„Þu vart bruþr grána á brávelli,
„ Gullbitluþ várt gör til ráſar.
„ Hafþa ec þer moþri mart ſceiþ riþit,
„ Svangri und ſauþli, ſimul forbergis". Hoc eſt: *Tu fuiſti ſponſa Granii* (Sigurdi Faſnericidæ eqvus ſic appellabatur; eſt autem nomen generale eqvorum coloris cineracei, itaqve alius ab eo diverſus hic intelligitur, cum Sigurdus nondum natus fuerit) *Brávello* (id eſt in campo Bravelli) *aureis frænis, in curſum deſtinata, laſſam te ego ſæpius, ad mollem alterno crurum explicatu glomerationem, concitavi, eſurientem ſub ephippio, monſtrum gigantum, per collium declivia.*

Hic

Hic cum camporum Bravallenſium mentio fiat, nec illi ante bellum inter Hilditannem Hringumqve geſtum, unqvam inclaruiſſe inveniantur, liqvidum eſt illud hic tempus adumbrari, cum illud geſtum eſt, cui & Helgius Hundingicida & frater ejus *Sinfiotlius* intereſſe poterant, *Sigurdus* non item, utpote longe poſterius natus; Hoc ergo teſtimonium, tum Hroki Nigri carmini, tum etiam *iis*, qvæ de Hakii & Hagbardi temporum æqvalitate, cum his perſonis intercedunt, adducta ſunt, reponimus. Longe, ut mihi videtur, majoris auctoritatis, antiqvitatisqve monumentum ſtabilitum, ut dictum eſt, Inæ Veſt-Saxonum Regis, Inglis (nobis Ingialdi) & hujus Hringi, ſynchronismo.

Pag. 342. Lin. 22. poſt: *Jornandi præponderare debeat*, adde: Aſſertioni huic nihil officere valet *Brynhildis Budlinæ carmen*, nuper ad p. 335. â nobis adductum, etenim reſponderi ad id poteſt idem ac ad *Volundi Odam* ſuperius *pag.* 340. *reſponſum* eſt, nempe: longe poſt Brynhildem vixiſſe eum, qvi ultima hæc, ut credi voluit, illius verba carmini ſuo inſeruit, ac itaqve non ſatis conſtare, utrum dictus poëta ipſisſima Brynhildis verba nobis exhibuerit, an vero ſua, qvæ eam protuliſſe aut credidit aut credi ſaltem voluit; imo, qvod majus contra dictum carmen robur habet, illud penitus effictum eſſe, ex eo patet, qvod vaticinia contineat de futuris, & qvidem remotis, rebus, qvarum Brynhildis gnara eſſe vix potuit, qvippe omni, ut credimus, fatidico ſpiritu deſtituta. Nil igitur memoratum carmen

Svan-

Svanhildis generi probando inſervit, nec conſeqventer noſtrum de Faſnericidæ, Sigurdi Hringi, aut aliorum illius æqvalium, ætate calculum turbare valet. Qvod ſi qvis omnino credere velit &c.

Pag. 343. Lin. 9. lege: contra eum pugnaſſe, ſuperius ad pag. 322. dictum eſt, idqve auctoritate *Nornageſti*, qvi conflictui iſti interfuiſſe ſe aſſeruit, reiqve geſtæ ſeriem Olafo Tryggvino Norvegiæ Regi retulit circa annum Chriſti DCCCCXCVIII. ipſe tunc trecentos, ut in *vita* illius traditur, annos natus, id qvod noſtræ de Sigurdi Faſnericidæ, Sigurdi Hringi & Giucungorum ætate aſſertioni non parum ſuffragatur. Qvod ſi qvis ulterius Svanhildis ſororem &c.

Pag. 347. Lin. 22. lege: Sigurdi nomen puero inditum, qvi, ut inferius dicetur, poſt mortuum patrem Daniam inſularem &c.

(*) Pag. 348. Lin. 5. poſt: *qvo Agnar occubuit.* Adde: Hic Agnar diverſus videtur ab eo, qvem exeqviale Ragnaris carmen ſtropha decima ſexta memorat, duos ergo filios cognomines habuiſſe videtur. Nec Ragnar bello cum Eyſteino geſto interfuit. Eiricus &c.

(*) Pag. 359. Lin. 14. poſt: *S. Olafus Rex Norveg. anno* 1030, adde: S. Olafi Regis frater fuit Haraldus Strenuus, a qvo Regum Principumqve familiæ in hodiernum diem profluxerunt, & conſeqventer ab hoc Auduno Islandiæ incolæ, qvam patriæ meæ gloriam ſine magna ejus injuria reticere neqveo. Aſlaug ſecunda &c.

(*) Pag. 371. Lin. 16. poſt: *Thora.* Thora locus videtur corruptus, & reponenda Aſlaug ſecundum *Chronicon Norvegicum* in vita Halfdani Nigri & *hiſt. Olafi Tryggvini* part. I. cap. I. ut mox dicetur.

(*) Pag. 372. Lin. 6. poſt: *Thora.* Nota: Aslaugis maritus fuit Helgius Acutus, Thoræ qvoqve maritus Helgius Acutus; aut ergo unus Helgius Acutus duas ſorores ſimul, aut ſuccesſive duxit, aut diverſi cognomines ſingulas, qvorum mihi neutrum probatur. Igitur pro Thora Aslaugem reponendam exiſtimo, Ingialdumqve & Sigurdum Cervum, fratres germanos, ex uno Helgio Acuto, & una eademqve Aslauge Sigurdi Angvioculi filia progenitos ſtatuendos, videturqve Thorſteinus Rufus, Olafi Albi (Amlavi) filius, Haraldum Pulchricomum, gradu, qvem ſubjecta tabula monſtrat, attigiſſe:

Sigurdus Angvioculus.
|
Helgius Acutus—*Aſlaug.*

Sigurdus Cervus.	Ingialdus.
|	|
Ragnhildis.	Olafus Albus (Amlavus).
|	|
Haraldus Pulchricomus.	Thorſteinus Rufus.

Haraldi ergo Pulchricomi auxilio, tum Sigurdus Orcadum Comes, tum etiam Thorſteinus Rufus, nixi, tantum Scotici regni agrum ſubegiſſe videntur.

(*) Pag.

(*) Pag. 376. Lin. 29. poſt: *pervenit*, adde: Hæc cum Hiſtoriis Anglicis, cum conſulere neqveam, ad ipſos Anglorum peritisſimos Antiqvarios hæc remitto. Eo ſeneſcente &c.

Pag. 383. Lin. 22. lege: qvem Jormunreco vel Ermanarico coævum fuiſſe, ac ſponſæ illius ſororem duxiſſe tradunt.

Pag. 384. Lin. 5. lege: & poſt qvatuor ſecula alter ejusdem nominis vir Aslaugem duxiſſet, Sigurdo Fafnericida & Brynhilde Budlina ſimiliter natam, id qvod de hoc ultimo tot vetuſta teſtimonia, magnam partem ſuperius â nobis adducta, ſatis evincunt; inter qvæ luculentisſimum eſt, qvod ipſius *Ragnaris Lodbrochis vita* perhibet, narrando diſtincte, qvomodo memorata Aſlaug, Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis memoratæ filia, poſt utriusqve parentis interitum, â nutritio ſuo & materteræ marito Heimere in Norvegiam triennis ſit devecta. Unde magis adhuc eluceſcit νοθεία carminis ſuperius ad pag. 335. a nobis adducti, qvo *Brynhildis* prædixiſſe fertur, aut verius (*uti nos* ad pag. 342. rationibus innixi ſtatuimus) fingitur, omnem Sigurdi Fafnericidæ progeniem cum Svanhilde, illius & Gudrunæ Giukinæ filia, interituram, id qvod illa vere dicere non potuit, ſuperſtite ſua & Sigurdi filia Aſlauge, qvæ paternum ſtemma feliciter poſtea propagavit, potentisſimarum, vel hodie, familiarum mater; Nec ſi qvis crediderit, Brynhildem ſobolem ſuam reliqvæ, qvam ex Gudruna Sigurdus ſuſceperat, proli, (cui omnia infauſta cupiebat) annumerare noluiſſe, præ-

dicto carmini illa conjecturâ fides ſatis conciliatur, ob ea qvæ de Jormunreco & Svanhildis interitu inibi habentur. Ceterum de Aſlaugis genere ſcrupulum movere poterit, qvod in *Sæmundi Edda*, cujus variæ odæ Sigurdi Fafnericidæ & Brynhildis prolixam mentionem faciunt, nil de hac eorum filiâ Aſlauge, nihil de Ragnare Lodbroche occurrat. Verum reſponderi poteſt, ingentem in omnibus *Sæmundi Eddæ* exemplaribus lacunam extare, ac deeſſe omnia, qvæ à primo Sigurdi & Brynhildis congreſſu usqve ad Sigurdi interitum, absqve dubio, olim inibi habebantur; qvæ *Ragnaris Lodbrochis vitæ* auctorem (qvi ex Eddicis hiſce odis permulta, uti ex collatione liqvet, in ſuum opus transtulit) ad manum habuiſſe, atqve inde, qvæ de Aſlaugis genere tradit, exſcripſiſſe indubium eſt. Nobis itaqve primus Ragnar Lodbroch erit &c.

Pag. 385. Lin. 3. poſt: *poſterorum ſeries*, adde: qvam ſuperius ad pag. 319. adduximus, cum genealogiis &c.

Pag. 387. Lin. 16. lege: 7. Raumus. 8. Finnalfus, alias Alfus Grandævus. 9. Svanus R.

(*) Pag. 387. Linea 17. poſt: *Alfus Senex*, adde: Alfum Senem hoc loco *Origines Norvegiæ* a Svano Rufo non derivant. Ego veriſimilitudine graduum ductus, Ulfo, hunc Alfum Senem immediate ſuppoſui, carmen *Hyndluliod* ſecutus, & alium *Originum* locum, ubi non ad Ragnaris Lodbrochis matrem, ſed ignotos qvosdam Ingimundum & Eyſteinum Alfi filios, Ulfi nepotes, Sæfarii pronepotes,

ipſius

ipſius Finnalſi abnepotes, linea ducitur, Alfumqve hunc Senem, Alfgeiris, Gandalſi patris, patrem, eundem cum Ingimundi & Eyſteini patre conſtituit. Confer, ſi libet, *Seriem* pag. 261. 320. & Analecta pag 507 & 514. 13 Alfgeirem &c.

Pag. 388. Lin. 8. lege: ſuperius lib. II. cap. IV. pag. 126. & libro III. cap. IV. pag. 261. ſententiam noſtram diximus.

Pag. 394. Lin. 11. lege: nos Regulum tantum, imo tempore, qvo Regenarius Gallias infeſtavit, non niſi piratam fuiſſe, inferius, ubi de poſterioribus Jutiæ Regulis agemus, monſtrabimus.

(*) Pag. 396. Linea 23. poſt: *Angvioculus dictus*, adde: *Arngrimus* Crymogææ lib. II. pag. m. 150. in genealogia IX. a circumſpecta prudentia ita dictum interpretatur; Angves enim acute videre, qvod veteres qvosdam forte non animadvertentes, aliam cognominis rationem finxiſſe arbitratur. Nec id ſine ratione: Tradunt enim Antiqvitates, Gormum Grandævum, filiumqve ejus Haraldum Cærulidentem, cætera Principes egregios, ſapientia tamen neqve Hördaknutum, nec Sigurdum Angvioculum, nec Ragnarem Lodbrochem æqvaſſe. *Knytlingorum* qvoqve *Hiſtoria* cap. XX. idem in Sveno Admorſæ barbæ & Knuto Magno deſiderat. Expeditionis illius &c.

(*) Pag. 401. Linea 24. poſt: *annis regnavit*, adde: Hunc *Arildus Hvitfeldius* Chron. part. 1. pag. m. 37. ex albo Summorum Daniæ Regum expungit. Knuto filius ejus &c.

(*) Pag. 416. Lin. 16. poſt: *officiumqve in Jutia*, adde: Nihilominus utraqve membrana, *Jöfraſkinna* & *Kringla*, Regem eum Jutiæ appellant, Holſatiam, ut auſtralem Jutiam, totius Jutiæ nomine complectentes, more illius Seculi, Regum titulos iis ingerentes, qvi Regibus orti, partes regnorum regebant, ut ex *Hiſtoria Halfdani Nigri* planum eſt. Aliis Holſatia gesſiſſe &c.

(*) Pag. 420. Lin. 23. poſt: *fuiſſe tradit*, adde: *Stephanius* notis ad Saxonem, lib. IX. p. 170. penes ſe eſſe tradit *vitam S. Ansgarii* â diſcipulis ejus conſcriptam & ex veteri Mſ. codice transſcriptam, ubi inter alia, Eirici hujus mentio fiat. Inter verba qvæ exprimit, legitur *S. Ansgarium freqventius ſolitum fuiſſe adire Hericum, qvi tunc ſolus Monarchiam tenebat Daniæ, ut officio prædicationis in regno ejus frueretur.* Hinc nobis opponi poterit, male Eiricum hunc inter Jutiæ Regulos numerari, ſed reſpondet pro nobis *Meurſius*, notis ad *Ælnothum* de vita S. Canuti, in procemio, *Daciæ* (Daniæ) *nomine Cimbriam apud ejus notæ Hiſtoricos appellari*, adductisqve aliqvot exemplis probat. Hareco occiſo in Jutiæ Regno &c.

(*) Pag. 433. Lin. 13. poſt: *ubi nunc Sveno legitur*, adde: vel potius, audiviſſe eum aliqvid de Sigurdo Sveno, Danis *Snarin Sven*, Sigurdi Angvioculi avo, idqve patri Hörda-Knuti applicuiſſe. De Horda-Knuti &c.

(*) Pag. 437. Lin. 3. poſt: *profluxit*, adde: conſimiliter in *catalogo Skaldorum* ſeu Poëtarum, ad

Calcem

Calcem *Chronici Norvegici*, editionis Danicæ, in Veciæ Regum Indice ex prava lectione, Eyſteinus Hellige inter Ragnarem & Biornum at Haugi inſeritur. Cum tamen *Chronicon membranaceum*, Eyſtein Beli habeat, id qvod *Verelius* ad Hiſtoriæ Hervör. cap. XX. annotavit, Celeberrimoqve *Olao Vormio* imputavit, deceptumqve prava lectione *Eddæ*, qva uſus eſt Stephanius judicavit; ubi Eyſteinum non ſatis claris literis, Eyſtein *ill* ſcriptum tradit, pro *illi* v. *illrádi*, id qvod Tyrannum interpretatur. Sed qvisqvis Hellige repoſuit, ex Beli illud convertiſſe videtur, mendum in membranam irrepſiſſe credidit, non enim vocis ſignificationem aſſecutus videtur.

(*) Pag. 440. Lin. 10. poſt: *puta primum*, adde: Hic qvoqve lapſus ſum, non enim Ottonem, Primum *Saxo* hic intellexit, nimirum poſt mortem Haraldi Gráfeldi & initium ſucceſſoris Comitis Haconis, longe poſt annum CMXLVIII. qvo Haraldus Cærulidens baptizatus erat, id qvod in tractatu noſtro Hiſtorico-Chronologico fuſius monſtratum eſt.

* * *

(*) Pag. 146. Lin. 26. poſt: *probari poteſt*. Dignisſima lectu ſunt omnia qvæ *Stephanius* â citata pagina 90. ad verba *Saxonis* Lib. 3. pag. 48. Lin. 48. ab his verbis: *Rogo navigiis exſtructo* ad pag. 92. columnæ 2dæ Lin. 5. notavit, ubi inter alia infert qvædam ex Manuſcripto veteri, colligitqve Ungvinum

primum

primum fuiſſe, qvi ritum cadavera cremandi introduxiert, qvem pro iſto Ungvino accepit, qvi apud *Saxonem* Sivaldum præcedit, Halfdanumqve Bergramum excipit, verum attentius inſpectus, emergit hic, aut ipſe Yngifreyr, aut Odinus, qvi alio, aut etiam proprio, nomine Yngius appellatus eſt, ſecutusqve videtur Manuſcripti auctor eos, qvi Freyrem, non Niordi, ſed Yngvii, id eſt Odini, filium fuiſſe ſtatuunt.

Th. Torfæi Epiſtolæ Latinæ.

Ad Conſiliarium Status MEJERUM.

Longa beneficiorum commemoratione & conſeqventi gratiarum actione, iſtum virum privatim detinere, qvi publice meretur, etiam ſi ab officio non ſit omnino alienum, illo in ſtudio illi ſatisfieri neqvit, latet enim epiſtola intra privatas capſulas, qvas ſi benefactorum fama non egreditur, velut arctiore carcere coërcita, nec dignas laudes, debitum meritis fructum, unqvam ſparget, nec memoriam beneficii latius propagabit. His itaqve in præſens misſis, inqve occaſionem, qvantumvis ſeram, qvod Tuam Illuſtrisſimam Amplitudinem attinet, dilatis, conſulto prætereo, qva qvantaqve humanitate me, poſtqvam Tibi innotui, ad nonas usqve præſentis anni calendas Auguſti, cum Te novisſime ſalutarem, complexus fueris, qvanta benevolentia immeritum proſecutus, qvanta conſtantia beneficiis erogandis intentus, memor potius officii mei & novisſimi præcepti Tui, differendas haud exiſtimo præſentes litteras, ne itineris mei ſucceſſus lateat. Nonas inqvam calendas Auguſti Tibi Tuisqve illuſtrisſimis valedixi, ſeqventi die, qvi erat Jovis, per veſperam Helſingoram navigavi, mox inde ſolvens, proximæ Dominicæ veſpere domum delatus ſum, ventos ad votum ſpirantes ſortitus. Eadem

dem navi vecta Domina Hiortin, Bergas poſtridie procul dubio devenit. Domus mea prope tota epidemica lue infecta, unius tantum famulæ jacturam fecit, uxor lecto affixa nuper revaluit, amanuenſem heſterna die idem morbus cubili intruſit, vini autem aduſti, pulvere pyrio pipereqve medicati, ſextarii prope qvadrante epoto, felici auſu, diis propitiis præſenti eum periculo liberavi, tanta mihi medicinæ peritia an fiducia. Morbi genus varium, primo afflictus, deinde liberatus, poſt triduum vel ſupra ab alio affligitur; qvod ſi eluctatus fuerit, fruſtra ſibi ſecuritatem pollicebitur, contingit enim ut vel alterum horum vel ab his diverſum tertium acrius ſuccedens tandem etiam enecet. Compertum habeo ad minimum mille homines ab initio hujus anni in præfectura Jederenſi & Dalenſi, cui Matthias Holmius antea præfuit, iſto virulento afflatu oppreſſos exſpiraſſe. Nec ego fati legem recuſo vel exhorreo, ſi tamen officii munia implere penſumqve abſolvere poſſim, ſatis vixiſſe videor, *attentaſſemqve aliqvid*, *ſi tempeſtive* domum repetiviſſem, jam vero inter alia incommoda, oblivio qvoqve eorum, qvæ dudum ſummo cum labore congeſſi, acceſſit, ita ut ordinis methodiqve ratio argumentorumqve connexio, aut pondera, licet non temere congeſta, jam tamen in uno aut alio opere non ſatis ſe pandant, id itaqve Tuæ, mi pater, curæ committo, ut qvoqvo modo in poſterum prævenias, ne otia mea nimium ſollicita procerum cura per avocationem, ut anno ſuperiori, cum alienam culpam magno meo damno luerem, interturbentur.

bentur; mihi vicisſim cordi erit, ne negligentiæ ſuſpicionem, vel Auguſtisſimo Regi, vel fidelibus ejus Miniſtris præbeam, jam nempe cœpta tamdiu intermiſſa alacriter aggrediar. Hic nempe mihi magnam partem ſuppetunt, qvibus ad ea perficienda indigeo, qvorum copiam nec precibus nec pecunia Hafniæ impetrare poteram, cum in publicis tabernis librariis non extent libri, qvibus indigui, nec eorum uſus ex publicis bibliothecis pateat, id qvod Tibi etiam, ſi meminiſti, qveſtus ſum. Ignoſce, vir optime, qvod tamdiu Te his nugis detineam, video nempe Te coram alloqvi, hinc deſiderio Tui Tuorumqve procedit ſermo vel ultra verecundiæ limites. Subit enim, qvam aperte, qvam ſincere, animi Tui ſenſa expromere conſveviſti, id qvod fiduciam majorem ingenerat, ſed abrumpendum in præſens epiſtolare colloqvium, aliaqve, ſed commodiori, occaſione repetendum. Faxit Deus Optimus Maximus, ut qvam diutisſime perpetuo rerum flore vivas, annos meos eodem ſemper felicitatis curſu excedas, Tuaqve illuſtrisſima conjux ingentisqve ſpei filius, alia occaſione etiam per litteras ſalutandus, filiarumqve triga magnarum nobilisſimarum virginum decus perpetuo felicitatis tramite incedat, procedatqve ſemper ultra. Vale, Vir illuſtrisſime, magnum meum præſidium, decusqve, meqve qva cœpiſti favoris aura afflare porro proſeqvi ne deſiſtas.

Ex villa mea Stangelandia, pridie Calendas Auguſti. Anno 1695.

Ad eundem.

Qvantum afflictisſimo rei domeſticæ ſtatu refecerit me, ipſo Archangeli feſto allatum epiſtolari monumento, extremo Auguſti conſignatum venerandæ manus Tuæ acceptisſimum ſymbolum, rudi in præſens calamo exprimere neqveo; apparet ibi ſingularis in me benevolentiæ Tuæ, inæſtimabilisqve gratiæ certisſimumqve argumentum expreſſumqve veſtigium. Sed nec admiratione caret, illo potisſimum tempore ad me perveniſſe, qvo teſtatius foret, occulto fati & latentium cauſarum nexu ita diſpoſitum eſſe, ut indigenti mihi, ſive auxilio Tuo, ſive ſolatio, abſenti pariter ac præſenti præſto eſſe, eoqve nomine, arctiore nexu, eoqve indiſſolubili me Tibi devinctum obſtrictumqve tenere debeas. Etenim præfato feſto uxor mea carisſima cum gravisſimo morbo, poſt menſtruum intermiſſum acrius ſævituro, iterum per integram hebdomadam conflictata, *mortuam vitam vivamqve mortem trahit. Si recuperandæ valetudinis certius ſignum appareret, minus in ejus perſona affligerer.* Sed committendum omnium rerum arbitro, tum afflictionis ſpatium, tum etiam terminus, qvi cuncta ad immenſam nominis ſui gloriam noſtramqve ſalutem dirigere ſolitus, nihil hic a ſe alienum faciet. Interea rebus gerendis magnum injectum eſt obſtaculum, tum ancipitis eventus, alienisſimo tempore ſuſpenſus in diverſa, rei familiaris curâ exigente diſtrahor. Qva, illâ incolumi liber, liberali otio, nemine turbante abundabam, in hoc enim caſu præ-

cipue

cipue vertitur ſundi calamitas; Pluribus perſvaſum eſt, jacturam illius, utpote exactæ ætatis fœminæ, me minus moleſte ferre. Sed vel lynce oculatiorem eſſe oportet, qvi exactum judicium de re aliena & omnino incomperta dextre ferat. Ego certe per omne vitæ tempus, præſenti ſtatu contentus, qvalemcunqve mutationem periculoſam duxi: illud animo alte infixum tenens: *Qvod ſis eſſe velis, nihilqve malis.* Sed de his fuſius qvam oportet. Cæteris qvæſo mites aures præbe. Haut eqvidem credo me Orcadenſium geſta ſatis auſpicato auſpicatum. Ad ea namqve impedienda plurima objectacula qvaſi ê compoſito ita concurriſſe exiſtimo, ut valde dubitem, an uſuram lucis una mecum unqvam capturus ſit laborioſus ille fœtus. Præterita non repetam, cum revocari neqveant. Nullam jam remoram timui, cum e litteris clarisſimi viri *Johannis Laurentii* certior factus ſum, typographum catalogo librorum Illuſtrisſimi Roſencrantii præter omnium ſpem imprimendo diutius immoratum, *Orcadibus* adhuc ne manum qvidem admoviſſe. Polliceri qvidem ſtatim poſt feſtum Michaëlis feriam ſe operam adhibiturum, ſed fide forte typographica, qvam magna cum inſolentia conjunctam, dum *Færeyæ* typis deſcriberentur, haud exiguo meo incommodo expertus ſum, ideoqve non ſine cauſa id, qvod præcedente æſtate timuit, adhuc valde veretur, ne ſc. ludibrium ludibrio cumulet, editionemqve in integrum annum extrahat, maxime cum ſciat typum illum, qvem Te, optimoqve *Mothio* noſtro auctoribus delegi, ſibi ſoli

 ſuppe-

ſuppetere, nec ad alios effugium patere, poſtqvam eum chartis admoverit. Poſtulat itaqve id, qvod prius gnaviter expetivit, nimirum ut liceat iisdem characterum formis uti, qvibus in *Færeyis* imprimendis uſus ſum, qvod & aliis eorum copia ſit, ſic enim metu qvalicunqve injecto, calcographum in officio contineri. Hæc procul dubio ad Te, mi Pater! ante abitum retuli; an item ad illuſtrisſimum *Mothium* noſtrum non perinde memini, itaqve eum ad Vos remitto, qvicqvid ſvaſeritis, probaturus. Si tamen id (qvod obnixe oro) dignaremini typographum per nuntium monere, ut editionem qvam celerrime maturet, nullus dubito, qvin monita pro imperatis interpretaturus, obſeqvium facile præſtet. Eqvidem nihil eorum, qvæ meæ poteſtatis erant, omiſi, idoneum adminiſtratorem delegi, correctorem providi, ſumtus erogavi, qvæ ex Archivis Regiis impetravi, in compendium redegi, duo exempla Bergas miſi, prima qvaqve navigatione Hafniam deferenda, unum ad ipſum *Johannem Laurentii*, alterum ad magnum noſtrum *Mothium*, Celſisſimo Proregi *Gyldenlevio* (uti Serenisſimi Regis nomine præceperat) exhibendum, qvod molis videretur majoris, qvam ut commode per Tabellarium publicum mitti posſit, cum circiter qvatuordecim ſchedas occupet; Poteram paucioribus perſtringere ni religioni fuiſſet; Hinc Serenisſimorum Regum noſtrorum, imprimis glorioſæ memoriæ Chriſtiani tertii & Friderici ſecundi, in vindicando jure ſuo ſollicitam curam, indefeſſam induſtriam, invictam patientiam,

in-

infractam perſeverantiam, perpetuam moderationem, glorioſos conatus, & profuſos ſumtus; illinc Scotorum fallaces blanditias, ſimulatam æqvitatem, phalerata verba, ficta juris præſidia, aſtuta ſupterfugia, juges procraſtinationes, occaſionum inſidias, & ejusmodi fucos fraudesqve leviter transcurrere. Præſertim cum Epiſtolæ Regiæ tam arguta brevitate, qvantum per aulicam dictionem licuit, conſcriptæ ſint, ut vix qvicqvam ſe offerat, qvod præcidi aut posſit, aut debeat, ſine horum ſilentio aut disſimulatione. Exſtant inter alia inſtrumenta duo prolixiora, prius, Transactionem inter Reges Norvegiæ Magnum Qvartum & Scotiæ Alexandrum Tertium ſuper Hæbudis & *Mannia* exhibet, illuſtre antiqvitatis luce dignisſimum monumentum, eo tutius evulgandum, qvod nulla ex parte rebus noſtris præjudicet, inſuper etiam jus Eccleſiæ Nidaroſienſis in Eccleſias Manniæ monſtret, nec qvantum ſcio alienatum; poſterius contractum matrimonialem inter filiam Chriſtiani Primi & Scotiæ Regem Jacobum Tertium. Autographa in Archivis Daniæ & Scotiæ Regum qværenda. Apographa bis vel ter ex Dania in Scotiam miſſa vanum illum metum nobis eximere poſſunt, ne his publicatis ſuggeramus iis, qvæ nobis opponant, & â qvibus ſibi caveant, cum ſingula in eorum cartophylaciis reſerventur. Utráqve in contextu ſummatim expoſui, majorem tamen fidem & auctoritatem ipſa exempla merentur. Hæc prolixius ideo perſecutus ſum, ut ſi forte providentisſimus Regis noſtri Ephorus, Illuſtrisſimus *Plesſius*, cum dies ſtipendii adjectiqve

ſubſidii in exitum anni ceſſerit, cauſam tardatæ editionis exqviſiverit, ut in promtu habeas, qvid reſpondeas. De ſubſidio dubium nullum eſt, cum *Færeyæ* hujus anni opus proſtent, qvatuor autem penſionibus æqvis, ſi ſtipendium, Te interceſſore, in poſterum ſolvi permiſerit, uterqve Veſtrum Regio mandato Vos tueri poteritis, in qvem etiam finem ejus exemplum mitto. Mitto & aliud de comparandis antiqvioribus Documentis, qvæ fruſtra ab hujus Regni Epiſcopis expetivi, tertium etiam, qvod nunqvam expetivi, ſed Illuſtrisſimus *Luxdorphius* procuravit, multorum deinceps onerum cauſam maluiſſem officio qvam perſonæ impoſuiſſet, utpote non indignam dignitatem, nec hoc exemplo novo, cum conſtet multos ex ordine Profeſſorum id expetiviſſe, & impetraſſe. Sed jam extra præfixos epiſtolæ limites, nolim & verecundiæ, abripuit me memoriæ Tuæ recordationisqve dulcedo, cæcusqve prolixi amoris impetus, qvi comitatem Tuam, morumqve commoditatem, qvam perſonam, qvam ſuſtines, aut gravisſima negotia, qvæ geris, publicis commodis dicata, reſpexit, ulterius forte & prope ad inſaniam abrepturus, ni modus chartæ modum finemqve colloqvio imponeret, ignoſce itaqve fiduciæ, qvam ingenii Tui facilitas, ſummaqve humanitas provocavit, jamqve vale, Vir Illuſtrisſime, magnum amplisſimi ordinis purpuratiqve collegii decus & ornamentum, mihiqve, ut cœpiſti, fave, qvi vicisſim, cultum qvem meritis Tuis devovi, ad ultimum usqve ſpiritum religioſe conſervabo.

Ex

Ex villa mea Stangelandia, inſulæ Cormtis Diſtrictus Carmſundenſis, ſepulchro Haraldi Pulchricomi primi Norvegiæ Monarchæ celebris, qvod longa oblivione ſepultum, me tandem inveniſſe, haud ſecus ac *Cicero* Archimedis, glorior. Ipſo die Calixti pridie idus Octobr. 95.

P. S. Hodie litteras accepi a domino *Tøndero*, hujus noſtri Diſtrictus Ryefylchenſis Præfecto, qvi mihi in memoriam revocavit, qvod *Havnia* ad ſe ſcripſerim, benignas Te aures præbuiſſe ſupplicationi ejus, de remittenda dimidia contributione, qvam vocant fortalitiorum, jamqve mecum de illa expoſtulat, petitqve ut iterum Tibi referam. Ante paucos dies in itinerum occaſionem hanc epiſtolam ſcripſi; Jam vero, Deo propitio, ſigna vitæ in uxore mea apparent, adeo, ut loqvi posſit, vi morbi magnam partem remittente. Curatio qvam amanuenſi adhibui, non ex medicorum oraculis ſed ruſticorum effatis deſumta eſt, non itaqve mirum ſi improbes, cujus tamen vim aliqvoties feliciter expertus ſum, poſthac tamen paternis Tuis conſiliis admonitionibusqve qvam obſervantisſime auſcultabo. Vale.

Ad eundem.

Liceat mihi jam qvarta vice in præclaras Tuas occupationes peccare, certus enim de teſtatisſima Tua in me benevolentia, plane mihi perſvadeo, non aliter Te hanc fiduciam interpretaturum, qvam eam ipſe concepi; volo enim ut Tu, mi Pater! præſentem rerum mearum ſtatum cognoſcas: ſatis qvidem afflictum,

K nam

nam uxor jam in nonam hebdomadam ægrotans cubili non egreditur, nec ſpes ſanitatis affulget; Famulantium unum poſt alterum idem virus afflavit, unamqve nuper famulam abſumſit; heri qvoqve amanuenſis iterum periclitabatur; Lecto & ipſe defixus, ſolus prope ſuperſtes ſum, calamitatum mearum inutilis ſpectator, ſed nec vicinia ab hac peſte immunis; Ante paucos dies juvenis qvidam ex proxima villa eadem nocte qvâ ægrotare cæpit, occubuit, idqve poſt longum intervallum, ex qvo ab eodem morbo revaluit, jamqve ad hoc littus lues iſthæc ſe diffudit. Super hæc enatum pridie veſpertino tempore in domo mea monſtrum, etiam peregrinorum nautarum, in hac ſtatione adverſis ventis detentorum, oculos in ſe convertit, prodigium certe priſco ethnicorum more majoribus hoſtiis procurari ſolitum, vitula qvippe biceps, cui bina colla, binæ qvoqve uſitatæ longitudinis caudæ, duplex dorſi ſpina, ſed invicem connexa, cor etiam duplex, cætera nihil inuſitati habet, idem utriqve capiti color, frontetenus albus, cute cætera rubra, pene eadem magnitudo, alterum tamen parum excedere videtur, juſtum aut paulo majus corporis incrementum. Hic natura gemellos meditata defecit, ego

exuvias ſtipulis farſi fœnoqve replevi.

Habes ordinem ſtatus domeſtici; qvaliter vero Havniæ res meæ procedant, parum mihi liqvet. Qvantum ex literis clariſſimi *Johannis Laurentii* pridiè allatis, cognoſco, eo ſe neceſſitatis adactum qveritur, ut coram cenſore, qvi Politiæ Magiſter uſurpatur,

cum

cum typographo jure experiri neceſſe habeat; ſcribit itaqve ſe illuſtrem Tuam Amplitudinem ea de re conſulturum, auxiliumqve imploraturum, nimirum illud eſt de qvo qverebatur, cum primum hanc provinciam in ſe recepit. Sed qvoniam id, qvod de mutatione formarum expetebat, ad Tuum optimiqve *Mothii* noſtri arbitrium remiſi, Vosqve novisſimis litteris de his diligentius ſollicitavi, perſvaſus ſum, aliqvid certi ſuper hoc negotio concluſum eſſe; Qvicqvid igitur probaveritis, ratum eſto. Sed ne in morem vertam, ut patientiam Tuam nugis meis detineam, finiam cum voto proſperitatis Tuæ, qvæ & pars meæ, nimirum ut omnia Tibi Tuisqve ex animi ſententia fluant. Vigeat uxor Nobilisſima, vigeat filius Nobilisſimus, vigeant virgines Nobilisſimæ floreantqve!

Ex villa mea Stangelandia 11 Cal. Decembris. — 95.

P. S. Vix credo has litteras ante feſtum natale ad Dominum meum perventuras; ſi tunc ſub exitum anni de ſtipendio & ſubſidio monuerit Illuſtrisſimum *Plesſium*, alios de intercesſione non ſollicitabo.

Ad eundem, d. 16 Januarii 1696.

Qvinta jam vice ad Illuſtrisſimam Amplitudinem Tuam ſcribo, primas literas tantum redditas ex acceptisſima Tua epiſtola præcedente autumno cog-

novi; qvid reliqvis factum ſit, juxta cum ignarisſimis ſcio, jamqve Tabellarius publicus Stavangrienſis qvasdam epiſtolas, privata fraude in itinere interceptas poſſeſſoribus, periiſſe qveritur, an inter illas una pluresve mearum fuerint, æqve incertus ſum. Non eo arrogantiæ procesſi, ut reſcribi poſtulem, ſignificatio, ſive per famulum, ſive præſentium latorem Dominum Severinum Erasmum, omnem de interitu earum ſcrupulum eximet. Præſentem rerum mearum ſtatum, cum ſciam Tibi curæ eſſe, libenter retexo, is nempe toto ſuperioris anni ultimo qvadrante fluctuans, uxore mea in ſingulas horas cum morte confligtante, tandem in luctum orbitatemqve deſivit. Pia enim morte 19 Decembris abſumta, terrena cœleſtibus mutavit, tertio menſis hujus die ſepulturæ mandata. Tandem etiam hæredibus ejus ſatisfeci agris & obligationibus, itaqve ad ſolvenda nomina ſalario meo impenſe indigeo, Tuaqve intercesſione ut ſolutionem ejus procures, humillime expeto, meqve *impetraturum confido*. Nec *jam longiore* ſermone Te, mi Pater! detinebo, finiam cum voto, nimirum ut præſens annus felix fauſtusqve Tibi Tuisqve illuſtrisſimis partis decoribus plura cumulatioraqve adjiciat, Vobisqve me ipſum humillime dedico.

Ad eundem.

Nondum curam mei animo Tuo excidiſſe ex ſvavisſimis literis Tuis, ſub exitum præcedentis anni 28 Decembris

cembris ſcriptis, ſed 23 hujus menſis oportune allatis, non minore delectamento, qvam emolumento percepi, nec fruſtratus ſum opinione de occulta illa fati lege, qvæ Te mihi præſentem abſentemqve pariter admovit. Dum enim uxor mea exanimis intra tecta in apparatum funeris detineretur, Tu conditionis meæ ſtatusqve, domeſtici plane ignarus, meis commodis invigilaſti, indigentiam qvalemcunqve prævéniſti, mœſtitiam innata humanitate & ſumma benevolentia leniviſti. Videris in agendis pro merito gratiis, tandem mihi etiam vocem præcluſurus; ſemper tamen meminero. Primus fuiſti, mi Pater! qvi teſſeram nummariam tam mature ex Camera mihi mittendam curaſti, qvæ interdum in annum, interdum ultra, poſtremo in ſesqvi tertium dilata, profectionem in Daniam, mox diuturniorem moram, uti noſti, cauſabatur; cum tamen ad imprimendum qvicqvam eorum, qvæ ſcripſi, ex officio minime obligarer, id qvod ex exemplo Regii Diplomatis, qvod ad Te miſi, facile obſervaſti. His moleſtiis me in poſterum, Te curatore levatum iri, amici qvidam Havniæ, ingenii Tui haut ignari, jam dudum præſagiebant; & qvidem Illuſtrisſimus noſter *Mothius*, cum ex multis ejus in me collatis beneficiis hoc unum ſuggesſiſſem, qvod commendatione ſua gratiam Tuam mihi conciliaſſet, id ſolum imputabat, reliqva, qvamtumvis magna, disſimulavit. Summa cum voluptate ex Te, mi Pater! jam primum cognovi, (procul enim ab oppido Stavangrienſi, procul â publica tabellarii viâ domicilium meum di-

ſtat) intimi Conſilii Collegio eum inſertum eſſe, qvod ei felix, fauſtum, fortunatumqve faxit terreſtrium cœleſtium numinum arbiter! Confido me inter cætera ingentia decora, aureum ê cervicibus ejus gemmatumqve ante pectus dependentem elephantem brevi conſpecturum. Ornamentum in Illuſtrisſimum *Plesſium* recens, ut ſcribere dignatus es, ſed meritisſime collatum, a Serenisſimo Rege, qvod tanto Heroi bono publico nato nemo bonus invidebit, ſed præter invidos & iniqvos, omnes, inter qvos & ego, impendio gratulantur, ſed nec limis oculis, aut invitis auribus auctum dignitatis Tuæ felicitatisqve progreſſum in ſingulos dies exſpectandum, vel ſpectabo vel hauriam, cum utrumqve ardentibus votis expetam; Finiit jam uxor mea, nota ſuperis mendica dum vixit, qvæ poſt Regiam domum pro Te Tuisqve, ut & optimo noſtro *Mothio*, duorumqve inſuper Mæcenatum incolumitate & ſucceſſu, flexis genibus ſuplex qvotidie cœlum fatigabat. Liceat enim ſimplex illud ruſticumqve domus arcanum Tuæ fidei committere. Cui id munus demandem, jam ipſa orbatus habeo neminem, ipſe ſuſtinendo impar, velle tamen cupere, optare Vobis Veſtrisqve omnia fauſta feliciaqve, eaqve interminata, nunqvam deſinam. Reſpondiſſe votis faventisſimum mihi filiolum Tuum gratulatoriâ oratione ad Serenisſimum Principem Hæreditarium in tam verendo conſeſſu habita, Tibiqve ſatisfeciſſe, impenſe gaudeo, auſpiciumqve & tyrocinium gloriæ ejus, Tuæ Illuſtrisſimæ Amplitudini, ipſiqve his literulis (velim bona venia his incluſis) ſincerè gratulor,

lor, certe inter maxima nationis noſtræ decora exteri reputabunt, tam variis ſtudiis facultatibusqve exculta & exercitata nobilisſimorum puerorum ingenia. Qvod typographum ad officium redacturum Te confides, rem magnam præſtas, ſed valde neceſſariam, mihiqve longe acceptisſimam. Reges ſunt iſtarum officinarum, Rectores & vim regni expertus ſum, qvam tamen Te auctoritate Tua coërciturum credo. Poſtqvam exemplum primæ philuræ ſeu plagulæ accepi, qvid præterea impreſſum ſit, plane neſcio, neqve enim ullas litteras â Clarisſimo *Johanne Laurentio* accepi, nihil tamen de ejus fide aut induſtria dubito, expertus enim ſum eum eſſe virum bonum. Qvod hoſpitem me iterum Vobis accedere vultis, ago gratias, nam & hic conſvetam Veſtram humanitatem agnoſco. Nec mihi aliud optatius aut magis e re mea eſſet, qvam Vos præſentes alloqvi, ſi hoc ſtatu domo peregrè proficiſci tutum eſſet, perqve occupationes liceret, decrevi enim non *Seriem* modo *Regum Daniæ* adornare, adqve cenſorem hac æſtate mittere, in proximum annum Deo duce imprimendam, ſed ea etiam qvæ in Hiſtoriam Norvegicam commentatus ſum, jugi ſtudio & indefeſſa induſtria recoqvere. Rem ſane arduam, nam & fabuloſa reſecanda ſunt, nec tamen omnino rejicienda. Extat *Diodori Siculi* hiſtoria mythica, qvem tamen Græcorum primum deſiviſſe nugari *Plinius* cenſuit. Fabuloſa autem veris ſecernere, valde difficile eſt, diſcrepantibus doctorum judiciis, cum qvod alii ad hiſtoriam, idem alii ad fabulas referant, neutri ſine

ratione,

ratione, ſed manum de tabula. Finio cum ſumma & tantum non immortali gratiarum actione, pro rara humanitate, gratuitis beneficiis, ſollicita ſimul & conſtanti mei abſentis cura, qvam vel ad ungvem monſtrat exacta a Nobilisſimo Aſſeſſore & Secretario *Lettio* in re evidentisſima teſtificatio, viro ſane eximio, qvem, Te ſubornante, libellum ſuplicem in Camerâ raptim ſuperiori anno pro me concepiſſe, hodieqve memini. Vale Vir, illuſtrisſime, publice domiqve felix, ad Neſtoreos annos vitam proroga, meqve, qvo cœpiſti, favore Tuo ſubleva, patrocinio protege.

Ultimo Jan. 1696.

Ad HERMANNUM MEYERUM, prioris filium.

Nobilisſime Domine, mi Ocellule!

Dudum qvidem *mihi perſpecta eſt, carisſime Meyere!* felicisſimi ingenii Tui ſingularis alacritas, indefeſſa induſtria, & exſpectatione major in diverſis artium exercitiorumqve generibus profectus, qvi magno me ſæpe gaudio perfudit, ideoqve haud immerito laudum Tuarum præconia ubiqve celebravi, jam vero ſparſam per ingentia continentis ſpatia ſecundisſimam in hac ætatula nominis Tui famam etiam maria tranſcendiſſe, tandem etiam ad aures meas perveniſſe, nolo Te ignorare. Labio qvippe Gallico Serenisſimi utriusqve Regni Principis ſolennia feſtiva oratione celebraſſe

celebraſſe perhiberis, adeo feliciter, ut neqve Te Sacræ Regiæ Majeſtatis præſentia, nec Sereniſſimæ Reginæ auguſta gravitas, nec Regiæ familiæ præilluſtris ſplendor, non illuſtriſſimi ordinis verendus venerandusqve conſeſſus, non generoſæ Nobilitatis aſpectus, non deniqve circumfuſæ totius aulicæ coronæ erecti in Te exſpectatione ſimul & admiratione defixi vultus oraqve, ulla ex parte terruerint. Macte ſis hac generoſi animi fiducia & excelſa indole, cui nihil in poſterum impervium futurum tuto Tibi perſvadebis; Alios forte ætatis tyrocinio labi contigiſſet, Tu æqvalibus omnibus, imo Te ipſo, major, poſt tantum ſpecimen nullum caſum extimeſcas. Non tantum ſatisfeciſti iſti auditorio, qvo majus orbis non habet, ſed etiam ejus exſpectationem viciſti, ſatisfeciſti Illuſtriſſimi patris Tui inexhauſtæ in hac ſolum materia aviditati, gloriamqve Ejus Tuâ cumulâſti; ſatisfeciſti amicis, nominisqve Tui inqve dies creſcentis decoris ſtudioſiſſimis cultoribus, inter qvos ſi ordine, affectu tamen poſtremus haberi nolim. Perge qvo cœpiſti, inqve ſingulos dies adde gradum, donec ſcopum attigeris, id vero conſeqveris, ſi noctes diesqve cogitaveris, qvo patre natus es, pioqve & generoſo æmulatu, illum non æqvare ſolum, ſed etiam ſuperare contendas; Adſpiret cœptis conatibusqve Tuis præclaris cœleſte Numen, cujus protectioni Te Tuaqve omnia commendo. Vale, mihiqve in poſterum, ſicut cœpiſti, fave, qvi ſum ſemperqve ero Tibi deditiſſimus.

Ad Conſiliarium Status MEYERUM.

Has litteras cum publico Tabellario mittere decrevi, cum Nauclerus ille, qvi feſto Michaëlis præcedentis anni exempla compendii epiſtolarum inter Serenisſimos Daniæ Scotiæqve Reges ultro citroqve miſſarum ſuper re Orcadenſi, Bergis Havniam, ad Illuſtrisſimum *Mothium*, alterum ad clarisſimum *Johannem Laurentium*, perferenda accepit, in hunc portum inſperato poſt tantam peregrinationem appulit, tanto intervallo in itinere detentus; interim accepi literas â clarisſimo *Johanne Laurentio*, qvi majorem in modum de Typographi injuriâ qveritur, ſed Tuis promisſis erectus occupationes Tuas excuſat, iterum itaqve ut Te adeat, ſimul & illuſtrisſimum *Mothium*, poſtulo, nullus dubitans, qvin *Regem* illum brevi compeſcatis.

Idibus Februarii. Anno 1696.

Ad eundem d. 18 Junii.

Binæ ad Illuſtrisſimam Amplitudinem Tuam, prior menſis Januarii die 16, poſterior ultimo, â me ſcriptæ literæ, receptæ ne ſint, an offenſam meruerint, pariter ignoro; Si hoc, certe, qvo es ingenio, venia penſabis, ſin illud, penes publicum Tabellarium culpa manet, ultimæ cum *Johanne* qvodam, Domini *Georgii Claudii*, unius ex Camera ſcribæ exercitoris, Nauclero miſſæ, alias ad Nobilisſimam Dominam

meam

meam, uxorem Tuam, alias ad ſummæ exſpectationis filium Veſtrum, incluſas tenebant, qvorſum reciderint neſcio. Res meas qvod attinet, in eodem qvo antea ſtatu ſunt, nec mutationem molior, cum placeat præſens conditio. Fine menſis hujus qvadrantes duos ſolvendo ſtipendio â Sereniſſimo Rege clementisſime præfinitos præteriiſſe Te minime latet, ſed qvicqvid Tibi placet, placet & mihi, certus me, cum occaſio affulſerit, abs Te minime negligi, de contributionibus, qvas Kopſchatt & *Conſumtion* vocant, ad Collegium Cameræ ſcribo. Exigit illud horum redituum Redemtor *Matthias van Tanchen*, nec ſolutionem abnuo, modo juſte exigatur â prædio ruſticano, perinde ac nobilium agris, pependi hucusqve, qvo jure, neſcio. Idem Illuſtrisſimo *Pleſſio* qveſtus ſum, etiam Tibi, ſi recte memini; Pari certe alacritate Regia tributa ſolvo, qvâ ſtipendia accipio. Veſtrum erit providere ut rite poſcantur. Nec jam ulterius Te detinebo.

d. 14 Calend. Julii 1696.

Ad eundem.

Qvas proximo undecimo Julii ad me dignata eſt Nobilisſima Amplitudo Tua literas ſcribere, menſis hujus 13. accepi, una cum teſſera nummaria ad Præfectum Regiorum redituum Clarisſimum *Reichium*. Accepi & alias cum Ampliſſimis Collegis abs Te ſubſcriptas; Stipendia illæ conferunt, iſtæ tributorum

rationem, nimis mihi hucusqve impeditam, explicant. Optime igitur abs Te proviſum eſt, cum mei curam pro ſolita benevolentia in Te receperis, ut habere poſſim tanqvam in promtu unde ſolvam qvod imperatur. Tantum certe abeſt, ut de defectu favoris & gratiæ Illuſtrisſimorum virorum qvi Ærario Regio jamdiu præfuerunt, vel minima ex parte qveri poſſim, ut iis me etiam ſummopere obligatum agnoſcam; poſtqvam tamen benignius fatum Te mihi admovit, ingens mutatio ſecuta, ad indubitatam ſeqventium temporum ſpem me erigit, cumqve gratias reddere neqveam, ago tamen, qvàm poſſum, maximas, mihiqve impenſe gaudeo, qvod tanqvam in fido portu certam ejus ſpem habeam repoſitam. Accedit hæc benignitas ad cœpta pridem beneficia, qvorum me perpetuo debendorum reum agnoſco & profiteor. Novi occupationes Tuas, novi Illuſtrisſimæ conditionis amplitudinem, novi meam qvoqve ſortem. Non Te diutius detinebo, id ſaltem addam, ut omnia Tibi Tuisqve *Illuſtrisſimis ex animi ſententia cedant*, adqve *ſanam mentem in ſanis corporibus* accedat cœleſtium numinum inexhauſta indulgentia, terreſtrium qvoqve perpetua gratia, virtutum præmia, honorum gloriæqve incrementa, potentiorum perennis favor, æqvalium ſincerus amor, minorum indefeſſa ſtudia, familiarium clientumqve pia obſeqvia, univerſorum ſingulorumqve, bonorum tamen, bona judicia, fortunarum interminata accesſio, ſuprema pia placidaqve, hæredes optati, fama poſt

fata

fata ſecundisſima, eaqve ad poſteros immortalis, &, qvod omnia ſuperat, cœleſtis gloria.

Die 20 Auguſti. Anno 1696.

Ad eundem, die 23 Novembr. -- 96.

Paucos ante dies, ſine tabellarii, ſine Tuorum ullius indicio, certior factus ſum, literas, qvas præcedentis æſtatis 20 Auguſti, ultimas, ad Illuſtrisſimam Tuam Amplitudinem ſcripſi, bona fide redditas eſſe. Decreveram itaqve aliis iterum meritisſimi obſeqvii debitam conſtantiam declarare, inqve eum finem ad proxenetam Bergenſem literas mandataqve dedi. Miſi ſimul hiſtoriæ Norvegicæ tres primos libros ad Illuſtrem noſtrum *Vindingium*, ejus cenſuræ ſubjiciendos, utrumqve, ut conjicio (utinam falſo) irrito conatu; ſero enim autumni, ob internuntios non tam raros qvam intempeſtivos, Bergas pervenerunt. Periclitatur itaqve ſors deſtinati ad cenſorem operis, qvod hac ipſa hyeme recognitum optabam, ut ſi proximo vere poſt Dominicæ Reſurrectionis feſtum Hafniam, Deo annuente, devenero, typis mature imprimi posſit. Te interim cœpto more de viatico mihi proviſurum confido, cum dies ſtipendii fine anni ceſſerit, qvod hic ſuggesſiſſe ſuffecerit. Parum mihi adhuc de *Hiſtoriæ Orcadenſis* fato conſtat, impreſſane ſit, an nova aliqva difficultas enata, moras, ut aſſolet, injecerit. Scribo nunc ad Clarisſimum *Johannem Laurentium*, ut ſi abſoluta ſit, exem-

plaria ſub auſpicium novi anni Sereniſſimo Regi Regioqve Principi hæreditario, qvibusdam etiam Miniſtrorum Illuſtriſſimis qvædam; in his Tibi, mi Pater! unum, alterum Nobiliſſimo filio offerat. Qvod ſi curſus operis imprimendi abſolutus non eſt, diſſenſus forte Miniſtrorum circa controverſiam de redimendis inſulis publicandam in cauſa eſt, penes me certe nulla culpa, cum omnia, qvæ mihi hac in parte incumbunt, penitus abſolverim, nec ſic ut reddendorum actorum ratio Illuſtriſſimorum Miniſtrorum arbitrium perinde meæ ſint poteſtatis, id qvod Illuſtriſſimum *Pleſſium*, Te, ſi opus fuerit, ſuggerente, haud gravate obſervaturum minime diffiteor. Has qvalescunqve litteras vix ante exitum anni, aut natale Redemptoris noſtri feſtum ad Te perventuras, cum temporis, tum intercedentis viæ ratio certo perſvadeat, & hic, & qvi ſeqvitur, annus, & qvi naſcuntur ab illo, cum novis ſemper fortunæ ſecundioris incrementis, novo decorum auctu, Tibi Tuisqve Nobiliſſimis continuo curſu, ad votum usqve feliciter procedat, *Deum optimum maximum* veneror, meiqve meminiſſe ne pigeat, venerabundus oro.

P. S. Vix finem impoſui huic epiſtolæ, cum fortuitus nuncius affert Nobiliſſimi noſtri *Sperlingii* literas, XI. præcedentis æſtatis Julii ſcriptas, eodem nimirum die, qvo Tu, mi Pater! noviſſimas ad me ſcripſiſti, miſit & exemplar *Commentarii* ſui *in Teſtamentum Archiepiſcopi Abſalonis*, qvo jam circiter tres horas fruor, nec ſine magna admiratione ſimul & oblecta-

oblectatione inſpicio informorqve. Reſcriberem ex tempore, Tuisqve hiſce includerem, ni verecundarer. Gaudeo officio ab illo præventum eſſe, ſed ſine rubore, nam & illi editionis Orcadenſis exemplar unum asſignavi, anteqvam ejus accepiſſem. Scribam Deo propitio cum occaſione. Tandem & una literas clarisſimi *Johannis Laurentii* 22 Auguſti exaratas nactus in ſpem erigor, emerſuram tandem multum jam, diuqve, oppreſſam rerum Orcadenſium notitiam.

Ad Johannem Laurentzsen, die 7 Jan. 1697.

Seqventia velim obſervari (*in Hiſtoria Orcadenſi*): 1) In præfatione hiſtoriæ ſcripſi *Buchananum* virum in Archivis regni verſatisſimum. Delendum: *in antiqvitatibus patriis verſatisſimum*, nam Fridericus 2dus in inſtructione ſua privata Legatis communicata, negat eum, ut & *Hectorem Boëtium*, archiva excusſiſſe. 2) Sedulo obſervandum an Hialtlandia territorio Orcadenſi accenſeri debeat, appertinentiarum, ut vocant, nomine. Scripſi cap. 1. lib. 1. ſub finem eam imperio Orcadenſium ad Sverreris Norvegiæ Regis tempora ac ultima memoria paruiſſe, confer cap. 39. ubi habetur, qvod Rex Sverrer Comiti Haraldo Hialtlandiam cum omnibus reditibus ademerit, fiſcoqve aſſeruerit, qvæ nunqvam deinceps Comitibus Orcadenſibus paruerit, confer. etiam cap. 40, ibi enim ſcribo qvod Comites Orcadenſes in Orcades Hialtlandiam reſtituti fuerint,

rint, verum mihi illam relationem de Hialtlandia eſſe ſuſpectam &c.

Patet ex præcedentibus à tempore Sverreris exemptam ditioni Orcadenſium fuiſſe Hialtlandiam. Prope finem qvoqve lib. 2di habetur, qvod Rex Chriſtianus I. Orcades pro 50000 florenis Rhenanis oppignoraverit; deinde die 20 Maji ejusdem anni Hialtlandiam pro 8000, id qvod ſuperiora confirmat; jam vero tot legationibus, tot proteſtationibus, nunqvam Hialtlandiæ mentio facta eſt, nunqvam 8000 pro redemptione pignoris oblata. Inde veroſimile Anglos de Hialtlandiæ poſſesſione certaturos, itaqve inſtrumentum illud, qvod *Arild Hvitfeld* de oppignoratione Hialtlandiæ citat, ſedulo inqvirendum, ſcribit enim eodem jure modoqve hanc procesſiſſe, qvo Orcadum, ergo ſemper poterit redimi, non enim tempus poſſesſionis ſed titulus conſiderandus. Hæc velim Illuſtrisſimis Viris, qvibus harum rerum cognitio committitur, qvam modeſtisſime ſuggerantur.

Ad Conſiliarium Status MEYERUM, die 11 Febr. 1697.

Nimium forte tardavi in agendis gratiis pro iterata jam totiens ſollicita mei cura, acceptisſimoqve tam propere maturati ſalarii beneficio; rara illa alacritas, cum petitionem meam aut omnino prævenias, aut ſine ulla mora præſtes, qvo nomine (nec eo ſolum, plura enim memoriæ, qvantumvis labili, alte tamen impreſſa hærent)

hærent) cum obligatisſimus ſim, ago gratias, qvam poſſum maximas. Diſtuli in hunc usqve diem reſcribendi officium, eo qvod in ſingulos dies literas a Domino *Johanne Laurentio* jam diu exſpectaverim, qvibus de *Orcadum* progreſſu certior fierem, qvas tamen impreſſas credo, cum ex novisſimis ejus cognoverim 28 Novembris anni præcedentis paucas plagulas reſtaſſe, verum vetuiſſe Auguſtisſimum Regem ut in publicum prodirent, ni univerſus juris Ejus contextus ſimul edatur, inde moram temporis in editione maturanda facile perſpicio, excutienda archiva ſunt, nec perfunctorie, indeqve elicienda ſingula qvæ cauſſam Regiam vel ſublevant vel aggravant; unum eſt qvod ſcrupulum movet, nimirum de inſulis Hetlandicis, an earum redemptio cum Orcadibus conjuncta ſit, an ab iis ſeparata. Orcades hypothecæ expoſitas eſſe pro 50 millibus florenorum Renenſium in confeſſo eſt, jam vero *Arildus Hvitfeldius*, & eum ſecutus *Pontanus* (qvos ego ſeqvor) ſcribit dotem in univerſum 60 millia florenorum Renenſium dictam fuiſſe, qvorum decem ante abitum ſponſæ e Dania annumeranda eſſent, ob impenſas autem in bellum Sveticum reddi neqviviſſe, tantum duo in præſens ſoluta, pro reliqvis vero octo Hetlandiam pignori expoſitam, eodem qvo Orcades tenore. Noſtri autem Reges tabulas dotales ſecuti, ea ante abitum ſoluta perhibent, etiam ſoluta fuiſſe exiſtimantes, nunqvam ſeparatim de Hetlandia redimenda egerunt, ſed redemptionem illius ſub Orcadibus comprehendentes, tantum 50 millia obtulerunt, id qvod

ex literis Sereniſſimi Friderici Secundi & legatione in Scotiam anno 1585 directa manifeſtum eſt, ſcribit enim datam fuiſſe dotem Margaretæ Sereniſſimi Chriſtiani Primi filiæ ſexaginta millia florenorum Rhenenſium, qvorum decem ſtatim ſoluta ſint, pro reſidua autem pecunia Orcades cum adjunctis inſulis, & qvæ ad illas pertinent, jure antichreſeos cum omnibus fructibus, emolumentis & commodis, pignori vel hypothecæ datas, cum itaqve de Hetlandiæ redemptione tot ſeculis non fuerit interpellatum, metuo ne Angli eam ſibi reſtituendam arbitrentur, id ſi vel maxime ex uſu ſuo ita interpretentur. Sunt inſtrumenta dotalitia in Scotiam ſæpius miſſa, qvæ ſingula illuſtrare poterant. Obtulit etiam Sereniſſimus Fridericus Secundus Sereniſſimæ Scotiæ Reginæ Mariæ Stuartæ conditiones tractationis æqvas & honeſtas, fœderumqve tabulis qvam maxime conſentaneas, ideoqve rogavit, ut illa diem locumqve haud *nimium* diſſitum, ſed rebus iſtis agendis idoneum, *præſcriberet*, qvo *cum mandatis idoneis ſuos Commiſſarios* mitteret, *de negotiis omnibus invicem diligenter* collaturos, acturosqve cum Reginæ Commiſſariis. Hæc ego ideo ſcribo, ut ſi forte archiva regia excutiantur, Tu, Pater Illuſtriſſime, hæc poſſis ſuggerere iis qvibus id negotium mandatur, mihi enim videtur multo majus emolumentum ex Hetlandia qvam Orcadibus ſperandum, ob ingentem illam halecum capturam, qvæ, ſi recte memini, cruentum bellum inter Anglos & Batavos Cromvelli tempore, inter alias cauſſas haud poſtrema, excitavit. De his forte coram, ſi

con-

contingat me ad Vos hac æſtate deferri, ſtatui enim bono cum Deo poſt feſtum Paſcatis eo proficiſci, jam vero magnus metus incuſſus eſt, poſtqvam rumor de imminente bello ad aures noſtras pervenit, id qvod Deus clementer avertat.

Ad OTTONEM SPERLINGIUM, die 10 Febr. 1697.

Indignaberis forte, idqve non ſine cauſſa, qvod ad humanisſimas acceptisſimasqve literas Tuas tam diu obmutuerim, nec pro elegantisſimo *Commentario in Archiepiſcopi Abſalonis Teſtamentum* gratias egerim. Sic eſt, Vir optime, ſed ſero autumni utrumqve ad me perlatum, undecimo Julii abs Te miſſa, 23 Novembris huc pervenerunt. Exinde nulla navis hunc in portum devenit, impenſis autem, qvæ in Tabellarium publicum erogantur, parcendum duxi. Scripſi tamen ad Illuſtrisſimum noſtrum *Meyerum*, eiqve ſignificavi redditum utrumqve propenſioris in me animi Tui ſymbolum, eoqve nomine gratias, qvo ſerius hoc impenſius, ago, agnoſco inſuper benevolentiam Tuam, ob ereptam carisſimam conſortem mihi condolentem; Qvid jam agam ſcire deſideras; fallo tempus meditationibus in libellum, qvem juvenis ſcripſi, *Seriem* nempe *Dynaſtarum Regumqve Daniæ*, inſcribendam Serenisſimo noſtro Principi hæreditario, prout in prologo in *Færeyas* pollicitus ſum; revideo etiam *Hiſtoriæ Norvegicæ* primos libros, qvorum

tres ad Illuſtrem *Vindingium* miſi, ſed navium defectu Bergis detenti vernam primam navigationem exſpectant; Decrevi etiam, Deo propitio, iter ad vos poſt feſtum Paſchatis adornare, ſi id per piratas tutum videbitur. Judicium meum de *Commentario* Tuo in *Teſtamentum Abſalonis* exigis, rem certe ſupra meum captum. Abſit adulatio, vitium, ſi cui, certe mihi, admodum exoſum, utpote ſervile, ingenuisqve indignum. Dudum novi Te eſſe longe doctisſimum, in iſto ſtudii genere tam lynceum nunqvam mihi perſvaſi, magna cum admiratione, magna cum voluptate legi, non enim voces modo barbaras Tibi politisſimæ latinitatis ſectatori juxta cum his cognitisſimas, ſed etiam omnium ſeculorum ritus ſtatumqve lubens animadverto. Exemiſti mihi inveteratum errorem de Saxonis noſtri officio ſtatuqve. Abſalonis genealogiam utinam adjeciſſes, â Palnatochio Vagnoqve ortum eſſe, vel ipſorum in iſta familia totiens occurrentia nomina perſvadent, an etiam ad Kroka-Refum Islandum referre posſis, aveo ſcire, ibi enim conceptis verbis ſub finem habetur Abſalonem ab eo prognatum eſſe. Pag. 38. nomina propria minus recte videris perpendiſſe, dum qvod Dani *Aagi* Norvegis *Hacon* eſſe opinaris, *Aagi*, illis *Aki*, nomen Friſiis adhuc in uſu; ſed & hæc nomina diverſa ſunt *Hakon*, *Haki*, *Aki*. Nec alia memini in opere illo notatu digna, itaqve ſubſiſto, Teqve, Vir nobilisſime, divinæ protectioni commendo, & qvo favore adhuc proſecutus es, eodem porro me dignari ne graveris, obnixe oro.

Ad

Ad Conſiliarium Status MEYERUM, die 9 Septembr. -- 97.

Cum notum ſatis asſiduisqve in me collatis beneficiis perſpectum ſit, qvantam mei rerumqve mearum curam geſſeris, inqve poſterum geras, par eſt ut Tibi ſignificem me jam, Deo propitio, domum perveniſſe, & prandio proxima Dominica, æſtu tantum ferente, Helſingöra anchoras ſolvimus, leni poſtridie aura, interdum adverſa flante, cum die Martis exortus ab oriente ventus tanto impetu navem impulit, ut 25 horarum ſpatio 50 milliaria confecerimus, heſterno veſpere, feria nimirum qvarta, domum redii. Ego Tibi Tuisqve omnibus gerendis aut obtinendis multis paraſangis ampliorem ſucceſſum voveo optoqve, qvi in perpetuum vivam, dum ſpiritus hos regit artus, Illuſtrisſimæ Amplitudinis Tuæ obſeqventisſimus cultor cliensqve.

Ex villa mea Stangelandia, die 9 Septembris 1697.

P. S. *Arnæ Magnæi*, popularis mei, memorem eſſe Te rogo; hic patrocinium Tuum certo ſibi pollicetur, & dignus eſt, qvem in clientum Tuorum numerum admittas. Qvod ſi ille honeſta vivendi ſubſidia Te interceſſore â Clementisſimo Rege impetraverit, magnæ id Tibi gloriæ fiet, novi enim ingenium hominis; non tacebit ille beneficia Tua, ſed qvæcunqve ei feceris gratus divulgabit. Præterea Tuæ hujus operæ publicum non poenitebit; Etenim anti-

antiqviorum monumentorum dives eſt, & plura qvotidie colligit, ê qvibus ea aliqvando luci daturus eſt, qvæ per illius inopiam interire aut ſepulta jacere ê reipublicæ literariæ re non eſſet.

Ad Conſiliarium Status, Meyerum.

Mæcenas meus perpetuus & indefeſſus, Illuſtrisſimus *Mothius*, nullo unqvam merito, ne meriti qvidem ſpecie aut imagine, imo ne umbra unqvam provocatus, ſuperiore anno ſemel atqve iterum mandavit mihi per internuncium, *Arnam Magnæum*, ut Illuſtrisſimæ Amplitudini Tuæ agerem gratias, pro rara, nec in tali forma exſpectata, fidemqve ſuam ſuperante, commendatione ad Auguſtisſimum Regem; nec mandaſſe contentus, ſollicite inſuper cum ipſum abiturus ſalutarem, reqviſivit, an & idem fecerim. Et curam illius & teſtimonium de tanto beneficio, ſi non qva par erat grati-animi teſtificatione, aut eloqvii, qva deſtituor, ſvada, ſimpliciter tamen retuli, jamqve utriqve Veſtrum, qva poſſum, animi devotione gratias habeo agoqve. Sed nec his limitibus circumſcribi ſe paſſa eſt ingens Tua erga me bonitas, favor & gratia; vellit jam aurem amicus meus *Johannes Laurentius*, proqve jure ſuo poſtulat, ut Excellentiæ Tuæ (utor nimirum ipſius formula) gratias qvam impenſisſime agam, qvod decimas, qvas me interprete vice penſionis expetebat, benignisſime procuraveris. Id qvod ego, ut eſt, vere magnum beneficium agnoſco,

& gra-

& grato, ut par eſt, animo, tanqvam in me ſolum collatum, amplector. An & Dominus *Arnas Magnæus* Stipendium Regium Te promotore aſſecutus ſit, adhuc neſcio; Scribet ille hoc cum impetraverit. Ego qvoqve reſiduum penſionis meæ exſpecto, qvippe de cura Tua omnino indubius. Nec jam diutius tempora Tua publicoqve dicatas occupationes morabor. Fauſtum felicemqve Tibi cum Illuſtrisſima familia præſentem annum & omnia votis meis majora ex animo opto, qvi jam climactericum magnum, ſi vitam ad 27 Maji divina clementia indulſerit, ingredior.

12 Januarii. Anno 1698.

Ad eundem, die 3 Junii.

Cum ſuperiori anno debitæ erga Te obſervationi conveniens duxerim, ut certiorem de incolumitate mea & abſoluto feliciter itinere facerem, ſtatim â reditu id per literas ſignificavi, deinde poſtqvam ex Domino *Johanne Laurentio* cognovi qvam alacriter cauſam ejus promoveris, initialis hujus anni menſis 12, ipſo exigente, brevi epiſtola gratias egi, incertus adhuc alteram harum an utramqve acceperis, inſcriptione qvantumvis ad Cameram directa; ſimul duorum ſalarii qvadrantum, qvorum dies præcedentis anni fine eeſſerat, commonefeci, nullo adhuc ſucceſſu, id qvamvis minime novum, emergentibus identidem causſis, qvæ ſolutionem morantur, tamen

poſt-

poſtqvam Te patronum nactus ſum, jam primo contigit, & illo potisſimum tempore, cum penes Te totius Ærarii directio eſſet, cum tamen antea etiam interpellationem prævenire conſveveris; Reſarcies autem qvicqvid hic omiſſum eſt, ſi integrum, qvatuor nimirum qvadrantes, exitu menſis hujus, qvo totus annus ſtipendio præfinitus circumactus eſt, intercesſione Tua apud Illuſtrisſimum *Plesſium* procuraveris. Manuſcripta qvæ filio Tuo promiſi, ita me abſente confuſe compacta ſunt, ut pluribus voluminibus interſperſa ſint ea, qvorum unicum ſaltem exemplar ſuppetit, qvod cum mihi omnino & ſine exceptione retinendum ſit ad uſus qvotidianos, curabo ut ea cum tempore exſcribantur; cætera deinde, prout hæc abſolvuntur, mittam, qvatuor in procinctu ſunt idonea occaſione mittenda. Interim mei non dememineris.

Ad eundem, die 11 Dec. 1698.

Novi anni auſpicia felicisſima, incrementa feliciora, extrema optatisſima!

Si nihil aliud mihi ab Illuſtrisſima Amplitudine Tua præſtitum eſſet beneficium, qvam epiſtola novisſima 3 Julii more Tuo ſcripta, id eſt omni humanitatis & benevolentiæ ſvavitate fragrantisſima, ſola tamen me Tibi abunde obſtrinxerit. Qvid dicam de præteritis, qvorum nexu nec cupio unqvam ſolvi, nec poſſum;

poſſum; publicam merentur notitiam, nec, ſi Deus diuturniorem vitam indulſerit, deſperandum de ſucceſſu. Qvod graviter jacueris, gravius doluiſſem, ſi id prius qvam reſtituta & confirmata valetudine cognoviſſem, qvam proſperrimam in poſterum & ultra ætatis meæ metas longævam voveo. Redditos eſſe libros, qvos ad Nobilisſimum filium Tuum miſi, ex eo qvi reddidit, cognovi, etiam alacriter injectam de Stipendio Regio ſpem, qva valde erectus, in exſpectationem firmatur, ſed moræ diuturnitate neceſſario frangitur, cum ſubſidia omnino reqvirantur, nec hoc ſtatu aliunde parabilia. Tria adhuc volumina reſtant in proximam æſtatem deſtinata. Mandata Stipendii ſolutio, ſine mora ſecuta eſt. Pro tanta cura & irrevocabili teſtificandæ profuſæ gratiæ conſvetudine impenſe gratias ago; jam qvoqve, cum reſiduum fine hujus anni ceſſerit, eadem opera indigeo.

Seriem Regum Daniæ proxima æſtate typis deſcribendam Domino *Arnæ Magnæo* tradidi, jam non minore necesſitate *Hiſtoriæ Norvegicæ* præmittendam, qvam incogitantia, imo temeritate â principio in me receptam, cum glorioſisſimæ memoriæ Domini mei Regis poſtulatis refragari nefas duxerim, nec tamen, qvid poſtularetur, perpenderim, nec vires meas; nunc demum qvid ad hoc reqviratur, & adhuc tamen per caliginem video, & plura qvæ explicari omnino neqveunt agnoſco. Literas Amplisſimi Collegii ad Qvæſtorem Finnmarchenſem *Benedixſonium* prima hujus anni navigatione miſi, cum inſtrumentis omnibus uti præceptum erat, ſingula

ſe accepiſſe teſtatur ſua manu, & adhuc apud ſe retinet, tantumqve abeſt, ut pecuniam de ſalario Præfecti *Lilienſkioldi* decerpſerit, ut nullo me reſponſo, etiam ſecunda navigatione ſollicitatus, dignatus fuerit; cumqve plauſibile non ſit metum Præfecti, an amicitiam Ampliſſimi Ordinis obſeqvio & reverentiæ prævalere, induco in animum reſponſum, ſive ab illo, ſive ipſo Præfecto, ad Cameram datum eſſe, qvod qvalemcunqve replicam obtendat, verum cum ſingula inſtrumenta in Collegio excuſſa ſint, nec ullus exceptioni locus obſervatus, obnixe peto, ut Illuſtrisſima Amplitudo Tua dignetur, ſive per Scribam ærarium *Petrum Erasmi*, (ad qvem etiam ea de re jam qvoqve ſcribo) ſive alium qvemqvam, me facere certiorem qvid conſulas; aut ſi nihil tale intervenit, ut mei ratio posſit haberi, cum rationes ipſi ad Ærarium referendæ ſunt; ſecus Veſtra gratia, qva mihi conſulere voluiſtis, ne indemnis qvidem futura eſt, cum inſtrumenta in ſua habeat poteſtate; Hæc Te inconſulto ad Collegium ſcribere nolui, ideo his Tuis illius literas incluſi, ut ſi videatur, per alterum posſint exhiberi, ſin minus, ut inanes negligi, qvarum exemplum præſens. Mihi perſvaſum eſt, ſi ad Cameram nihil ſcriptum eſt, primo vere, Deo volente, collybo illum convenire. Hanc tantam animi mei fiduciam toties expertæ bonitati Tuæ qvam meæ temeritati malis adſcribere. Finio cum omnimodæ proſperitatis ad finem usqve vitæ continuandæ voto devotisſimo.

P. S.

P. S. Illuſtrisſimæ conſorti cum liberis Nobilisſimis cum novo anno felicisſima qvæqve exopto, filiumqve Signiferi officio ornatum libenter audio impenſeqve gratulor.

Ad Secretarium Archivi ARNAM MAGNÆUM, die 14 Jan. 1699.

Ad ea qvæ hac epiſtola de Genealogiis repetis, reſpondi antea, jam deinde collegi Genealogias qvas *Eyolfus* ex libro Reſeniano exſcripſit, & contuli cum his decem qvas Tu collegiſti, & concordant, cætera vero, qvæ *Långfedgatal* continentur, una Tecum ut frivola rejicio, in illo forte erravi, qvod illa priora, decem nempe illas generationes, *Långfedgatal* inſcripſi, ſi titulus emendetur & Codex Reſenii pergameneus tantum reponatur; Tuto poſſum dicere hoc ſchema me inde excerpſiſſe. Urges præterea non recte me generationes has ab Odino derivare, ſed hoc non aſſeqvor, nam præter qvod in his genealogiis habetur, in præfatione ante Skioldum, explicit pag. 1ma, incipit 2da, cujus prima linea deeſt, conficiturqve ex reliqviis abſciſſarum literarum qvæ ſupra duas poſteriores columnas viſuntur, hanc lineam non aliud fuiſſe qvam nomen *Odin* ſupra ſingulas columnas pictum. *Codex Flateyenſis* hæc probat, qvi Odinum Skiöldi patrem facit, ut & *Edda* in præfatione ſev prologo, & ipſe *Snorrius Sturlæus* in ſuo Chronico, qvi Skiöldum Odini filium fuiſſe tradit, Gefionem duxiſſe & Lethræ habitaſſe.

Danum fuiſſe Olai filium, utraqve, Reſeniana & Tua, Genealogia, ut & *Codex Flateyenſis* conſentiunt, nihil ſubeſt cur non liceat mihi errorem ejusdem Membr. alio loco oſtendere, cum nec ipſum probem, ipſe qvoqve *Saxo* Uffonem Dani patrem ab aliis Olaſum dictum tradit, *Snorrius* Danpum vocat, neutrum dogma ullis rationibus infringere poſſum, ſeqvitur ergo, qvod aut duos habuerit patres, duos avos, qvod abſurdum, niſi vitricos ſtatuamus, qvod probatione eget; aut fuerint binomines, nec hoc omnino abſurdum, cum Sigurdus Hringus & Ofeigus Grettir, & ſi qvi plures, duo propria nomina geſſerint; Sed nec certum qvod Rigus & Danpus propria nomina ſint, poſſunt eſſe appellativa, ut *Rigur* faſtuoſum, & *Danpur* ſordidum, denotent, qvod vero hi duo provinciales Reges fuerint & tertius Danus Daniam invaſerit, cur omni autoritate deſtitutus ſtatuam, non video, qvin & Rigum, non Danum, primum Regis titulum uſurpaſſe ex *Snorrio* colligo: *Móder Dyggva var Drótt, dotter Danps Kóngs, ſonar Rigs, er fyrſtur var Kongur calladur á Danſka tungu.* Hoc neſcio qvomodo ad Danum applicari posſit, cujus mentio hic non fit, qvodſi ergo Rigus primus Regis titulum uſurpavit, inter minorum gentium Reges ex dignitate numerari non poteſt, qvod ſi omnino hanc opinionem de invaſione Dani & diverſo ſtemmate, qvam aliqvando ſecutus poſtea damnavi, libet inſerere, nihil certe annorum numerus in Seriem redactus inde turbatur, nam ſynchronos tunc fuiſſe oportet, Vermundo Rigum, Olaſo Danpum,

pum, Danumqve Olafo per vim exturbato ſucceſſiſſe; Itaqve nihil ſcio qvid in 5to Capite mihi corrigendum ſit, ſecurus itaqve qvid alii opponant, Codicum auctoritate, & fide qva illos exſcripſi, & candore qvo diſſentientia loca exprimo, me tueor.

Ad Conſiliarium Status MEYERUM, die 20 Junii 1699.

Nimia forte mora in agendis pro noviſſimis Illuſtriſſimæ Amplitudinis Tuæ literis, procurata Stipendii tam matura ſolutione, & (ſi recte conjicio) commendatione ad Qvæſtorem provincialem Bergenſem *Reichium*, alii (non Tibi, mi Pater!) ſuſpicionem injeciſſet, periiſſe apud me præteritorum beneficiorum, tot tantorum gratiæ Tuæ pignorum, ſenſum omnem & memoriam, ſi tam recentis oblivio me ex tempore cepit, ſed â domeſtico mœrore, qvi mora plerumqve leniri levariqve ſolet, confirmatum, qvam recentiore vulnere ægrum, compellare malo, jam enim mihi per amici cujusdam literas ſpes injecta eſt ſucceſſorem in nuptias filiæ qvoqve ſucceſſurum. Nec tamen adhuc expiſcari poteram qvænam filiarum tam aſperam ſortem experta ſit. *Uldaricam Eleonoram* Domino *Bieringio* deſponſatam, anteqvam Hafnia diſcederem, novi, *Fridericam Amaliam* vix adhuc nubilem, nedum viduam, exiſtimem; Eam qvæ in Holſatia eſt, viduatam prius, denuo viduam mihi fingo. Qvæcunqve tandem ſit, feliciſſimum totius vitæ inſe-

qventis curſum numenqve propitium tuto ſibi pollicebitur, præſertim ſi virgo in ipſo fortunarum ſuarum limine tam graves ictus perpeſſa eſt. Cujus, Veſtrumqve, Mæcenatum optimi, vices cum gravius indoluerim, hoc ſolatio me ipſum evexi; Talis enim calamitas magnæ fortunæ congiaria prænunciare ſolet. Nam candidus ille favonius in adminiſtrationis domeſticæ exordio prudentioribus plerumqve ſuſpectior, in patria qvoqve mea proverbio tali carpitur: " Betri er húsbruni enn hvalreki á fyrſta búſkap- „ ar ári ": *Melius eſt incendium domus primo villicationis anno, qvam ceti appulſus;* hic nempe ibi inter fortunatisſima reputatur, qvippe cum ſingulis fundorum dominis appulſus & alluvionis jura integra & illibata maneant; Certe qvod Tibi Tuisqve ominor, id etiam ex animo voveo & exopto, magnaqve fiducia Vos conſecuturos mihi perſvadeo. Nunqvam in ſtipendio perſolvendo *Reichius* ſegnis fuit, jam vero nova alacritate adeo properabat, ut ſtatim poſt acceptas Excellentiæ *Plesſii* literas, *in domum virginis* â me delegatæ deferendum curaret, *id* cum ſpei, qvam ex epiſtola Tua concepi, ad amusſim reſpondeat, qvin Tua commendatio interceſſerit, nullus dubito. Eo itaqve nomine ſuper cætera, eaqve immortalia, maximas ago gratias. Fine hujus menſis ſemeſtris qvoqve hujus anni clauditur, an & ſimul Clementisſimus Sereniſſimi Regis in biennium indultus, an fine anni, Tuæ interpretationi relinqvo. Anno 97 *Orcades* excuſæ ſunt, nec eo anno ultra obligabor.

Qvic-

Qvicqvid decideris, *Series Regum Daniæ* in officina typographica jam imprimitur, parsqve, ut ſpero, prima ante novi anni initium abſolvetur, idqve ſub inſpectione Domini *Arnæ Magnæi*, proſperiore, ut auguror, fato, qvam *Orcades* nuperrime; qvæ correctoris incuria & calcographi importunitate corruptisſime excuſæ, pudendum mihi ruborem immeritò ſuffundunt; ſolum in damno remedium, qvod paucos adhuc emtores invenerint. Niſi moleſtum ſit etiam ſalarii hujus anni partem, Te interceſſore exſpecto, nolim enim in annum, nedum ultra, differri, gnarus minutiora corpora, minus umbroſa: nomen hoc, inter cætera, bona fide agnoſcam. Apographa priſcorum monumentorum tria, Nobilisſimo filio Tuo reddet amicus meus *Arnas*, ſi Tua gratia tandem ſublevatus, etiam hoc nomine me obnoxium reputo. Qvod reliqvum eſt, fauſta omnia, eadem perpetua, inqve ſingulos dies auctiora, Tibi, mi Pater! Tuisqve voveo, imo auguror, & qvantum in me eſt, etiam ſpondeo, ni forte augurium vani docuere parentes, caſum enim hunc inter magnæ fortunæ præludia reputo, nec ego hic inter Sabinos, qvod volo, ſomnio. Vale! ſed vive, & culmen probitatis, qvod tenes, æternum retine, mihiqve inter clientes Tuos locum, qvem dediſti, conſerva.

12 Cal. Julii 1699.

Die

Die 7 Septbr. ad eundem.

Unam, eamqve noviſſimam, toto hoc anno ad Te ſcripſi epiſtolam, qvam amico meo *Arnæ Magnæo*, una cum tribus voluminibus Nobiliſſimo filio Tuo tradendis, die 20 Junii miſi. Redditane ſint, adhuc ignoro. Cumqve mei curam ab illo tempore, qvo Tibi innoteſcere cœpi, (qvod meo incommodo nimis ſero) ſollicite geſſeris, etiam inqvirere digneris, qvousqve proceſſerit impreſſio libri, *Series Regum Daniæ* inſcripti, qvem excudendum Bibliopola *Liebius*, corrigendum *Arnas Magnæus*, ſuſcepit, nullam enim certiorem cognitionem de his accepi. Noſti tamen, qvanti mea interſit. Ignoſce fiduciæ, qvam feciſti, qvæ (ſi vel maxime ad impudentiam usqve proceſſerit) tamen jam reflante aqvilone, urgente qvoqve Nauclero, manum de tabula retrahi cogit. Vale.

Ad Comitem de REVENTLOW, die 28 Novembr. 1699.

Ne ego aditum mihi, acceſſusqve in poſterum ſpem & occaſionem omnem, in ipſo prope limine ambiendæ exoptatiſſimæ gratiæ Tuæ, Celſiſſime Comes! præcluſerim, ſi obſignatis tabulis Tuam Excellentiam, in tam excelſo dignitatis gradu conſtitutam, ſine prægnanti cauſſa (præſertim cum veniæ per interceſſores expetendæ ſpatium non ſuppetat) appellare non verecundarer; Sed cum meo ſenſu & judicio adverſus

religio-

religioſam muneris Tui dignitatem magnopere peccaturus videar, ſi tanto rei literariæ publico patrono inſcio & præterito ſuplicem ad Sereniſſimam Regiam Majeſtatem libellum alio ablegarem, â temeritatis crimine me, Tua qvoqve ſententia, abſolvendum confido. Et ſi judicia noſtra non diſcrepant, hautqvaqvam numero eorum eximendum, qvi Celſiſſimi officii Tui ſpeciem juſta æſtimatione conceperunt, & digna obſervatione venerantur. Propitias itaqve aures præſentibus poſco. Inter alia ingentia beneficia, huic menti penitus inſculpta, forſitan & propitio numine ad memoriam poſteri temporis ſempiternam qvandoqve propaganda, magnus ille Rex, qvem fatis terræ, non tanti boni capaci, commodatum, luctuoſo civibus diſceſſu cœleſte Numen patrio cœlo nuper aſſeruit, ad munus *Hiſtoriæ Norvegicæ* conſcribendæ me qvoqve admovit, cui haut paucos annos immoratus tantum profeci, ut duas priores partes primi â ſalutifero virginis partu millenarii geſta complectentes, proximo vere cenſoris judicio transmittere decreverim, primo qvoqve tempore typis deſcribendas; Præceſſerunt tria volumina, *Ferӧæ* nempe & *Orcades*, qvorum exemplaria, qva par erat obſervantia, Magnificentiæ Tuæ exhibita ſunt; Tertium jam imprimitur, qvod *Series* ſummorum *Daniæ Principum Regumqve* inſcribitur, Annalium Islandicorum fide concinnatum, ſed mandato Regio omni laude majoris Domini mei Clementiſſimi Friderici Tertii conſcriptum, qvod & ipſe inſpicere, me qvoqve præſente, etiam approbare dignatus eſt, verum cum ido-

neorum documentorum defectu multa ibi prætervila ſint, ad tanti Regis, tam clementis Domini, ſanctisſimam memoriam recolendam illud redintegrare viſum eſt, id qvod Sereniſſimi Principis, nunc Auguſtisſimi Regis noſtri fauſtisſimo nomini, jam dudum præfatione in *Færöas* atteſtante, conſecrare deſtinatum, cæteroqvin *Hiſtoriæ Norvegicæ* neceſſario præmittendum, ſine qvo parum omnino ea in ordinem digerenda profeciſſem. Reddet illud forte, ut ſpero, otii mei etiam longioris qvalemcunqve rationem, nec mei ſolum, ſed etiam magnarum qverelarum, qvas hiſtoriarum concinnatores ſcriptis ſuis infarcire ſolent, qvos cum talibus atqve ego larvis conflictatos fuiſſe dubio caret. Sed ordinem, qvem pro ſuo arbitrio elegerunt, nullius examini ſubjecerunt, cum ego ex adverſo fundamenta, qvæ ſeqvor, & qvæ iis contraria ſunt, omnia & omnibus retexam. Hæc etſi pluribus; qvam forte gravisſimis occupationibus Tuis, Illuſtrisſime Comes! convenit, *expoſuerim*, *tamen* cum *ſupplicationis* meæ *ſcopum Tuæ Excell.* velim eſſe notisſimum, qvam potui paucisſimis. Supereſt itaqve, ut, cum Clementisſimus Rex officiorum confirmationem ſuplicibus libellis expeti Regia benignitate mandaverit, ego qvoqve inter alios fidem meam, & peculiariter in hoc munus ſacramento obligaverim, ut humillimis precibus Illuſtrisſimam Tuam Excellentiam ſollicitem, velit pro congenita inſigni & omnium ore celebrata humanitate, qvam omne genus virtutibus condecoratam cum ſummæ nobilitatis inſignibus conjunxit, pro ea mihi qvo-

qve

qve impetranda apud Clementiſſ. Regiam Majeſtatem ponderoſisſima ſua commendatione intercedere; Qvod ſi inſpectio ſcripti, qvod ſub incude teritur, etiam reqviritur, præeſt illius inſpectioni Clariſſ. *Arnas Magnæus*, popularis meus, qvi præſentes exhibet, actutumqve producet, qvantum typis excuſum eſt, etiam cætera, ſi poſtulantur. Mihi, cum tantam gratiam expetere liceat, eandem grata mente agnoſcere & religioſe venerari pariter licebit. Qvod ſupereſt, pro incolumitate Excellentiæ Tuæ Deum veneror, velit illam multum diuqve conſervare.

Die 28 Novbr. ad Dominum de PLESSEN, à Conſiliis intimis. 1699.

Olim qvidem omnium ore celebrata mitisſimæ Tuæ humanitatis gloria me qvoqve impulit, ut obſignatis tabulis Excellent. Tuam appellandi impetum ſumerem, ſed poſtqvam ſingularis gratia, magnis ſtatim beneficiis conteſtata, me qvoqve arctioris obligationis nexu implicuit, non ultra decantatisſimæ celebritatis, ſed expertæ bonitatis fiducia, idem ut faciam, admonet, & feciſſem dudum, ni mendax fama interveniſſet, qvæ tamen in ipſo mendacio integritati Excell. Tuæ teſtimonium cæteroqvin conſenſu omnium firmatum haud pœnitendum perhibuit. Nam ab adminiſtratione Ærarii revocatum, ſupremæ totius Aulæ Præfecturæ admotum diſſipavit, id qvamvis ei condono, cum congruum moribus, congruum

 meritis,

meritis, congruum populi, ſi non votis, certe judicio, figmentum ſparſerit (neqve nempe inviſis & pravis talia attexuntur) me tamen usqve adeo deterruit, ut de iis, qvæ ad Ærarium pertinent, Tuæ Excell. ſupplicare minime auderem. Jam vero melius edoctus longeqve confidentior ſuplicibus hiſce precor, ut qvod, Tua Excell. conſcia & annuente, ſtipendii augmentum ſuppliciter expetivi, & profuſa Regis, ſine exemplo optimi, clementia impetravi, feliciſſima ſua interceſſione apud Auguſtiſſimum Regem noſtrum anniti velit, ut mihi in poſterum una cum ordinario ſalario Regia munificentia confirmetur. Scripta in publicum edita nota ſatis; *Series* Summorum *Daniæ* Principum *Regum*qve ad Islandicarum antiqvitatum harmoniam, juſſu & auctoritate glorioſiſſimæ memoriæ, Regis, Domini mei Clementiſſimi, Friderici Tertii, concinnata, incudi reddita eſt, parsqve, ut ſpero, qva primus liber continetur, typis excuſa, opuſculum, illo qvidem vivo conſcriptum, nec ſine gratia exceptum, *jam triplo auctius deſtinatum* dudum *Sereniſſimo Principi, jam vero Auguſtiſſimo* Regi, inſcribendum, id ut ſpero æqvis cenſoribus otii mei, qvamvis longioris, rationem reddet. Parum certe in *Hiſtoria Norvegica* profeciſſem, niſi hunc laborem prius exantlaſſem. Duæ præterea partes *Hiſtoriæ Norvegicæ*, geſta nimirum primi a nato Chriſto millenarii, primo vere Cenſori mittendæ approperantur. Hæc ſunt qvæ Illuſtr. Tuæ Excell. humillima ſubjectione exponenda duxi, ne qvid eorum, qvæ hucusqve conſcripſi, lateant. (De confirma-

firmatione officii, cum ad Cancellariam pertineat, Illuſtrisſimo Cancellario Magno *Reventlovio* ſcripſi.) Si qvæ ultra ſuper libro, qvi inprimitur, reqviruntur, ea Archivarius Regius Clariſſ. *Arnas Magnæus*, qvi illius curam gerit, fideliter exponet, impactumqve librum primum, ſtatim cum abſolvitur, Serenisſimo Regi devotisſime exhibendum curabit. Hanc in ſola bonitate Excellent. Tuæ fundatam fiduciam pro congenita humanitate Tua mihi condonari ſuplex oro; Simul etiam cœleſte Numen pro perpetua Excellent. Tuæ totiusqve domus proſperitate ſuplicibus precibus veneror, meqve ut in humillimorum clientum Suorum numero habere dignetur, votis devotis expeto.

Ad CHRISTOPH. GENSCH VON BREITENAU.

QVod Excellentiam Tuam rudi hoc epiſtolio accedere non verecunder, non eo fit, qvod vel ſummæ Tuæ ſortis gravitatem, vel conditionis meæ tenuitatem ignorem, ſed qvod utriusqve probe conſcius, hanc illi humillime ſubmittendo debita veneratione hac per præſentes occaſione commendare cupiam; Cum enim ex novisſimo tabellario publico inter cætera de ſtatus Ærarii Regii reformatione etiam Tuam Excellentiam inter ſupremos adminiſtrationi Præfectos Triumviros ab Auguſtisſimo Rege medium conſtitutum cognoverim, officii qvoqve mei, qvod impenſis Regiis ſuſtinetur, eſſe duco, hanc excelſi gradus dignitatem juſta obſeqvii conteſtatione votisqve

proſperis, qvam impenſisſime gratulari. Fateor qvidem me duobus faventisſimis patronis Illuſtrisſimis, *Pleſsio*, *Meyero*qve, hac vicisſitudine orbatum; Verum cum officium meum, literario otio conſecratum, eruditum qvoqve æſtimatorem reqvirat, nihil acceptius accidere potuit, qvam Te mihi potisſimum obtigiſſe, nam & celeberrima *Breitanavii* fama, jam diu ante novam recentis honoris clarisſimam lucem ubiqve teſtatisſima, poſtremi qvoqve officii longe amplisſimi dignitate illuſtrata, etiam ad hanc domunculam, octoginta milliaribus Germanicis Hafnia, longius etiam Oldenburgo disſitam, dudum pervenit, nec ſine propenſi in *Hiſtoriam Orcadenſem*, tunc cum imprimeretur, affectus gratioſiqve favoris teſtificatione, referente Aſſeſſore Domino *Johanne Laurentio*, qvo nomine Illuſtrisſimæ Tuæ Excellentiæ immortales ago gratias, Deumqve veneror, velit inſignem hanc dignitatis accesſionem diu multumqve conſervare, & omnimoda felicitate perpetuo cumulare; Cum igitur neceſſarias preces apud Tuam Excellentiam inter cæteros Triumviros humillime deponere tenear, ſupplicibus hiſce precor, ut cum Clementisſimus Rex officiorum confirmationem ſuplicibus libellis expeti Regia benignitate mandaverit; Tua qvoqve Excellentia pro ea mihi in poſterum impetranda, una cum ordinario ſalario & augmento ſtipendii, qvod profuſa Regis ſine exemplo optimi liberalitate hucusqve obtinui; apud Auguſtisſimum noſtrum Regem ponderoſisſima ſua commendatione intercedere dignetur. Scripta in publicum edita, *Færeyæ* nimirum & *Orcades*

cades nota ſatis. (*Reliqva ut in epiſtola proxime præcedente.*)

Ad Comitem de REVENTLOU, die 22 Novembr. 1700.

Cum certo mihi conſtet literas meas in limine hujus anni a Magnificentia Tua ſine offenſa receptas eſſe, nec tamen voti compotes factas, tardius, qvam res exigebat, allatas exiſtimo, nec prius qvam concluſum erat, ut loco ſtipendii, qvod huc usqve obtinueram, ſingula qvæ publicarem ſcripta, apta compoſitione penſarentur. Veniam igitur, qva par eſt, humilitate expoſco, qvod Excellentiam Tuam, Celſisſime Comes! iterum hac epiſtola compellare non dubitem, idqve haud minus operis publico deſtinati nomine, qvam privato meo. Suplex itaqve peto, ut Auguſtisſimo Regi animi mei in omnibus, qvæ mihi injungit & imperat, exſeqvendis promptitudinem, comparemqve huic in nonnullis partibus implendis fiduciam exponere, ſed virium defectum in univerſis excuſare dignetur. Opus, qvod *Series Regum Daniæ* inſcribitur, jam impreſſum fuiſſet, niſi hujus anni calamitas calcographorum operas turbaſſet, cujus cum ante anniverſarium reviviſcentis Salvatoris feſtum ad umbilicum perducendi tota ſpes decollaverit, aliud, ſed longe ſuccinctius, *Hiſtoriam* nimirum inter celeberrimos Daniæ Monarchas famigeratisſimi *Hrolfi Krakii* (Danice *Krag*) præmittendum curavi, circa

ſeqventis

ſeqventis anni primordia, Deo duce, exhibendum. His & forte aliis minutioribus producendis parem me profiteor. *Hiſtoriæ* vero *Norvegicæ*, meis impenſis, omnino imparem, cujus rudem & indigeſtam molem Excellentiæ Tuæ, ſi forte meminerit, ante aliqvot annos inſpiciendam exhibui. Amanuenſes hic, correctores apud officinam typographicam, uterqve perpetuo reqviruntur, ut impenſas in chartas typosqve taceam, cuncta ſupra facultates meas, ſi hactenus clementiſſime conceſſum Regium ſalarium ſubducatur, qvo ſine totum opus jacet, qvod hactenus eo usqve perductum eſt, ut partes priores cenſuræ, mox etiam prælo, ſubjici, reliqvæ interea perfici, omnes deinde ſine intermisſione & pauſa imprimi posſint. Id qvod *in* me recipio, ſi vitam Deus & ſalvam ſalutem, Rex ſtipendium, qvod felicisſimæ memoriæ Pater Ejus indulſit, nec id nimiis exactionibus aggravatum, clementer reſtituerit, conſervabiturqve poſteritati, etiam hac in parte utriusqve immortalis memoria, *veſtibuliqve operis frontiſpicium hujus Auguſtisſimi Nominis auſpiciis*, ſed ſolius, inſignietur. Nec Celſitudinis Tuæ gratiam, aut aliorum illuſtrium qvi intercesſione ſua præſidio fuerint, poſteritas ignorabit. De cætero Celſitudinem Tuam cœleſti Numini, me vero exoptatisſimæ Tuæ gratiæ, venerabundus commendo.

Ad

Ad Dominum de Plessen, die 22 Novembr. 1700.

Vir Illuſtrisſime, Mæcenas & patrone gratioſisſime!

Cum lætus mercurius omnibus jam diu exoptatisſimum Illuſtrisſimæ Excellentiæ Tuæ reditum propediem Hafniam exſpectandum, rebus ex omni parte proſpere geſtis condecoratum, nobis qvoqve, qvantumvis remotis, nunciaverit, inter publicam lætitiam tantam felicitatem, tam auſpicatum maximarum rerum progreſſum, ego clientum Tuorum minimus ex animo gratulor. Sed ne longiore proloqvio gravisſimas occupationes Tuas publico conſervatas intempeſtive morer, humillime ſupplico, ne Excellentia Tua gravetur hodiernum rerum mearum ſtatum ex præſentibus cognoſcere, mox etiam fiduciæ, qvam Ipſius benevolentia provocavit, ignoſcere, cujus indubitatum teſtem una mitto, exemplum literarum, qvas in vertentis anni limine ad Excellentiam Tuam ſcripſi, ab internuntio cognita ſubita mutatione remiſſas; Nec obſcure, ſed conceptis verbis, Excell. *Breitenavio* per epiſtolam 3 Martii exaratam, teſtatus ſum, qvantis in Excellentia Tua, *Mejero*qve, patronis orbatus fuerim, de cujus licet, qvippe viri optimi, promptitudine in his meis promovendis ſatis mihi ſignificatum ſit, maximum tamen pondus acceſſurum novi, ſi vel per occaſionem calculum adjicere Tua Excellentia dignata fuerit. Poſtulato Regio abunde ſatisfieret, ſi animi alacritatem, rei qvoqve

familiaris conditio æqvaret, vel opimius qvoddam munus, cui una adminiſtrando non impar eſſem, præſentem necesſitatem ſuſtineret. His dum deſtituor, jacet opus tantis impenſis luci deſtinatum; cujus primam partem, nec illam perexiguam, hac eadem æſtate Cenſoris judicio, indeqve receptam prælo ſubmiſiſſem, ni nervus tantæ rei gerendæ ereptus fuiſſet. Mox cæteræ partes, prioribus abſolutis, haud interrupto ordine ſeqverentur, neqve nimirum in poſterum materia incudi reddenda defectura videtur, exiiſſetqve ſub finem hujus anni editio *Seriei* Serenisſimorum *Daniæ Regum*, circa qvam operæ typographicæ calent, ni improviſa tempeſtas horrendas iſtas ferias procudiſſet, intra tamen Feſtum Paſchale abſolvenda mihi promittitur, qvam circa novi anni initia *Rolfi Krakii Hiſtoria* Deo Duce præcedet. Domi Amanuenſes, foris correctores, chartarum vis ingens, inqve calcographos haud exiguæ impenſæ in tantum opus reqviruntur. Qvod æternitati ab optimo Rege deſtinatum, ne æternis tenebris mancipetur, una mecum Excell. Tuæ intercesſionem apud Regem Auguſtisſimum noſtrum ſupliciter implorat, nec iſtius gratiæ memoria delebitur. Diffuſius de his ad Ampliſſ. *Meyerum* ſcribo, ne Excellent. Tuam longiore alloqvio detineam. Deum veneror, velit ut in perpetuum qvam excelcisſime floreas.

Ad

Ad Comitem de Alefeldt, die 22 Novembr. 1700.

Celſisſime Comes!

Stolidæ temeritatis culpam incurrerem, Celſisſime Comes! ſi absqve præparata venia palatii Tui januam pulſarem. Verum, cum ſummæ Nobilitatis ornamenta decantatisſimus humanitatis Tuæ genius, propenſum in omnes non omnino indignos benevolentiæ ſtudium, omnegenus eruditionis mira celebritas, eam non tantum honeſtioribus omnibus patere voluerit, ſed etiam tanqvam extenſo infinitæ longitudinis ponte disſitisſimos qvosvis ſibi junxerit, tuto per illum inceſſu præluſtria Celſitud. Tuæ limina, atqve eo confidentius præſenti epiſtola accedam, qvod me qvoqve qvondam etiam in Celſisſimi patris Tui intimum conclave admiſſum meminerim: Deferam itaqve illius ſcopum, cui propitias aures expoſco. Cum exſuperantis bonitatis &, qvantæ mortalitas capax eſt, clementiæ ſingulare exemplar, glorioſiſſ. memoriæ Rex, Patriæ Pater Chriſtianus 5. omnia pietatis juſtitiæqve munia implere deſtinaverit, poſtqvam regnis ſuis, proſtratis ſæpius hoſtibus, ſecuritatem cum ſubſecuta felicitate procuraſſet, jura legesqve prudentisſime ſanxit. Et ne rerum qvoqve geſtarum gloria in poſterum carerent, Hiſtoriam gentis Norvegicæ mihi conſcribendam mandavit, qvod novit me in aula Optimi Regum, Patris Sui, antiqvis ſeptentrionalibus in Danicam lingvam transferendis adhibitum,

tum, cujus rei monumenta adhuc in Bibliotheca Regia ſuperſunt. Magnam ergo partem illius conſcripſi & in ordinem digesſi, plura congesſi, præmiſi qvoqve ſpecimina majoris operis, Færeyenſium Orcadenſiumqve geſta. Jam in eo eram, ut partem operis primam ad Cenſorem mitterem, mox calcographo typis vulgandam redditurus, cum ſtipendium omne, qvod liberalitate ſummi Regis ad tanti operis perfectionem deputatum erat, momento adimitur, locoqve ejus præmium pro ſingulis, qvæ eduntur in poſterum ſcriptis, æqvum decernitur. Mihi conſtitutum eſt Regiæ voluntati qvam obſeqventisſime obtemperare, etiam ſupra vires meas facultatesqve, in qvem etiam finem liber, qvi *Seriem* generis ſuccesſionemqve præcipuorum *Daniæ Regum* ad Svenonem usqve Eſtritium (nam de reliqvis non controvertitur) continet, ſub incude teritur, qvem, qvod ſpe tardius in lucem prodit, alter de *geſtis Rolfi Krag* Daniæ Regis præcedit. Hiſtoria autem Rerum Norvegicarum, facultatum mearum rationem ſuperat. Ne igitur tot annorum impenſæ Regiæ, tot vigiliæ laboresqve & deſtinata poſteritati majorum notitia, & qvod caput eſt, tanti optimi Regis meriti gratia pereat, inter Illuſtrisſimos Proceres Celſitudinem Tuam in cauſæ tam favorabilis præſidium per præſentes humillime ſollicitandam duxi, ut ſuper hac re cum Celſisſimo Cancellario Magno, cui jam iterum de his ſuplico, colloqvi, ſuaqve gravisſima intercesſione perficere dignetur, ut apud Serenisſimum Regem operam navet, ut tota res in priorem ſtatum reducatur.

catur. Reſtituto ſtipendio cum prima navigatione partem operis primam, nec eam qvidem exiguam, ad Cenſorem mittam, receptamqve typographo, ſine ullis Regiis expenſis imprimendam, tradam; nec liber tanti beneficii immemor, gratiam iſtam poſteritati celabit, cujus & ego perpetuus debitor felicisſima omnia Tuæ Excell. cum Illuſtrisſima Familia apprecor.

Ad Conſiliarium intimum Dominum de Breitenau; die 22 Novembr. 1700.

Propenſum Excellentiæ Tuæ in rebus meis apud Serenisſimam Regiam Majeſtatem promovendis affectum ſignificavit mihi amicus & popularis meus *Arnas Magnæus*, qvo nomine magnas habeo agoqve gratias, ſic fiduciæ meæ, qvam ſecundisſima nominis Tui fama huic menti dudum inſtillavit, cuncta reſpondent. Qvo vero ſingula obſtacula facilius removere posſis, neceſſarium duxi, qvæ eo faciunt, prolixius explicare, in qvo ſi qvid peccavi, pacem veniamqve expoſco. Ex literis qveis Excellentia Tua reliqvique collegæ Triumviri mihi Regiam voluntatem de abrogando mihi Regio ſtipendio ſignificarunt, ſimul collegi meas, non priusqvam re confecta, redditas eſſe.

— *mihi juſſa capeſſere fas eſt*

etiam ſupra vires, ſi id fieri posſit, qvamvis nulla hic juſſa agnoſcam, cum poteſtati meæ relinqvatur ſcribendi, ſcriptaqve publicandi arbitrium, tantum in

ſolatium revocati ſalarii compenſatio edendorum promittitur; Ita certe interpretor per hæc ſcripta potisſimum deſignari hiſtoriam rerum Norvegicarum, cui conſcribendæ complures anni, nec ſine magnis impenſis Regiis, inſumpti ſunt, cujus tamen nulla pars in hunc usqve diem in lucem prodiit; poſtulari itaqve ut editionem illius ipſe meis impenſis procurem, præmium reportaturus cum perfecero. Nec mirum ita viſum eſſe, cum neqve Serenisſimus Rex, neqve ullus eorum, qvi dum hæc decernerentur, præſentes erant, qvid ex illo opere in chartas conjectum ſit, unqvam viderit, præter Celſisſimum Comitem, Magnum Regis Cancellarium, *Reventlovium*, idqve ante aliqvot annos, qvi ſi tunc aderat, certe vidiſſe oblitus eſt. Vellem qvidem, & valde vellem, res meas in eo ſtatu eſſe, ut meis ſumptibus hoc perficere poſſem, ſed non ſuppetunt facultates, pars in libros ad hæc opera neceſſarios ex Anglia, Gallia, Germaniaqve, comparandos, manuſcriptaqve hinc inde ex Islandia, Bibliotheca Hafnienſi, Sveciaqve exſcribenda; pars in contributiones regias, ante Illuſtrisſimi *Plesſii* tempora, nec eas qvidem exiguas nec raras impenſas, inter qvas ea, cui *Fortificationis* nomen impoſitum eſt, ſola ducentos & triginta imperiales exhauſit, multis dimidiæ partis gratia facta eſt, ego tale nihil expetivi: pars in neceſſaria itinera, eaqve Hafniam tria, longioresqve moras, qvarum una ultra annum extrahebatur, eo qvod ea qvæ ex Archivis Regiis in tertium *Hiſtoriæ Orcadenſis* librum congeſta ſunt, impetrare non poteram ante exitum anni, id qvod

præfa-

præfatione in *Færeyas* publice qveſtus ſum. Accedit, qvod morte uxoris ad hæredes ejus atqve rei familiaris pars media tranſiit, tam vero domi perpetuus Amanuenſis, foris corrector asſiduus, præter impenſas in chartas typosqve reqviruntur; tempus qvoqve diuturnum, dum imprimitur, cum non per partes aut intervalla temporis emittatur, totum enim Regio nomini conſecrandum eſt, cujus compenſatio ſi eousqve differtur, diu mihi erit eſuriendum. At in Svecia circiter annum Seculi hujus 66. inſtitutum eſt Antiqvitatum Collegium, impendiqve in illud qvotannis ſex millia imperialium, præter ſumtus ad ſuſtinendam officinam typographicam, primus olim mihi retulit *Liliencronius*, qvi poſtea in Regni illius Sveciæ Senatorum Collegium aſſumtus eſt, adqve finem vitæ ſtipendium in ſingulos collegas prorogari. Idem adhuc obtinere exploratisſimum habeo, nam adſunt literæ ab Archivario Regio *Peringſkioldo* Ao. 97. ad Amanuenſem meum ſcriptæ, qvibus annuo ſtipendio qvingentorum thalerorum argenteæ monetæ, inqve famulum ducentorum, & tertia parte librorum, qvi inprimuntur, invitatus eſt, idqve ad dies vitæ, non ſine injecta ſpe auctuarii. Renuit ille ſpe conditionis hic cum tempore conſeqvendæ, cum aliqvantula pars *Hiſtoriæ Norvegicæ* in lucem prodiret, jam vero cum non ſuppetat, unde labores ipſius compenſem, dimisſionem petit, qvam denegare neqveo. Nonnulla ex ſcriptis, qvæ inde prodierunt, comparavi, reliqvorum indicem novi, ſi tempora, ſcripta, ſcribentium numerus & ſtipendia

inter

inter nos compareſtur, peritorum judicum cenſuram non defugio. Sed exigua meorum pars eſt, qvæ jam ſub prælo gemit; *Series* nimirum *Regum Daniæ*, qvæ hac ipſa æſtate abſoluta fuiſſet, ni ſubita intemperies curas iſtas alio diſtraxiſſet. Cumqve ante Feſtum Dominicæ Reſurrectionis publicari neqveat, *Hiſtoriam* Daniæ Regis *Rolfi Krakii* circiter anni novi initia præmitti poſſe amicus meus *Arnas Magnæus* ſpem facit. *Hiſtoriæ* autem *Norvegicæ* ratio a me fruſtra ſine ſtipendio Regio exſpectatur, cum nullo alio officio fungar, qvod has necesſitates ſuſtinere posſit; perire autem tantas impenſas, labores, vigilias, & qvod caput eſt, ſcopum gratiamqve Clementisſimi Regis, neceſſe eſt, ſi foetus hic jamjam enitendus in ipſo partu ſuffocetur. Nam ſine hac remora pars prima hujus anni æſtate Cenſoris inſpectioni commiſſa fuiſſet, mox calcographo typis deſcribenda, deinde reliqvæ ordine ſuccesſivo, ſine ulla intermisſione, id enim mihi valde cordi eſt, utpote qvi dudum depontanus ad fabulæ meæ cataſtrophen plenis gradibus propero. In præſidium cauſæ maximos Procerum literis jam qvoqve ſollicitavi, Magnum Cancellarium, Excell. *Plesſium*, Excell. Comitem *Alefeldium*, præter utrosqve Excell. Tuæ Collegas Triumviros ſigillatim, ne lateat, ſi iis præſentibus res proponitur, aut ſuffragatores futuros, aut ſaltem non refragaturos, & jam finiturus eram, cum a me omiſſum animadverti, qvid regerendum ſi forte opponatur, exemplaribus, qvæ imprimuntur, auctuarium facile rependi. Sancte juro, ne obolum qvi-

dem

dem, ſive ex *Hiſtoria Færeyenſi*, ſive *Orcadenſi*, ad me redundaſſe, id qvod *Arnas Magnæus* mecum teſtabitur, ut & Aſſeſſor *Johannes Laurentius*, cui hæc de Orcadenſibus cognitisſima; de cæteris fides mihi, certe juranti, debetur. Prolixius explicatiusqve hæc ad Excell. Tuam qvam cæteros ſcripſi, ne qvicqvam improviſum obtendi posſit; Prudentiæ autem Ipſius, qvicqvid inde in uſum transferre placuerit, committo, interea ſive intercesſione Ipſius optatum finem obtineam, ſive ſecus eeciderit, me Ipſius Excell. obſtrictisſimum debitorem perpetuo agnoſcam, inqve infimorum clientum ejus numerum referri humillime exopto.

Ad Conſiliarium Status MEYERUM, die 22 Novembr. 1700.

Vir Illuſtrisſime, Pater optime!

Temporum rerumqve in fine hujus Seculi mutationem abunde perſpeximus, animi Tui in me ſupra votum ſemper benigni propenſionem ſimul mutatam nolim, imo & abominor, calumniæ vires, utpote expertus, probe novi, ſed ne rimam qvidem, per qvam me ad Illuſtriſſ. Amplitudinem Tuam deferri potis ſit. Scripſi ad Te anni præterlapſi die 20 Junii & novisſime 7 Septembris, & accepiſſe eas, qvas *Arnas Magnæus* reddidit, una cum Exemplaribus, qvæ ad Filium Tuum miſi, ex illo tantum cognovi, ſed

Q neqve

neqve de his vel cæteris, vel per minimum Servorum Tuorum qvicqvam. Sed nec, ut ante obtinui, teſſeram nummariam in partem ſtipendii, qvam expetivi, qvod qvamvis integrum poſtea mihi asſignatum ſit; ſolutio tamen hucûsqve dilata eſt. Cum itaqve nullius culpæ mihi conſcius ſim, eandem mihi, qvam hucusqve, benignitatem de Amplitudine Tua ſpondeo, qva fiducia humillime peto, ut cauſam meam apud Excellentiſſ. *Plesſium*, ad qvem cum publico hoc tabellario ſcribo, & alios, qvos me longe melius novit, promovere dignetur qvam ex præſentibus cognoſcet, ſimul etiam qvam prætervifum ſit, dum officium aliud in hunc eventum expetitum non eſt, qvod tamen Tibi, mi Pater! aliqvando ſuggesſi, & primo qvidem conſilium probaſti, poſtea expenſa operis, qvod molior, difficultate, magna ratione concluſiſti, totum hominem ad id reqviri. Neqve enim in mentem venit conditionem meam deteriorem futuram, qvam fabrorum ferrariorum, qvibus ſi qvæ operæ *penſantur*, *id qvod ad ſuſtentationem deputatum eſt non tamen adimitur, qvadringentos illos imperiales in* annuum imputatos, auctuarium tantum in impenſas typographicas, qvoties aliqvid imprimeretur, interpretatus es, qvorum poſterius ſi pretio, qvod hic promittitur, permutaretur, tolerabilius eſſet. Sancte juro, ne obolum qvidem ex omnibus exemplaribus, ſive *Hiſtoriæ Færeyenſis* ſive *Orcadenſis*, ad me perveniſſe, plura donavi, pars in Angliam, Hollandiam, Germaniamqve miſſa, ne emptores qvidem invenire perhibentur, maxima pars Hafniæ adhuc

nec

nec diſtracta jacet. (*Reliqva ut in epiſtola proxime præcedente ad Breitenavium.*)

Ad Secretarium Supremum, Ditlevum Vibe, die 3 Decembris 1701.

Novo ampliſſimi honoris Tui, Vir Excellentiſſime, faſtigio, illuſtris nimirum Ordinis Danabrogici conſortio, qvo Te ab Auguſtiſſimo Rege provectum, domum redux accepi, ego clientum Tuorum minimus, humillima veneratione gratulabundus aſſurgo, qvod felix fauſtumqve faxit rerum omnium arbiter. Excell. Dominos *Sebeſtedium*, *Walterum*qve una adſcitos comperior, utriusqve antea benevolentiam expertus, utriqve obnoxius. Verum qvoties inſignem Excell. Tuæ humanitatem, propenſum in rebus meis proxima æſtate ad optatum finem apud Auguſtum noſtrum promovendis affectum, nullo unqvam merito, nec meriti qvidem ſpecie, imo nec umbra provocatum, paremqve ſucceſſum apud animum reputo, (reputo autem ſemper) non tam iſtas dotes in illo ingenio admiror, qvod ingentes virtutes a majoribus, per Excellentiſſimum notiſſimæ probitatis patrem qvaſi traditas & ingenitas, non tantum refert, ſed optimarum inſuper artium ſtudiis, longa peregrinatione & illuſtrium convictu exornavit, qvam mecum cogito, qvanto merito, qvanto nexu Tuæ Excell. obſtrictus tenear, & protinus explico, inæſtimabili, indiſſolubili. Cognovi poſtea ſumſiſſe Excell. Tuam

ſecum in Holſatiam ſuplices litteras, qvas hinc ad Serenisſimum Regem ſcripſi, totumqve negotium ibi, ſi affulſiſſet occaſio, expediturum. Hoc eſt occaſionem, qvæ mihi prodeſſet, vel qvæſiviſſe, vel occupaſſe. Poſtqvam autem Hafniam rediit, nulla exſpectatione laſſatum, ſimul ac me vidit, ſimul juvit. Nec his contenta benignitas Tua, exhibito honore, conſpicatiorem humilitatem ſuam fecit. Nihil hic ad beneficium omnibus numeris abſolutum reqviritur, qvippe facile, paratum, occurrens, ni forte perſonæ delectus. Et apparet intritum illud impactum eſſe, qvod prohibet beneficium in ſenem collocari. Ego vero tantam tam obviam gratiam, tam gratuitum patrocinium ambabus ulnis amplector, & cum referre neqveam, gratias ago, qvas animo poſſum concipere maximas, perpetuumqve debendi reum me futurum profiteor, omnibus precibus orans, ne me in album minimorum Excell. Tuæ clientum referre dedignetur, impenſe deinceps mihi de tanto tam auſpicato Patrono & novo Mæcenate gratulaturus. Verum exiget forte Excell. Tua, cur tamdiu epiſtolare obſeqvium diſtulerim, cum novisſima ſalutatione, pro cætera humanitate, tabulis qvoqve veniam dederit, imo, ut compellarem, injunxerit. Tardum iter & moleſtum, exitialibus minis & præſenti mortis imagine qvoqve infeſtum, ad feſtum usqve Archangeli me detinuit. Inde nuntios Bergas miſi, exploraturus an nulla ſupereſſet navis Hafniam petitura, cui paulo aptius litteras ad Excell. Tuam aliosqve deferendas committerem, illos qvoqve, licet

hac

hac anni parte minime inſolens, ſolito tamen longe violentior, diuturniorqve conflata ventis tempeſtas, ultra tres hebdomadas tardavit. Tandem cognito iſtam occaſionem penitus effluxiſſe, valde vereor, ut vel extremæ ſocordiæ, vel ingrati animi notam effugiam, periiſſeqve exiſtimes apud me omnem gratiæ Tuæ ſenſum & memoriam, ſi in vernum usqve tempus, vel etiam æſtatem, huic negotio cæteroqvin deſtinatum, officium tam neceſſarium retundam. Igitur cum veroſimile videatur (neqve enim certi qvid in tanta diſtantia definire poſſum) principio novi anni, exiturum in publicum librum, jam diu in officina calcographica prælis laſſatum, qvi *Series Regum Daniæ* inſcribitur, R. M. conſecratum, providendum ſtatui, ut ſimul cum illo exemplari, qvod per amicum meum *Arnam Magnæum* Tuæ Excell. meo nomine humillime exhibendum deſtinavi; hæc qvoqve epiſtola ad Te perveniat, ſic qvoqve captatas non neglectas occaſiones animadvertes. Sed ne in præclaras Excell. Tuæ occupationes publico conſecratas, longiore colloqvio peccem, Tuaqve patientia abutar, finio, annumqve novum, longamqve ſubſeqventium ſeriem, ut perpetuo flore transigas, increſcentemqve in ſingulos gloriam illibatam ad ſuperos Tecum transferas, voveo, mihiqve, ut cœpiſti, faveas, obnixe oro.

Ad Doct. OTTH. SPERLINGIUM.

Eo fine Amplitudini Tuæ ſuperiori æſtate exemplar *Seriei* Dynaſtarum, *Regum*qve *Daniæ* per amicum meum Dominum *Arnam Magnæum* offerendum curavi, ut cognoſceres obſervationem Tui animo meo fixam inhærere, & judicium Tuum de ſcripto illo repoſcerem; id enim magni facio, cum ad inſignem omnis generis doctrinam, antiqvisſimarum rerum ſeptentrionalium, lingvæqve, qvantum ad hiſtoriarum intellectum reqviritur (qvis nempe profunditatem illius metietur; ſuis qvoqve alumnis inſcrutabilem) cognitionem adjeceris, multaqve ex priſcis illis Mſſ. evolveris. Rem igitur gratam mihi feceris, ſi, qvo es candore, ſuggerere volueris, qvid de illo ſentias, minime offenſurus, ſi a me diſſentias, ſed gratiam promeriturus, ſi monueris, in qvibus, vel certe in præcipuis. Diſſenſus a *Saxone*, utpote neceſſarius, offendere non debet, ſed ubi potuit, redargui. Ego ad imperata obſtrictus. *Islandorum* placita ſecutus, nullo ejus inſectandi ſtudio qvicqvam ſcripſeram. Annum, qvo Ædes in Orcadum Pomona, noſtratibus *Kirkiuvog*, illis *Kerkua*, conſecrata, condita fuit, inſculptum ipſius turri in muro, retulit mihi non ita pridem Centurio qvidam Anglus, nomine *Caſparus Boſlot*, illius notitia, cum mihi ad locum qvendam in *Hiſtoria Norvegica* difficiliorem, qvi etiam annum, qvo Nicolaus Daniæ Rex cæſus erat, in dubium revocat, explicandum, admodum neceſſaria ſit, ut per litteras ad Conſiliarios Anglicos, qvo-

qvorum Tu Collegii præclara pars exiſtis, illam comparare, mecumqve communicare digneris, omnibus precibus expeto. Si enim cum *Hiſtoriæ Orcadenſis* relatione cohæret, facile rem expediam. Secus ſuſpicio oritur illum poſterioribus temporibus perperam appoſitum fuiſſe, qvemadmodum Roſkildiæ factum apparet in Epitaphio Haraldi Cæruli dentis ſ. Blátanni, cujus cædem Adamus Bremenſis ab obitu Archiepiſcopi Adaldagi tanto intervallo non disjungit; In anno vero ejus fatali, falli eum potuiſſe, vero conſonum non videtur. Exemplar editionis ejus Tuis notis illuſtratum jam diu exſpecto. Valerio etiam Maximo proſperiora fata opto. Vale, Vir Nobilisſime! vitamqve felicem ad remotiores temporum terminos annosqve ſeros extende, mihiqve fave. Dabam ex villa mea Stangelandia, Inſulæ Kormtis 1 Decembr. 1702.

Ad eundem, die 16 Apr. 1703.

Plurimum ſalve, Vir Nobilisſime!

Litteræ Tuæ Hafniæ 20 Januarii datæ, 20 deinde Februarii redditæ, ingenti me lætitia cumularunt, ibi enim ſinceri & propenſi in me animi Tui vivam imaginem & perennem teſſeram agnoſco & exoſculor. Fateor eqvidem me haud mediocriter ſollicitum fuiſſe de eorum judicio, qvi Rerum Danicarum peritiores habentur, ſuper nuper evulgata Sereniſſimorum *Daniæ*

Regum

Regum Serie, inier qvos cum Te præcipue venerer, Tuam potisſimum ſententiam exqvirendam exiſtimavi, qvam ſupra ſpem votumqve me conſecutum, non ſolum gaudeo, ſed etiam triumpho, qvippe abs Te, qvi Tibi Muſisqve canere ſoles. Si qvi hac in parte a Tuo judicio diſcrepant, parum curo, utpote, qvi unius Catonis cenſuram cæteris præfero. Tibi enim ſuper artium, ſcientiarum, facultatumqve præcipuarum lingvarum peritia, etiam priſcæ Danicæ, rerumqve memorabilium, qvas ſola conſervavit, haud mediocris cognitio obtigit, qvam complures laudatisſimi viri, aut prorſus neglexerunt, aut leviter & primoribus labiis tantum delibarunt, qvi curam adverterent, oppido pauci inventi ſunt. Optandum eſſet, ut conſilio, Te relatore, jam divi *Olai Rudbechii* plures Principes benignas aures præberent, profesſionemqve tum iſtius, tum antiqvitatum patriarum in Academiis inſtituere idoneisqve ſtipendiis ſuſtentare dignarentur. Multa ibi conſcripta ſunt, qvorum cognitio jucunda, nam præter qvod hodierni ſermonis radices inde eruuntur, antiqvisſimarum qvoqve diverſis temporibus, etiam in Paganismo, latarum legum varietas ibi occurrit, qvas ex duodecim tabulis legibusqve Romanis deſumtas eſſe, qvi utraqve contulerit, minus diffitebitur, qvam mirabitur, unde illis temporibus earum cognitio ad noſtrates pervenerit. Multa etiam hic, imo plurima, in uſu fuiſſe deprehendet, qvæ *Tacitus* Germanis adſcripſit, Atlantica fabula *Rudbechius* nominis celebritatem qvæſivit, obtinuitqve, licet argumentum qvod

tractavit,

tractavit, paucis ut credo, approbaverit. Sed longius hæc & forte extra ſcopum exportavi, paucis ad mellitisſimas Tuas litteras reſpondendum eſt. Qvod ea, de qvibus nunqvam inter nos contulimus, mutuo conſenſu probentur, gaudeo, id enim veritatis non exiguum argumentum multos interpretaturos exiſtimo. Idem obtigit, cum *commentarium de lingva Danica* conſcripſiſti, ut ex iſtius collatione cum præfatione in *Hiſtoriam Orcadenſem* apparet. Sed vereor, & valde vereor, ne in *Boreæ* cap. 5to de Jotunheimis pariter ſine alterius inſpectione judicia noſtra conveniant. Certe ante Odini adventum id nomen ſortitos, ultro concedo; Nec tamen ſemper iisdem terminis incluſos fuiſſe; neqve enim unqvam Finnmarchiam ambitu ſuo comprehenderunt, ſed cum mare Album, ad extremos ejus limites, cum latisſime patebant, noſtra monumenta inter ſe collata, extenſos, teſtantur. A Jotis, qvos *Ptolemæus* Saſonibus & Syebis ad mare Rhymmeorum inter Aſiatas vicinos memorat, huc profectis, inſeſſos, nec affirmo, nec refello. Gothos poſtea dictos plane neſcio. An *Snorrius Sturlæus* unqvam Hiſtoriam Norvegicam ſcripſerit, ambigis, & ego qvoqve, qvousqve ideo in novis Notulis ad *Regum Daniæ Seriem* jam revoco; qvod ibi teſtatus ſum, nimirum hiſtoriam ſuam ad Sverrerem usqve continuaſſe; cum deprehendam eum ne Sigurdi qvidem Hieroſolymipetæ hiſtoriam eam, qvæ tribus Mſſ. codicibus membraneis continetur, ſcripſiſſe, ibi enim, ubi de Rogerio primo Siciliæ Rege, a Sigurdo Hieroſolymipeta

mipeta proclamato agitur, ejus progenies recenſetur, traditurqve filium habuiſſe nomine Wilhelmum, qvi nuptiis ſociaverit filiarum ſuarum aliam Imperatori Henrico (Sexto,) eorum filium fuiſſe Fridericum (Secundum,) qvi nuper Romanorum Imperator fuerit, ille vero *Snorrio* novem annos ſupervixit, itaqve de eo, tanqvam ſuo tempore mortuo, hæc ſcribere neqvivit. In *Chronici Norvegici* verſione Danica hæc non habentur; Nihilominus certum eſt, *Snorrium Hiſtoriam Norvegicam* ſcripſiſſe. Nam præter tot ſeculis continuatam famam, teſtimonia duo *Olafi Tryggvini Hiſtoriæ* idem adſtruunt; prius part. poſter. pag. 298. poſterius pag. 300. utrobiqve ad *Snorrium* provocatur; utrobiqve *Chronica Mſſ.* qvæ illi adſcribuntur citata, probant, invicto argumento eum illam Hiſtoriæ partem, imo â principio, ſaltem eousqve ſcripſiſſe; qvod *Sturlungaſaga*, part. 5tæ capite undecimo, magis etiam his verbis confirmat: „ Sturla Sigvatsſon (fratris ejus filius) lagdi mikin hug „ á at láta rita ſögubækr eptir bókum þeim er Snorri „ ſetti ſaman" ɔ: *Sturla hiſtorias, qvas Snorrius compoſuit, magna induſtria tranſcribendas curavit*; id notatum eſt ad annum 1230. Plura teſtimonia in præſens non occurrunt; nihil tamen impedit, qvo minus hiſtoriam ſuam ad Sverrerem usqve continuaverit, licet id, qvod ſupereſt, ejus non ſit. Gratulationem Tuam de nova uxore, ſinceri affectus certum pignus pari animo exoſculor; licet adhuc ſuperfluam, nondum animum eo appuli, nec cupidinis ſtimuli impellunt, non tamen dejerabo, ſi ſenectus,

nectus, & qvæ illam comitari ſolent incommoda, eô perpellant, hæc enim fido miniſterio indigent; cui Tu ſi compos forte rapacis ſimul famuli ungves evaſiſſes, ſed hanc curam in præſens miſſam facio. Alia eſt, qvæ magis mordet, illa nimirum, qvæ de inprimendis iis, qvæ ex *Hiſtoria Norvegica* a Cenſore remittuntur, tum etiam *Grönlandia*, cum non inveniam illum, qvi impenſas facere velit; aut conditionibus mecum paciſci de parte ulla; priusqvam, in qvantam molem exſurgat, coram viderit, id qvod adhuc aliqvot annos reqvirit. Nec forte me vivo qvicqvam ejus prælo ſubjicietur, ſi exordium tamdiu differetur. Peto itaqve, ut computare digneris, qvot Imperiales in ſingula Alphabeta reqvirantur; ſi iisdem aut majoribus formis excudatur, qvibus *Series Regum Daniæ* excuſa eſt, idqve in qvingenta exemplaria, ſi propriis ſumtibus rem aggrediar. Et an leviori pretio Lipſiæ, aut Amſtelodami, vel etiam Hamburgi typis deſcribi poſſet; Si per collybum pecuniam transmiſero. Vereor eqvidem ut correcte a peregrinis inprimatur, ſed nihil in *Hiſtoria Norvegica* Islandicum, aut Danicum, præter ſola nomina propria occurrit, qvæ tamen in illis terris, ſi corrumpuntur, nemo in integrum reſtituere potis eſt. Sed nec Hafniæ præter Islandos, in *Grönlandia* autem pauca qvidem Islandica, ſed tamen aliqvot periodi ſe offerunt, nomina autem propria ſatis impedita. De illa Bibliopola *Liebius* ſuis expenſis in Germania excudenda ſpem facit, ſi de conditionibus, qvas adhuc non expresſit, inter nos convenerit,

non ultra unum Alphabetum conficiet, iſtis, qvos retuli, typis excuſa, ſed tabulæ æri incidendæ plus æris exigunt; nec poſſum divinari, qvantum; hujus copiam, cum Tibi fecerit (Clariſſ. Mag. *Raſcius*,) bene feceris, ſi qvid Tibi de impenſis ſuccurrit, mihi ſignificare digneris. Adeo harum rerum cura animum in diverſa diſtrahit, ut qvid concludam, neſciam. Dominus *Arnas Magnæus* magno meo incommodo in Islandiam ablegatus eſt: dubito an ſine illius inſpectione qvicqvam recte inprimatur: Qvod ſi *Seriem* cum *Orcadibus* contuleris, videbis, qvantum diſtent æra lupinis. Doctum certe Correctorem iſtis adhibui, nec illic Islandica vocabula impedimento erant, nihilo tamen magis vir ille doctus ſenſum meum aſſecutus eſt, qvod in talibus peregrinus eſſet. Hic autem antiqvitatum ſeptentrionalium, lingvæ inſuper peritisſimus eſt. Ignoſce, qvod humanitatem Tuam his Tibi forte odioſis, mihi vero neceſſariis plus nimium detinuerim, Teqve his petitionibus onerem. Jam ad literas Tuas redeo: *Magnas* ago gratias, qvod ad Anglos de inſcriptione anni, qvo Ædes Sancto Magno Kirkiuvogi conſecrata, condita eſt, turri an muro comprehenſa ſcribere dignatus eſt. Ego de accurato reſponſo, licet tardiore, nullus dubito, cum ab Epiſcopo Orcadenſi id facile per viciniores exqvirere posſint; nec res celeritatem reqvirit, cum ad hiſtoriam Sigurdi Hieroſolymipetæ pertineat. Fata *Valerii* Tui *Maximi*, qvæ animo præcipis, abominor & deploro, Dii meliora. Reviviſcet forte poſt fata noſtra, qvi publico conſe-

conſecrabit. Amſtelodamenſis typographi, qvi *Adamum Bremenſem* imprimendum ſuſcepit, inſolentiæ conjunctam injuriam miror, cum non reſtituere, qvod Tuum eſt, nec revereri ſuam ipſius fidem velit. Angline hæc in ſe ſuſcipient, ſi expetiveris? Super Domina *Dorothea Engelbrictia* interrogavi, vivit illa apud Symmyſtam paroeciæ Sundicæ prope Bergas, cui Mag. *Nicolaus Stabilius* præfectus eſt. Novi aliam virginem Domini *Knuti Gadi* filiam, nomen non memini, apprime doctam, græce latineqve juxta peritam. Eſt & Stafangriæ matrona *Anna Reimer*, qvæ ſi peregrinas lingvas non addidicit, tamen multos pſalmos fluente vena paſſim laudatos compoſuerat, qvos ob extremam paupertatem, cum qva etiam illa prior conflictatur, publici juris facere neqvit. Plures mihi non ſuppetunt, inqviram tamen volente Deo. Scriptis Tuis valde delector, ſæpiusqve per occaſiones inſpicio. In *teſtamento Archiepiſcopi Abſalonis* opinionem de priſcorum cognominum transmisſione in familias opportune refutaſti, nominaqve propria virorum mulierumqve ad Romanæ lingvæ labium aptata, vel potius detorta, recte improbaſti. Axelii tamen notationem ab *axl* humerus derivarem, ita ut *Axli* proprie dicatur, ſicut *Skeggi*, *Haki*, *Tanni*, *Neſar*, qvod *Gevarum* prave verterunt, cum a naſo profluxerit. Ignoſce confidentiæ, qvam candor Tuus provocat. Prolixius ut ſcriberem, epiſtola per nautas transmittenda occaſionem præbuit, jamqve abrumpo, cum voto ſerio, ut Deus Te nobis diu feliciter conſervet, ſe-

nectutem ſemper proſperam in Neſtoreos annos prolonget. Vale, mihiqve, prout conſveviſti, fave.

Dabam ex villa mea Stangalandia, Inſulæ Kormtis, die 16 April. 1703.

Ad eundem, die 10 Novembr. 1703.

Plurimum ſalve, Vir Nobilisſime!

Qvod tamdiu reſponſum ad exoptatisſimas literas Tuas Hafniæ 30 Junii datas, undecimo autem Auguſti huc relatas, diſtulerim, offenſam posſis interpretari, ni excuſatio ſuppeteret. Jam enim dudum animi in me Tui favor & gratia novis ſemper benevolentiæ argumentis teſtatiora ſunt, qvam ut offenſa, niſi ab ingrata mente, rependi ullo modo posſit, id qvod me a ſiniſtra ſuſpicione, vel Tuæ ipſius conſcientiæ judicio, liberabit. Sed & duxi exſpectandum donec ex *Anglia de iis, qvæ expetivi, certiorem* relationem aſſeqvi posſis. Maxime vero dum *Boreas* Tuus, qvem propediem in publicum exiturum ſperas, in lucem prodeat, qvem unice & neceſſario expeto. Qvod enim ego de Gothis illis, qvi ante Odinum Upſalenſem has terras incoluerunt, exoticos ſcriptores ſecutus, balbutio, cum Tuam mihi ſententiam approbaveris, libenter revocabo. Certe nihil abſurdi habet Odinum veteres incolas, hinc in Germaniam & alias terras, extruſiſſe; Sed de his in præſens nihil ultra. Immenſas illas laudes, qvibus ſepten-

ſeptentrionales antiqvisſimos exornas, qvorum tenebras Græcorum, Aſiaticorum, Romanorumqve luci præfers, haud invitus audio; ante tamen literarum uſum huc illatum, mirum videtur, tantam rerum omnium, etiam legum cognitionem, ipſis potuiſſe competere. Nec enim mihi *Rudbechius* adhuc perſvaſit literas a noſtris ad alias gentes perveniſſe; Sed nec eas ante Odini Upſalenſis tempora huc illatas, reperio. Qvæ enim Getis, Schythiam Thraciamqve antiqvisſimis temporibus incolentibus, tribuuntur, nihil ad Noſtrates. Motuum cœleſtium temporumqve haud exiguum notitiæ in ipſo ethnicismo documentum *Thorſteinus Surtus*, occidentalis Islandiæ civis, exhibet, qvi faſtos haud imperite correxit, de qvo *Arius* in ſuis Schedis pag. 4 & 5. Geſta Majorum carminibus complexos ſeptentrionales, perpetuisqve relationibus conſervaſſe, dubio caret, an & leges artesqve, mihi nondum liqvet; Scripta *Snorrii Sturlæi*, qvæ exiſtimas interiiſſe, ideo minus credo, qvod veroſimile non ſit, filium fratris ejus *Sturlam* Sigvati filium exemplaria, qvæ *Snorrius* conſcripſit, omnia fuiſſe conſecutum, ut nihil reliqvum ipſe habuerit. Nec illi, ut cenſori, ſed potius diſcipulo, qvicqvam a patruo communicatum videtur, cum in his eum neqvaqvam æqvaverit; & ſi vel maxime unum tantum exemplar *Snorrius* habuerit, ipſiusqve uſum illi permiſerit, non tamen veritati litat eum hoc ad locum belli ſecum transtuliſſe. Jam vero ipſe *Snorrius* ei ſupervixit, ut facile ſua reqvirere potuerit; Alterius qvoqve fratris ejus Thordi filius *Sturla*, poſtea Legifer, qvi complures hiſtorias, & præcipue *vitam*

Haconis

Haconis Senioris & magnam illam *Islandorum* ſ. Sturlungorum *Hiſtoriam* conſcripſit, facile patrui *Snorrii* ſcripta recuperare poterat, aqve interitu vindicare. Addo, qvod in iis, qvæ *Snorrio* tribuuntur, nihil mihi occurrit, qvod alium auctorem arguit; qvid enim impedit, qvo minus ille, qvam qvicunqve alius, *Arium* ſeqvi, qvædam etiam ejus immutaſſe, omnia demum ſupleviſſe potuerit? Nec alia cauſa ſubeſſe videtur, qvod *Arius* legi deſiverit, qvam qvod hic omnia copioſius tradiderit. Eqvidem ſcriptores *Hiſtoriarum Olaforum*, earum, qvæ prolixiores circumferuntur, diverſas a *Snorrio* Tecum ego qvoqve agnoſco, ſed qvi ea, qvæ ille compendioſe tradidit, multis fabulis imperite auxerunt. Fateor qvidem ante *Snorrium Hiſtoriam Norvegicam* ad Sverreris usqve tempora fuiſſe conſcriptam; id enim inde manifeſtum eſt, qvod ipſe de patrui ſui Eyſteini cæde qvædam immutari, inqve literas transferri juſſerat, ut Mſſ. Exemplaria eodem loco perhibent. Non tamen obſtat, qvin *Snorrius* usqve ad Sverreris tempora ex iis, qvæ in Islandia extabant, & in Norvegia didicerat, ſua collegerit. Nec *Oddi Eirici* filii liber, qvem *Hryggiarstycki* ſ. ſpinam dorſi inſcripſit, qvo Haraldi Gillii, & filiorum ejus, Magniqve Cæci & Sigurdi Slemberis geſta continentur, in his exemplaribus legitur, ſed a poſteriorum temporum ſcriptore in teſtimonium adducitur, qvem ſi alium qvam *Snorrium* ſtatuamus, famæ qvaſi per manus ad poſteros traditæ, adverſabimur. Difficultatem, qvam in libris meis edendis candide monſtras, ipſe agnoſco, & plus nimium experior.

rior. Res tamen ulteriorem moram non patitur. Si Deus vitam & valetudinem tutamqve a piratis & harpyis navigationem conceſſerit, proxima æſtate ad vos proficiſci decrevi, cumqve Typographo, ſi compendioſior planiorqve nulla via ſe offert, qvalitercunqve paciſci. Qvanti mihi *Orcades*, *Seriesqve Daniæ Regum* conſtiterint, probe memini; nec in eo falleris, qvod dubitas an omnibus impenſis, qvæ ad hæc reqviruntur, facultates meæ ſufficiant. Exſurget in *Hiſtoria Norvegica* ad Reginam usqve Margaretham in qvindecim Alphabeta, vel etiam ultra; De tabulis æri incidendis in illo opere ſollicitus non ſum, nec ſi eſſem, ſine ulteriori Regis noſtri liberalitate & beneficentia qvicqvam proficerem. Pedetentim procedendum erit, ni alia ſubſidia acceſſerint, qvantumvis ætas in annum octavum ſupra ſexageſimum procedens opus feſtinari jubeat. Scripſi Stafangriam ad affinem meum *Laurentium Friſium*, virum a reditibus eccleſiarum, petiviqve, ut certiorem faceret *Annam Reimer* de inſigni illo honore, qvo ipſam affeceris, exſcripſiqve Tuas formulas, ipſi â viris doctis explicandas, exemplumqve hymnorum ejus, qvos dudum compoſuit, ut mecum communicaret, exegi. Nullum adhuc reſponſum accepi, ſive illi defectu rerum neceſſariarum otium eorum exſcribendorum non ſuppetit, ſive de iſta gloria minus ſollicita, cum præſenti ſorte latere qvam innoteſcere malit, cum nulla ἐπιβελτιώσεος ſpes affulgeat. *Gaddiam* doctam qvidem eſſe conſtat, an aliqvid ſcripſerit plane neſcio. Nec tamen patronus defu-

turus videtur, ſi qvid publico conſecrare conetur. De pluribus id generis, ſi extent, Bergas ad amicos ſcribam. Diſſertationes meas non oſtenſas Tibi â Clarisſimo *Raſchio* doleo, is nihil â Te de earum copia exactum reſcribit, præter cenſorem, Tuo tantum conſpectui ſubjici, anteqvam imprimantur, perqvam velim, qvo judicium Tuum maturius cognoſcam, in qvo mihi, ut *Plinio* qvondam, æqve jucunda erit ſimplicitas diſſentientis, qvam comprobantis auctoritas. Poſtqvam hæc ſcripſi, Domina *Reimera* mihi per certum nuntium ſignificavit, ſe in ſuis reſcribendis occupari, Tuamqve raram benignitatem & ſexus iſtius pulcherrimi nobilitandi ſtudia ſumma veneratione proſeqvitur. Communicatum mihi exemplar, qvam primum acceperim, affulgente occaſione ad Te mittam, qvod ſi Domino *Chriſtiano Gerſonio*, aut alii ei ſimili ſe approbaverit, iſtius forte opera publicabitur. Finio, Tibiqve, vir omnium celeberrime, amicorum optime, omnia felicia apprecor, utqve noſtri ſemper memor eſſe velis, valde precor, feliciter vale, &, ut cœpiſti, fave.

Ad eundem, die 23 Junii 1704.

Acceptisſimæ mihi fuerunt literæ Tuæ 15 Martii Hafniæ datæ, menſis vero Maji 3. relatæ, qvarum cum ſingula mihi gratisſima fuerint, incolumitatis tamen Tuæ cognitio viridisqve ſenecta ſerio triumphant, qvam ad Neſtoreos annos ut producas, ex animo voveo,

veo, vel ſaltem tantisper, donec eruditisſimæ lucubrationes Tuæ, tot præclaris ſcriptis teſtatisſimæ, in publicum, cui deſtinatæ ſunt, exeant, certum literato orbi delicium futuriſqve ſeculis emolumentum allaturæ. Singula qvidem, ut dixi, iis contenta gratisſima, qvatenus a tanto viro, tam caro capite accepta agnoſco. Fuerunt tamen qvæ haud mediocri dolore me affecerunt; inprimis inexſpectata Mag. *Arngrimi* mors, amici conjunctisſimi, id qvod applauſus ejus carminibus in ſingula, qvæ ex meis hucusqve edita ſunt, teſtatisſimi, ſatis confirmant. Certe exceſſu illius Islandia magna ſpe haud mediocris gloriæ ex tanto cive, ſi vixiſſet, conſeqvendæ excidit. Neminem enim novi ex iis, qvi jam ſuperſunt (novi autem paucisſimos), qvi eum in omni doctrina exæqvent, ni forte exactæ ætatis vir, qvi & illum olim privatim informavit, *Paulus Biörnonius*, eccleſiæ Selárdalenſis in occidentali inſulæ iſtius qvadrante Paſtor; nec qvi hunc ullo ſeculo ſuperaverit (qvamqvam doctorum nunqvam ibi jejunitas fuerit) præter unum, eumqve ſolum *Brynjolfum Svenonium*, doctorum omnium conſenſu, qvi ei æqvales ipſum cognoverunt, longe doctisſimum. *Grönlandiæ*, qvam conſcripſi, copiam efflagitavit & impetravit, qvædam etiam ſua mihi miſit, ego vicisſim ei *Martineri* itinerarium, qvi cum Islandos ſugillaverit, ſuggesſi hæreditarium onus profligandi obtrectatores patriæ ei incumbere, utqve ad calcem ſuæ *Grönlandiæ* eum refelleret, hortatus ſum, id qvod facili negotio fieri poterit. Friderici Tertii tempore, cum nave in Islandiam miſſa ſe pro-

fectum profitetur, qvæ Hafnia circa auſtrales Norvegiæ partes appulſa, inde, ni fallor, Bergas, Thrandiam, mox etiam Rusſiam emenſa, tandem in orientales Islandiæ oras, ad Præfectum monaſterii Kirkiubæenſis pervenit, ipſe deinde montem Heklam ad littora inſulæ ſitum ſcrutatus, ad ultimum in Grönlandiam delatus, indolem iſtius qvoqve deſcribit; impoſtor ipſi *Bleſkenio* impudentia haud impar; Qvando, qvæſo, talis navigatio glorioſisſimi illius Regis tempore, aut unqvam, inſtituta eſt? Meruit tamen apud *Rudbeckium* fidem, forſitan & plures, qvi aliorum candorem ſuo metiuntur. Nihil, credo, meæ *Grönlandiæ* offeciſſet, ſi vel maxime illius lucem vidiſſet, nec enim ſcio unde illi ulterior circa illud argumentum notitia affulſerit, qvam documenta, qvæ ego ſecutus ſum, ſuppeditant; Sed nec tanta, nec ſi vel maxime inveſtigari posſit, unde ſumtus & impenſæ reſarciendæ, ni alia & compendioſior ejus inqvirendæ ratio inſtituatur. *Dei certe gloria, nec ſine magna Regis, ea inventa propagari poterit, etiam* adjacentium gentium notitia comparari, & per conſeqvens forſitan lucrum impenſis majus; ſed valeat noſter *Arngrimus*, fruaturqve ſupercœleſtium civium polo, qvi noſtrum arctoum meditatus aſſeqvi neqvivit. Accesſit dolor alter, qvod *Borea* Tuo tantiſper carendum eſt, & ego a propoſito itinere revocor, acceſſu Regis Bergas ad diem 12 Julii deſtinato, qvi 10 ejusdem prandium hic apud me ſibi præparari imperavit, inde omnis ſpes de copia iſtius inſpiciendi evanuit. Novi omnia Tua aurea

eſſe,

eſſe, ex iis eandem de eo nondum viſo opinionem ſpemqve præcipio, qvamvis ex Islandorum documentis mihi non liqveat Jotunheimorum nomen a finibus Rusſiæ citra mare album ſinumqve Granduæ (nobis Gandvic) unqvam fuiſſe extenſum, ego autem ex eorum tantum hypotheſibus de hoc argumento diſſero, neqve enim ſcio in aliis ſcriptoribus iſtud nomen occurrere, valde igitur Diſſertationem Tuam de illo argumento, & certe neceſſario, exopto, modo ejus copia fieri posſit. Iterum doleo nihil apud Anglos de æra ædis S. Magno in Orcadum Pomona ſacræ conditæ Te potuiſſe proficere, adeone iis omnia extremitatum ſeptentrionis ſordent, ut nihil inde in publicum utile ſperari posſit? Atqvi *Sheringhamus*, vir apprime doctus, *Eddam* Islandorum, ubi tantum per tot annorum centurias delituit, haut leviter ſuſpexit; omnem itaqve ſpem de uberiore hujus qvæſtionis informatione abjiciam. Qvæ de Hyperboreorum induſtria & virtutibus, ab auctoribus commendatis, commendas, libens agnoſco, *Eumolpum* tamen, *Olinum* & *Anacharſin*, nihil ad Norvegos aut Svecos pertinere exiſtimo, nec hinc unqvam, nec huc, profectos firmioribus teſtimoniis adſtrui poterit, nec literas ante Odinum in has terras introductas, vel inde colligitur, qvod gentes iſtæ (qvas Tu illum hinc expuliſſe ſtatuis) Germanicæ, nullas literarum ſpecies, nec earum uſum, multis poſt ſeculis noverunt, qvas tamen ſecum exportaſſe oportuiſſet, ſi habuiſſent; Hi autem, qvos memoraſti, qvot ſeculis Odinum anteverterint, notisſimum eſt,

qvo tamen Heidricus Jutiæ Rex, qvem pro exemplo adducis, multis ſeculis inferior vixit, ita ut ſuperioribus annumerari nullo modo posſit. Qvod dubiis Tuis de *Snorrii* Hiſtoria nondum ſatisfecerim, minime miror, cum mihi tantum probabilia aut veriſimilia argumenta ſuppetant. Tu autem, qva es curioſitate, apodictica reqviras; Sed neqve ea producis qvæ traditam tot ſeculis ad poſteros famam & inveteratam opinionem evertant; Nemini enim, qvantum ſcio, conſtat, prolixane an ſuccincta fuerit *Arii* Hiſtoria de genere & geſtis Regum Norvegiæ, ſæpius illa a ſcriptoribus citatur, ſed qvalis qvantaqve fuerit, non exprimitur; Ego brevem fuiſſe conjicio, nec *Schedas*, qvæ ſuperſunt, compendium prolixioris ſcripti mihi facile perſvaſeris, cum ipſe teſtetur ſe hic illud, additis qvæ poſtea melius exploravit, auxiſſe; Nec fratris Snorrii, Thordi filius *Sturla* protinus negligentiæ culpam contraxiſſe videtur, qvod ſcripta ejus in teſtimonium nusqvam adduxit. Non enim res Norvegicas præter Regis Haconis & Magni conſcripſit, qvæ nihil ad *Snorrium*, nec ejus ſcripta tunc publicata videntur, ſuffecerit notaſſe patruelis ſui *Sturlæ* Sigvati filii diligentiam in eis evolvendis & exſcribendis. De matrona *Ellen Opdal* nihil mihi conſtat, multis enim paraſangis Thrandia hinc diſtat; Si maritus ejus *Jens*, non *Hans* appellatus eſt, utrumqve enim *Johannes* recipit, puto, cum Studioſus erat, fuiſſe mihi perqvam familiarem, exinde nihil de eo mihi, præterqvam qvod paſtor eſſet, conſtitit. *Birkerodium* noſtrarum Hiſtoriarum Profeſſo-

rem

rem memoras, nonne etiam *Arnas Magnæus* eodem officio fungitur? Superbio qvod vetera illa fundamenta, qvibus illi, qvi ante eum ſcripſerunt, innixi ſunt, falſa fictaqve pronuncias, Tuum enim judicium tanqvam ex tripode veneror, dudum enim, maxime tamen ex Commentario in Archiepiſcopi *Abſalonis Teſtamentum*, admiratus ſum, Te tantam antiqvitatum noſtrarum ſcientiam cæteræ immenſæ doctrinæ ita conjunxiſſe, ut peritisſimos qvoqve doceas, qvod paucis admodum obtigit; optarem ut qvibus vetera illa placent, ea qvæ ex Islandorum ſcriptis iis contraria jam vulgata ſunt, refellere dignentur, tantum enim abeſt, ut id in meam contumeliam interpreter, ut ultro in eorum ſententiam pedibus iturus ſim, qvam primum id ſolidis rationibus factum cognovero. Islandorum enim aſſerta ratione officii promulgavi, nihil ipſe finxi, nec ipſis, ſed veritati, ubicunqve erui potuit, litabo. Domina *Anna Reimera* triduum ad me divertit. Ejus hymnos cum ipſius epiſtola hic habes, curæ Tuæ & fidei commiſſos. Viſum eſt, ut qvi rerum omnium domino a fœmina inſcripti ſunt, per fœminei ſexus apicem, rerum noſtrarum dominam, ut acceptisſimum interpretem ipſi commendentur. Cuncta tamen arbitrio Tuo & diſpenſationi relinqvuntur. Cum maxima rerum indigentia conflictatur, provide ut aliqvod emolumentum inde ſperare posſit, & apud typographum aliqvot exemplorum copiam laboris præmium. Vale, Vir Amplisſime & mihi multis nominibus carisſime, mihiqve, ut hactenus, fave.

Ad

Ad eundem, die 7 Auguſti, 1705.

Non refragor qvin mihi ſuccenſeas, id enim jure meritoqve fieri agnoſco, cum beneficium Tuum & prolixum affectum male rependerim, nimia prolatatione reddendi depoſiti, *Boream* Tuum ſero prioris autumni acceperam, reſtitutionem in vernum tempus anni genus differendam ſvaſit. Spes profectionis ad vos, ſingulis hebdomadibus præſumta, majorem ſecuritatem pollicebatur, utrumqve majori tamen meo periculo, forſitan & vix reparabili damno, ad irritum cecidit. Novus enim Amanuenſis, qvem Hafnia parte autumni, totoqve vere & æſtatis initio exſpectabam, ad menſis præſentis 4 Nonas tandem poſt decem hebdomades itineri adverſis ventis ſine reſpiratione impedito inſumtas, tandem acceſſit, longe ſerius qvam rationes domeſticæ, etiam qvæ publico impenduntur, exigunt. Magna enim pars operis Cenſori exhibenda, in chartas licet conjecta, politioribus *tamen caracteribus deſcribenda, illius* opera hactenus indiget. Reſtat & aliud magni momenti negotium, cujus ſtatum dum per Clariſſ. Mag. *Raſchium* cognoſcendum jam diutius neqvicqvam exſpecto, avolat anni opportunitas profectioni deſtinata, reditus in autumnum valde deinceps importunus, ne igitur patientiam Tuam tædioſa exſpectatione ulterius onerem, remitto cum maxima gratiarum actione, culpæ ingenua confeſſione & humillima deprecatione, ſcriptum Tuum eximium, cedro qvidem, imo, qvod omnem auri maſſam longe ſuperat, ipſiſſimo

ipſisſimo *Sperlingio* dignisſimum, qvod qvidem a capitē ad calcem ſemel iterumqve legi, partesqve qvasdam ſæpius relegi & inter alia immodicas hoſtis noſtri infenſisſimi laudes, *Boreæ* videlicet, tantum non invitis auribus vel potius oculis, utpote qvi potisſimam anni hujus partem, ſine intermisſione ſæviendo, exhauſit, arva paſcuaqve ſimul corrupit, piſces mari noſtro proſcripſit, merces aliunde importandas coërcuit, annonam flagellavit, hominibus, animantibus feris juxta ac manſvetis infeſtus, egregie itaqve æthiopem illum dealbaſti, tametſi nec feritatem ejus, ubi irarum æſtu incenſus furere occipit, reticuiſti. Inter emolumenta ejus reputo, qvod latus ædium mearum illi obverſum jam multos annos incorruptum duraverit, qvum reliqvum, qvod noto qvatitur, ſæpius non ſine impenſis fuerit reparatum. Gothos primos ſeptentrionis incolas lubens Tecum agnoſco, nec refragor ab Odino & Aſis magnam eorum partem in Germaniam pulſam fuiſſe, neſcio an famoſa illa *Bericonis* vel potius *Filiminis* expeditio ſupra illud tempus debeat exaltari. Sed movet ſcrupulum populoſa illa Cimbrorum eruptio, vix 50 annis anterior, qva terras has magnam partem vacuatas ſuſpicor, ita ut vix tantillo ſpatio tot hominum myriades ſuccreſcere potuerint, ut tot ſpatioſisſimis terris occupandis, implendis, veteribusqve colonis ejiciendis ſuffecerint. Exponam Tibi opinionem Illuſtrisſimi viri, qvi nuper ad me miſit editionem Svecicam Chronici Norvegici *Snorrii Sturlæi* cum interpretatione *Peringſkioldi*, ubi ad caput 5. (ubi de

T migra-

migratione Odini in Sveciam agitur), notavit. *Danicis viribus copiisqve ſuccinctum* (*Daniam enim prius occupavit*) *Sveciam ingreſſum, veteres indigenas in Finniam & Lapponiam exegiſſe, inqve eorum locum Danos & Norvegos repoſuiſſe, ſummumqve pontificatum in Svecia, utpote angulo ſeptentrionis ab omni mutatione immuni, belliſqve & invaſionibus tutisſimo, inſtituiſſe. Fuiſſe autem veteres illos Sveones armorum militiæqve rudes* inde monſtrat, qvod Cap. 8. traditur, *qvod per univerſam Sveciam Odino denarius* (ut vertit *Saxo*) *in ſingulas nares tributi loco ſolvebatur; ille vicisſim tenebatur terram ab hoſtium incurſu & irruptionibus defendere, Deosqve ſacrificiis pro publico propitiare*, annua narium redemtio certisſimum ſubjectionis ſignum, confesſioqve hic oſtenditur; Qvicqvid ſit, plauſibilius videtur Finnos & Lappones e Svecia ab Odino pulſos, qvam eos hodiernorum Svecorum traduces, moribus lingvaqve in totum diſcretos ſtatuere. Sententiam Tuam de Jotunheimis in tantum ſpatium extenſis approbare neqveo, mitto itaqve Tibi, qvod de iis ſcripſi, qvod, ſi *Hiſtoriæ Hervorianæ* caput I. attentius conſideres, collatum cum exemplari, qvo uſus erat *Brynolfus*, eximatur, credo, dubitatio de proprie dictorum Jotunheimorum ſitu: " Jotunheimar, *inqvit*, voru kallader nordur um Gandvik „ enn firir ſunnann Lundsland ". Exemplar *Brynolfi*: „ enn fyrir ſunnann Ymisland imillum Hálogalands ", idqve rectius, qvod ignorans *Verelius*, ad vocem *Lundsland*, qvæ ei jure ſuſpecta erat, eam, qvoad

potuit,

potuit, emendare conatus erat. Finmarchiæ igitur & Norlandiæ hodie dictæ Jotunheimum inter & Helligelandiam jacentes uno nomine *Ymislandia* appellabantur. Paucis deinde interjectis Jotunheimus ut peculiaris regio graphice deſcribitur a ſubjacente provincia Glæſisvollum, Regia ſede Grund, opinione de Odáinsakro ibidem ſito, & relatione ad Mannheimum, cui hoc loco aliter qvam in *Chronico Norvegico* Jotunheimus opponitur, ibi enim Gudheimo contradiſtingvitur. Paulo inferius: "Madr „het Arngrimr, hann var riſi og bergbúi, hann „nam ur Mannheimum Amu Imufs dottur". Exemplar *Brynolſi:* "Hann nam ur Ymislandi Arno Ymis „dottur. Son þeirra het Hergrimur er kalladur. „var hálftröll, hann var ſtundum med bergriſum, „enn ſtundum med mönnum", hæc ſi ita verto, *interdum fuit inter Gothos, interdum inter homines*, nonne approbabis? "og hafdi afl ſem Jötun", *Gothus;* Qvæ ibidem qvoqve de Gudmundo Jotunheimorum Rege traduntur, ſitum certum regni ejus indicant, a Jutia longe alienum; condonabis itaqve mihi, Vir optime, qvod in his a Te diſſentiam; nec magis ea, qvæ de literis runicis ſcribis mihi approbantur, *literas*, ais, *qvas Odinus huc ſecum importavit, vix literas dici poſſe, cum ad ſeptentrionem nihil pertineant, ſed notæ ſolum magicæ fuerunt, ex qvibus nos Chriſtiani facti alphabeta exſtruximus, & ſcriptionem qvandam, plebejam tamen, produximus, a Normannis tamen in Galliis prius cæptam & ad nos derivatam;* qvid ergo fiet monu-

mentis vetuſtisſimis, literas Runicas exhibentibus, nullumne eorum ſeculum decimum tranſcendet? qvid literis Terigonis ad Britanniæ Regem de qvibus *Saxo* lib. 3? Himvoris ad Vikingum in *Thorſteins Wikingsſonar Saga* cap. 2do? Thorgerdis, Egilis Skallagrimi filiæ, qvæ leſſum fratri a patre factum literis Runicis exaravit? Meminit & *Gretteris Hiſtoria* filiæ Hallmundi monticolæ, qvæ carmina a moribundo patre facta baculo inſcripſit; ut omittam literas a S. Olafo ad Comitem Gauthiæ Rognvalldum & filiæ Regis Olafi Sveonis Ingegerdis miſſas, qvas Runicas fuiſſe vero ſimile eſt. Certe literæ Gudrunæ Giukii filiæ ad fratres ſuos Gunnarem & Högnium per tabellarium Wingium miſſæ, evidenter arguunt eas ad uſum lectionis adhibitas, nam Wingius eas invertit, mirataqve eſt Koſtbera Gunnaris uxor qvid Gudrunæ Runarum peritisſimæ accideret, ſi unam literam omiſerit. Legitur in *hiſtoria Ragnaris Lodbrochis* Cap. 32. & liqvidisſime in *Edda Sæmundi* oda antepenultima qvæ inſcribitur *Atlamál en Grænlenzco*, unde hæc in *Hiſtoriam Ragnaris* translata ſunt; agit etiam de his *Bartholinus* Ant. Dan. lib. 1. cap. 9. Interim aveo ſcire rationes, qvas pro contraria ſententia affers, nullus enim dubito qvin ſint ponderoſisſimæ & ſuos facile inventuræ fautores. Opinionem Tuam de *Chronico Norvegico*, qvod *Snorrio* tribuitur, firmioribus argumentis, qvam attuli, impugnare neſcio, non fuit *Brynolfus* primus qvi ei hoc tribuit. *Biörnus de Skardſaa* & *Jon Lærdi* idem ſtatuunt, pluresqve, deſiiſſeqve *Arii* compendium

legi,

legi, poſtqvam prolixius illud *Snorrii* innotuit; idem ſentit *Arnas Magnæus*. Lubens fateor multa eſſe exemplaria qvæ *Snorrio* tribui non poſſunt, ſed illud unicum, qvod *Heimskringla* appellatur, id poſteriores compilatores multis plerumqve vanis & fabuloſis inſertis auxerunt vel potius corruperunt & deturparunt.

Anna noſtra *Reimeria* an plane ſpe ſua de hymnis imprimendis exciderit, ſcire cupio. Magna laborat egeſtate docta illa, qvæ Bergis vixit, *Sylla Gat*, partum enixa vivum an mortuum ambigitur, nec cauſæ exitum adhuc ſcimus, egregie docta, albo caſtimonii turpiter excidit.

Tabulam Grönlandiæ, qvam ad Mag. *Raſchium* miſi, Hamburgi impreſſam, remiſit mihi, ita corruptam, ut pro mea agnoſcere neqveam, nec poſtea literas ab eo, cum qvolibet licet tabellario exſpectatas, accepi, nec qvid de mea *Grönlandia* jam in qvartum apud eum annum morante ſperandum ſit, decernere posſim; qvid dicam de cæteris, tot mihi in dies oriuntur obſtacula, ut ſi cognoſceres, obſtupeſceres, mihi ſingula decoqvenda, ſperabam me præſentia Tua longe optatisſima hac æſtate fruiturum, præteriit oportunitas anni, fixa tamen manet apud me dulcisſima Tui memoria, qvod ſi Deus annuerit ut hunc vitæ meæ annum ſeptuageſimum, qvem ab octavo die menſis Junii ingreſſus ſum, feliciter tranſigam, proximo, bono cum deo,

conveniemus. Interea omnia ut Tibi feliciter & ex voto cedant ſincere opto; Vale igitur, mihiqve cultori Tuo, ut ſoles, fave, qvi eruditionem Tuam ſemper admiror, ſinceritatem exoſculor.

Legangri ad *Torfæum* epiſtola.

Salutem, & ſi qvid ſalute optari qveat beatius!

Nobilisſime ac præclarisſime vir, Domine *Thormudere* Islande, Fautor à perſona & converſatione hactenus incognite, at ab eruditione & optima nominis fama dudum inclytę ac ſpectate! Sicut magnes trahit ferrum, ita me ſegnem occulta qvaſi vi pertrahit ac excitat, inſignis Tua virtus, ut non posſim qvin, qvicqvid hoc eſt literarii muneris, ad Te lubenter ac amanter transmittam. In ſtudio hiſtoriarum ut principem Te agnoſcit & veneratur patria, ita me in eodem infantem ac Davo fateor longe ſtupidiorem. Sed qvia volupe eſt cum eruditis per literas confabulari, & ad longe disſitos pennarum remigio advolare, unde tamdiu diſcimus qvam vivimus; Inde non eſt qvod mirere aut ſuccenſeas, diſcendi amore me Tuam ambire, qværere ac exoſculari necesſitudinem, qva mihi, in obſcura ac ſolitaria pagi umbra latitanti, nil erit jucundius, nil dulcius aut optatius. Vicinorum ac exterorum populorum

res geſtas indies audimus ac percurrimus avidi, qvi nobis etiam relationes, epitomes, annalium medullas, continuationes, imo ipſam Europam ſiſtunt exhibentqve turbatam atqve bellis vexatam; Sed, qvod dolendum eſt, Norrigiæ noſtræ res, tam antiqvas, qvam novas, negligentes præterimus, &, qvia raro communicantur, craſſe plerumqve ignoramus: Ita nempe in picea caligine, procul ab aula, procul â lumine, procul â doctis informatoribus, inerter ruri dormitur; Verum intra amænos genitalis ſoli agros ut ſubſiſtamus, duo nobis reliqvit communis antiqvitatum vindex ſeu hiſtoriarum præceptor *Sturleſonius*, alterum Norrigiæ chronicon, alterum ejusdem chorographiam ſuccinctam; Hic rhodus, hic ſaltamus. Sed velut in his exerceri eſt jucundum, ita paulo ulterius ad posteriora tempora pergere non foret inconſultum; Hinc lubens viderem primo chronici continuationem circa Regum Norrigiæ ſeriem ex *A. Hvitfeldio* aliisqve ſcriptoribus collectam, præſertim circa eorundem acta tam togata qvam ſagata, tam politica qvam theologica, non extra ſed intra hos natalis terræ montes in hanc usqve diem, qvalem Regum priorum epitomen laconice ſubjunxit Ethnicæ & antiqvæ ſuæ Norvegiæ *Jonas Ramus*, Paſtor (ni fallor) ſub dioeceſi Chriſtianienſi laudatisſimus. Dein cupidisſime expoſcerem Norrigiæ delineationem geographicam ſeu effigiationem æri inciſam, ac in mappa ſeu charta exhibitam, non regnis Sveciæ ac Daniæ annexam, ut in Belgio vulgo proſtat, ſed per ſe ſolam ac ſeorſim repræſentatam, unde

tam

tam locorum ſitus ſeu diſtantiæ, qvam viarum curſus clare dignoſci ac luculenter poterint conſpici. In duplici hoc ſtudio, circa paterni hujus regni fines, tam hiſtorico qvam chorographico, ſi qvid ſub manibus habes ipſe, aut noſti in lucem, methodo (uti deſidero) brevi, compendiaria, facili ac perſpicua divulgatum, rogo enixe, ſi non communicare poteris, ut titulum ſeu nomen ſaltem autoris mihi aperias, & locum unde emi poſſit, amice reſignifices. Qvo favoris officio me, Veſtro Honori alias addictum, eo devincis arctius ac multo reddis poſthac obligatiorem. Interim ne Veſtræ humanitati plane ſit nomen meum incognitum, rudia hæc tenuis ingenii ſpecimina mittuntur; alterum Theologica meditatio ſuper anniverſariam noſtram litaniam, alterum exile qvoddam carmen *M. Arnoldo* hiſtoriam Norrigiæ latine reddenti olim oblatum, non qvod doctisſimis Tuis oculis ſubjici, legi aut pervolvi, mereantur hæc ſchediasmata, ſed ſaltem ut amoris in Te mei aliqvod habeas documentum ac indicium apertum. Serena ac favorabili, qvæſo, fronte nigellas has Cadmi filias excipe, meqve inter nominis Tui cultores numera, nemini officioſitate ſecundum. Ita in Jovis gremio ægritudinum expers ac mille gaudiis perfuſus ſecure reqvieſce atqve extento ævo felicisſimus vale! E Vigia Sognenſi, tractui Bergenſi ſubjecta, ipſis Kalendis Junii, anno æræ Chriſtianæ 1693.

Epi-

Epigrammata.

I.

In Annalium Norrigicorum Conditores,

Snurronem Sturleſonium,

Supremum fori Islandici Judicem, faſtos ſeptentrionis contexentem;

Dominum *Petrum Claudii*,

Paſtorem & Præpoſitum ſub dioeceſi Stafangrienſi, Undalenſem, in uſum gentis patriæ illos Danice reddentem;

Doct. *Olaum Wormium*,

Profeſſorem in Dania Hafnienſem, politius reviſos evulgantem; atqve

Mag. *Arnoldum Johannis* de *Fine*,

Lectorem S. S. Theologiæ Bergenſem, eosdem in exoticorum lucem latino ſermone illuſtrantem ſcholiisqve eruditisſimis fuſe exornantem.

Islandus glaciem primus perfregerat Arcti,
 Arctica trans undas *Undalus* arte tulit.
Wormius hos faſtos cura meliore reviſos
 Approbat, Hafniadum publicitatqve typis.
Hinc *Crymogæa*, ſuas *Normannia*, *Dania* laudes,
 Sole ſub arctoo, tempus in omne ferunt.
Deerat at *finis*. Tantarum gloria rerum
 Disjunctis poſſet qvo ſine *fine* legi.
Hinc de *Fine Arndus* Runarum dogmata priſca
 Romano voluit condecorare ſtylo.
Qvo mage jam ſermo Latialis dignior omneîs
 Arnoldus veterum ſcriptaqve plura citat;
Hoc mage laudetur reliqvis in gentibus, atqve
 Longius immenſi carpat honoris iter.

II.

Collatio Hiſtoriographorum optimorum

Johannis Iſacii Pontani, Medic. Doct. & Mag. *Arnoldi Johannis* de *Fine*, S. S. Theol. Lectoris.

Pontanus Danos, *Arnoldus* Norrigianos
Cernuntur Latio concelebraſſe ſtylo.
Ille patrum cunas, *Hvitfeldi* voce, retexit,
Res repetit Noricas hic, *Stureone* duce,
Si de Ponte ſuis ſine compare magnus habetur,
De *Fine Arnoldus*, dic mihi, qvantus erit?

III.

Peregrini teſtimonium proprio, in cauſa propria, anteſtat:

In patriæ laudes ſuſpectus teſtis habetur
Incola, ſed fidam fert peregrinus opem.
Hinc mî *Scane* fidem majori luce mereris,
Majoriqve Noris laude canendus eris.
Sic redeunt Scaldri, Jarli, borealia Regum
Sceptraqve Norrigiæ, ſic reviviſcit honos.
Donec amor veri, tanti reverentia teſtis
Inconcuſſa reget ſolis utrumqve polum.

Applaudebat *Ivarus Er. L.*

Die æſtatis, penes noſtrates, initiali, Martyris ſcilicet Tiburtii. Anno unionis Norrigiæ cum Dania 289.

χειϛογονίας autem, aDMInICVLetVr IesVs!

Tor-

Torfæus ad M. *Ivarum Erici Legangrum*, Præpoſitum Sognenſem.

Jam dudum decreveram, Vir Clarisſime, Reverentiam Tuam qvalicunqve obſignatarum tabellarum officio prævenire, id nempe provectior ætas, officii gravitas, perſonæ dignitas, virtutis & eruditionis invicta fama, nec heri aut nudius tertius, ſed longo annorum decurſu celebris, jure meritoqve expoſcit, nec levis, de multis tantum virum conſulendi necesſitas, exigit, nec non, uti exiſtimare videris, nominis Tui celebritas, niſi ſurdis ſimul & cæcis, haudqvaqvam ignota, me qvoqve præteriit, priusqvam hanc terram, qvam pariter incolimus, pedibus calcavi, innotuiſti vir etiam patriæ finibus amplior, fratrem nimirum Tuum, virum perqvam Venerandum provinciæ Jadari ſubjectarum eccleſiarum præfectum religioſisſimum, amicos inter primos juvenem juvenis in Dania familiariter novi, & ante eum juvenem præſtantisſimum *Bartholum Gladium*, albo civium Academicorum una mecum inſcriptum. Per hos Tuæ claritatis notitia primum ad me pervenit, magnis deinde increſcentis fecundisſimæ famæ auctibus illuſtrata, jam tandem, Te ipſo deferente, tribus evidentisſimis documentis, epiſtola eruditione & humanitate pari, carminibus encomiaſticis, & exercitiis homileticis teſtatisſima; qvibus ipſam famam, qvæ plerumqve in laudando aut vituperando, amplificando aut extenuando modum excedere ſolet, â mendacii infamia vindicaſti, niſi in qvantum meritis mi-

nor virtutes Tuas adæqvare neqvivit. Gratulor itaqve Tibi, vir maxime, tantum literariæ ſuppellectilis tam inexhauſtum theſaurum.

Exoſculor propenſum in eos affectum, qvi diſcretis temporibus, imo ex ſeculis, majorum geſta celebrantes patriam commentariis illuſtrarunt, qvem congeſtis in eos lepidisſimis elogiis metricis cumulatisſime monſtraſti, ingens documentum qvanto patriæ amore tenearis. Gratulor eccleſiis inſpectioni Tuæ ſubjectis, earumqve præſidibus, imo & noſtris paſtoribus elaboratisſimam textus Prophetici interpretationem, fœcundisſimi ingenii monumentum; verum cum illius ſolius enodationi, licet diſpari interdum dexteritate promulgatæ, ſingulis imperativis feriis asſveverimus, qvod eccleſiæ noſtræ rectores iſto tantum delectati cæteros explicationi deſtinatos hactenus omiſerint, ſive ob captus noſtri imbecillitatem, ne difficilioribus obrueremur, qvi toties præmanſa, inqve os ingeſta digerere neqvimus, ſive interpretum defectum, optime de iis cæteriſqve ſacri ordinis miniſtris merueris, atqve adeo nobis, eorum auditoribus, ſi plures eodem tenore explanatos in lucem edideris, interea his, qvippe dono acceptisſimo, libenter fruar, ex qvibus, ſicut ex mellitisſima epiſtola Tua, tanto magis gaudium capio, qvod abs Te, tanto viro, tanto locorum intervallo disjuncto, data ſit, tanto magis erubeſco, magis etiam mihi ipſi ſuccenſeo, qvod nimia cunctatione debitum Claritati Tuæ, & jam pridem deſtinatum officium tantiſper intermiſerim; donec eo occupato ipſe me ultro pro-

vo-

vocaveris, qvam igitur occaſionem ad humanitatem Tuam literarum beneficio in poſterum compellandam culpamqve negligentiæ expiandam benigne præbuiſti, libenter amplexus absqve ulteriore prologo ad poſtulata reſpondebo. Chronicorum continuationem circa Regum Norvegiæ Seriem ex *A. Hvitfeldo* aliisqve ſcriptoribus collectam, in hunc usqve diem non extra, ſed intra hos natalis terræ montes, qvalem Regum priorum epitomen laconice ſubjunxit Ethnicæ & antiqvæ ſuæ Norvegiæ Dominus *Jonas Ramus*, expetis, â principio, credo, unitæ cum Dania Norvegiæ. Neminem novi qvi collegerit; *Pontanus* qvidem qvantum *Hvitfeldus* conſcripſit, toga Romana donavit, ſed in bibliotheca ædis S. S. Trinitatis Mſſ. ejus hactenus inedita ſervantur, miſcentur ibi Norvegica Danicis, nec ſigillatim deſcribuntur. Reqviris proinde ſeparatam â vicinis terris Norvegiæ delineationem geographicam; Expresſit eam, ipſa experientia edoctus, propria manu elegantisſime, &, ut confido, enucleatisſime, vir clarisſimus Magiſter *Melchior Ramus*, ſcholæ Nidroſienſis Profeſſor Theologicus, qvam ſuperiori anno Serenisſimæ Regiæ Majeſtatis ſupremo libellorum magiſtro, ſev Secretario Illuſtrisſimo & optimo viro *Mathiæ Mothio*, me præſente ipſi Regi exhibendam tradidit, forma qvadrata vel orgyiam excedentem, ſingulas provincias iſto exemplari deinceps formaturus; Inde ego magnum ſubſidium ſpe complexus, ne in nihilum vertat valde vereor, poſtqvam illius copiam propitius ipſi numen nobis eripuit, iſta enim manudu-

 ctione

ctione defectus qvorſum procedam? Unde locorum ſitum, diſtantias, itinerum ſpatia, cladibus, bellis, occupationibus aut diverſis caſibus notabilia qvæqve aſſeqvar? Aut chorographicos errores paſſim occurrentes corrigam, ſine lydio illo lapide? cum talium notitia intra muſæum haud aliter comparetur; Qvæ enim *Petrus Claudius*, nihil nimirum chorographiæ qvod ſuo *Snorrius Sturlæus* ſcripſit, nobis reliqvit, imperfecta ſunt, qvoqve magis in ſeptentrionem proceditur, deficiunt, nec tamen ſatis laudari poteſt clarisſimi illius viri induſtria & patriæ illuſtrandæ ſtudium, cujus ſolius amore, nullo lucri aucupio aut præmii intuitu, res patrias aliis intactas poſteritati conſecravit. Extant qvidem tabulæ geographicæ in Hollandia delineatæ & effigiatæ, impenſis *Janſonii*, *Vasbergiorum* & *Moſis Pitt*, ſolam Norvegiam prima, diœceſes Stafangrienſem, Aſloenſem & Bergenſem ſecunda, ſolam Bergenſem tertia, ſolam Nidaroſienſem qvarta complectitur, auctoris nomen appoſitum non eſt, ſitus utcunqve patet, pauca loca notata ſunt, nominibus etiam hodiernis in Belgica detortis; Haffniæ meas comparavi, plura ibi exempla venalia credo, unum mihi tantum ſuppetit, qvo carere neqveo; Ne tamen in reddenda qvalicunqve gratia omnino deficiam, mitto ſchedas præſentes, fabuloſis qvidem narrationibus ſcatentes, atqve eo forte nomine minus acceptas, ſed argumenti fiducia ſe tuentes, qvod Sogniæ, non in totum, ut ſpero, confictas laudes contineant; Vertit ex Islandico Mſ. in lingvam Svedicam â principio

usqve

usqve ad mortem Belii & Thorſteni regni Sveciæ antiqvarius, vir nobilis *Jacobus Reenhielm*, notisqve docte illuſtravit, anno hujus ſeculi octuageſimo, ipſiqve Regi inſcripſit; adeo noſtris gentis illius judicia differunt. Ego fabuloſa carptim perſecutus reliqva etiam compendioſe retuli, rebus qvam verbis intentior; adjeci etiam *Fridthiofi vitam*, utpote minus â fide aliena tractantem, nec reticere volui clarisſimi *Thomæ Bartholini* judicium, qvo me qvoqve per literas, etiam coram, â talium narratione dehortatus eſt; nec monitis refragor, ſed placet plurium præſtantiorum virorum conſilia ſententiasqve explorare, inprimis Tuæ humanitatis, qvi de his optime judicare poteris, ſi in mei gratiam, qvod obnixe oro, ab indigenis exqvirere dignatus fueris, an ulla veteris famæ veſtigia de his ſuperſint, an colles ſepulchrales Belii & Thorſteini, uti hic deſcribuntur, adhuc, aut eorum rudera, remaneant, an horum virorum nomina, an monſtroſas transfigurationes, an extenſum per Hördiam inqve transmarinas Orcades imperium Sognicum, ullus ex longa traditione acceperit, an templi vel delubri Baldurshagenſis memoria extet, an inde Framneſum & vice verſa conſpectus, ſitusqve Framneſiæ & Syrſtrandiæ (qvo vocabulo una tantum villa antiqvitus, non ut hodie plures, notabatur) cum his congruat, aut ſi nominum memoriam longa ætas delevit, qvænam his hodie reſpondeant, an in Uplandis ulla in tantum ſpatium extenſa, diducta, depreſſa, ſpeluncaqve hodie exſtet, qvod forte ex hujus deſcriptionis manuductione

ductione exqviri poterit? His cognitis qvantum *Thorſteini*, *Fridthiofiqve vitis* tribuendum ſit, facile perpendes. Qvæ tamen Orcades ſpectant, Orcadenſium hiſtoriæ breviter inſerui, qvæ jam exacto oculatisſimi cenſoris judicio, peculiari Serenisſimi Regis mandato commiſſa, dudum reddita fuiſſet, ni gravisſimis negotiis impeditus, ab illius reviſione identidem diſtractus, novis in dies ſubnaſcentibus occupationibus, jam qvoqve cauſis in ſuprema curia cognoſcendis judiciisqve reddendis diſtineretur, pollicetur tamen per litteras ſe propediem ejus lectionem abſoluturum; magnopere igitur peto, ne graveris prima qvaqve occaſione per eccleſiarum Tuarum præſides ſingularum curiarum cives de his conſulere, meqve iterum per oportunos internuntios certiorem reddere eadem opera; Si qvid (de qvo tamen deſpero) veterum codicum membraneorum aut (qvod magis veriſimile) antiqva ex traditione memoriæ hiſtoria dignum ullibi extet, aut hodie admirandum ſit, teſtium evidentia certum, ut converſio in urſos, lupos, receptus hominum intra rupes, & id genus alia, iſtud liberali pretio redimendum, idqve mandato Regis, hæc gratis communicanda ut procurent, auctoritate Tua ſimul & dexteritate facile perſvaſeris; nihil eſt qvod de pretio dubitent, deponant modo apud Tuam Claritatem donec redemero. Reſtant ex multis pauca de qvibus in præſens conſulendum, ut de provincia Sogniæ proxima, qvam *Fialer* veteres appellarunt, incolas *Filir* (ſicut Sognenſes *Sygnir*) ibi ſinus Dals-

fiörd,

fiörd, unde Ingolfus incolarum Islandiæ anteſignanus, cum ſolum verteret, profectus eſt, ibi prædium, Comitum priſcorum celebris ſedes, *Gaulir*, unde nomarchia *Gaulating* nomen accepit; poſtea locus curiæ alio translatus eſt, ibi Comes Atlius Gracilis prius habitabat, qvam ab Halfdano Nigro Haraldi Pulchricomi patre Sogniæ præfectus eſt, de qvo *Chronica Norvegica* pag. 34. ubi *Gauler* prave detorqvetur in *Guldoen* aut *Guldal*; pravius etiam pag. 45. Audbiornus Sogniæ Rex memoratur, cum fuerit Fiordiæ. Intra Fialas ſinus Stafanesvog ſitus eſt, ubi Comes Atlius cum Comite Hacone Griótgardi filio internecino bello congreſſus occubuit; In Atloam deinde deportatus, ejus filius Haſteinus in Islandiam migrans, prædium Stockseyri incoluit, qvod nunc neptis mea ex ſorore posſidet & inhabitat. Tractus inter Sogniam & Sundfiordiam interjectus Fialarum nomine uſurpatus eſt, inde Filefield nomen traxit. Atleoam *Jonas Ramus* ad auſtrale oſtii ſinus Sognici latus nec exiguo interſtitio diremptam poſuit; Ego in tractu Fialenſi ſitam exiſtimabam; prope eam inter plures inſulas *Sandoe* ſeu *Sandöe* jacet, qvo popularis meus Egill Skallagrimi, viri primarii in Fiordia nati, ſed tunc Islandiæ incolæ, filius, cædis in Atlöe in præſentia Regis Eirici Blódöxii & uxoris ejus Gunnhildæ patratæ reus anno 916 incredibili natatu enavit, eratqve tunc inculta, in uſum pecoris, amæna & fertilis. Celebris eſt ſatrapæ Sognenſis Heyángurs-Biörni memoria; an extet villa nomine *Heyángur* intra territorium Sognenſe, an qvod fœni

parcus ita dictus fuerit, parum mihi conſtat, utrumqve enim *Angur* denotat, ſollicitudinem & locum maritimum, ex poſteriore ſignificatione reditus Regii *Leidángur*, nobis *Leding*, & nomen oppidi *Stafangur*, profluxerunt, componitur enim ex voce *Staf*, qvo nomine præjacens ſcopulus appellatur, & *Angur*, pariter atqve villa ubi ego ab infantia ad annum ætatis decimum octavum vixi, *Stafnes* dicta, nimirum â ſcopulo ejusdem nominis & promontorio ubi ſita eſt. Notatur etiam aliqvoties celebre Sogniæ prædium *Aurland*, ſatraparum qvoqve ſedes. Qvæ de Sognia referre potuit *Jonas Ramus* conſulto omiſiſſe videtur, cum tamen codice Regio qvi penes me eſt, unde qvædam eorum, qvæ ſcripſit, excerpſit, contineântur, nimirum de Nore Norvegiæ Eponymo, qvem male cum Niordo Sveciæ Deaſtro, qvi ei qvoqve Norus eſt, ut & Thorrium Finniæ & Qveniæ Regem cum Thoro ſeptentrionis idolo confundit. Soknius Rex Sogniam rexit, Soknadaloqve nomen de ſuo communicavit, in arte magica exercitatisſimus, Noriqve Finnlandiæ artibus inſtructisſimo haud impar, ejus tamen armis oppreſſus eſt, qvod ſi, uti delineavit *Jonas Ramus*, ê Sogniæ ſinu, ſinus alter, qvi *Norfiord* dicitur, procedit, nominis impoſitionem Nori debet. Intra Sogniæ diſtrictum vallis eſt, *Leirdal* appellant, *Læradal* â fœmoribus, qvorum formam repræſentat, veteres appellavere. Prius charta deficiet, qvam materia, ſi partem tantum exiguam talium libeat perſeqvi, abutarqve patientia Claritatis Tuæ, inqve leges epiſtolæ, qvod alias fa-

ctum,

ctum, gravius tamen peccem. His igitur in aliud tempus, Deo propitio, dilatis, ut hæc rudi calamo in chartas properanter conjecta boni conſulas, oro, perpetuaqve felicitate, nulla moleſtia turbante, in Neſtoreos annos floreas, familiamqve & ſobolem perpetuis fortunæ felicitatisqve gradibus increſcentem, ſenectutis ſolatia, vitæ ſatur videas fruarisqve, voveo. Vale, &, ut cœpiſti, fave. Ex Stangalandia Kormtis; pridie Idus Julii, anno reparatæ ſalutis 1693.

Leganger ad *Torfæum.*

Salutem & vitam ſine ægritudine longævam!

Gentis Tuæ lumen & ævi noſtri decus ſplendidisſimum, nobilisſime ac præclarisſime Domine *Thormode Torfæe*, fautorum apex, amice ad urnam πολυφίλτατε, de incolumitate Tua qvam ê transmisſis ac communicatis literis haud obſcure percipere ac colligere licuit, ſummopere lætor ac effuſe gaudeo; Pergratum enim mihi accidit vile meum ſcribendi officium ad candidas Tuas fores tuto perveniſſe; adhuc gratius, qvod epiſtolium illud non modo ſerena fronte exceperis, ſed & reſponſo plusqvam amico atqve exoptato dignatus fueris; Longe autem gratisſimum, qvod in tranqvillo otio ac integra ſanitate rempublicam literariam elegantisſimis ac doctisſimis Tuis hiſtoriis oblectare ac illuſtrare non deſinas; Qvid nam-

qve valetudine etiam aliqvali & mediocri nobis, feſſis, exhauſtis atqve in ſenium vergentibus, dari poteſt dulcius, melius, aut deſideratius? Palmam hæc una præripit cunctis mundi theſauris, ſine qva plus alöes qvam mellis ſapit tota noſtra vita. Vivas igitur, mi fautor, extento bene ſanus ævo, nec niſi ſerus in cœlum redeas, diuqve lætus interſis in tenebris hærenti populo Arctoo.

Qvod memores nominis mei vilisſimi notitiam diu abhinc claritudini Tuæ apertam ac perſpectam fuiſſe, partim de cognito fratre meo Domino *Petro*, partim ob veterem Tuam necesſitudinem cum privigno meo *Bartholo*; De hoc gratulor mihi humiliter, ſerio exoptans, qvæ cœpit exinde favoris Tui ſcintilla, lætius porro foveri atqve in duraturam amoris conſtantisſimi flammam altius aſſurgere perpetimqve lucere perſeveret. Interim non niſi dolenter recogito optimam beatisſimi iſtius *Bartholi* memoriam; Ingenium noveras in ſpem patriæ amplam natum, ſed in pertinacià morbi dolenter nobis ereptum ac præmature extinctum. Sit anima ejus in benedictione! Ad materiam prioris meæ ſcriptionis, qvod amanter reſpondeas, grates refero longe maximas. Qvæ autem addis honoris & laudis ornamenta, ut indignisſimus modeſte averſor, declino, abhorreo, tribuens illa non mihi merito, ſed amori Tuo faventisſimo, qvi in iſtis cumulandis cæcutit atqve metam excedit debitam. Qvod latitet, Principum tuba, *Pontanus* inter Bibliothecæ Academicæ cancellos perſvaſisſimum habeo. Novisſima Regum

geſta

geſta in archivo recondita tanqvam κειμήλια Politicorum pretioſisſima mihi & vulgo denegantur videnda, ne revelata iſta myſteria ſordide in auras evileſcant. Lubens igitur ego, utpote alterum pedem in cymba Charontis habens, in hiſtoria Biblica acqvieſco; Hæc valentem me oblectat, langventem ſuſtentat, & cadaveroſo viam ſternit in æternitatem. Ob Herculeum laborem & exactam Norrigiæ delineationem geographicam laudes ac gratias meretur *Melchior Ramus* amplisſimas, ſed qvamdiu in Regio aſſervatur chartophylacio, nec communi literarum bono lucem ſubit publicam, cogimur nos plebeii ac infimi ad trita, communia & vetera recurrere, mappas ſcilicet, qvas indigitas in Belgio excuſas, qvatuor iſtas, mihi tamen hactenus non viſas; Qvas ſi locorum intervalla aut temporum penuria denegaverint, nova mihi meditanda eſt viventium illa terra, beata ac æterna iſta, qvam calcabunt ſoli manſveti, humiles, mites & credentes, in altera vita. Inſuper ut Te intus videam & humanitatem penitius cognoſcam, ê deliciis Tuis Islandicis antiqvam paganismi faciem & vetuſtisſimos Norrigiæ annales offers & aperis, partem eorundem exſcriptam transmittens, ut ê veſtigio feram, ex ungve leonem, ê ſcriptione virum, & parvo oſtenſo pugillo integri manipuli ac pleni horrei lectisſimam copiam perſpicue ac abunde intelligam. Ibi â primis ſoli noſtri initiis & ipſis regni incunabulis abditisſima majorum geſta recludis, recenſes; Ibi in tenebris retruſam & abſconditam gigantum memoriam retegis; & tamdiu neglectam reſuſcitas Sogniam.

Ita ſopitos nos excitas indigenas, animum faciendo & lampada in manus tradendo, ut; Te duce & phosphoro, priſca temporum, locorum, proavorum & ſecretorum monumenta, priſcos iſtos vivendi mores & ipſam in prima infantia Sogniam contemplemur. Hac ratione olim demortuos longaqve oblivione ſepultos reviviſcere facis Atlantes, Comites, Proceres & Reges Norrigiæ. Elegantisſimum (crede mihi, non blandior) adornas opus, temporum mellificium, ſtudiorum condimentum, qvo optime ac laudatisſime mereris de tota patria, de Sognia, de ſingulis qvi ultra vulgus ſapere geſtiunt. Objiciant forte nonnulli obſoletas, fabuloſas, incertas, vel fide minus dignas eſſe has narrationes; His prolixe, ſufficienter ac omni ex parte reſpondendo ſatisfacit incomparabilis noſter *Stephanius* in prolegomenis notarum ad Saxonem, capite integro XXIII. lucrum inter alia putans, neqve omnibus fidem adhibere, neqve omnia tanqvam imposſibilia aſpernari. Addo ſimplicius; Qvanqvam optimi ſcriptores ſuos habeant obtrectatores, *Homerus* Zoilum, *Virgilius* Carbilium, & cœteri cœteros, ea propter non fraudandus eſt ullus debita ſua laude; nec opus eſt ob qvorundam minus amica judicia â bene cæptis meticuloſe deſiſtere aut manum ab aratro turpiter removere. Artifici in ſua arte qvi credere nolit, ſuo is abundet ſenſu propriamqve prodat imperitiam. Nemini hæc ſacra obtruduntur; renuenti hæc ambroſiæ & nectaris fercula coacte non inferciuntur; *Invenies alium, ſi Te hic faſtidit Alexis*, inqviebat Vir-

gilia-

gilianus ille Corydon; ſuum alias cuiqve pulchrum; Qvid indigenæ ingenuo acceptius aut lætius, qvid jucundius aut lepidius, qvam natalis ſoli rudimenta, orſa & cæca audire primordia? Macte igitur, ac perge modo, mi antiqvitatum ſoſpitator feliciſſime! Et res & verba, & ſtylus & methodus arrident, perplacent, demulcent, ut ob dicendi genus facundiſſimum vere mihi *alter Saxo* ſis dicendus, *Saxo Norrigicus* nunqvam ſine laude loqvendus. (Unicum interim mihi condones velim, ſi pro cœpto more, ut amicus amicum amanter moneam; ſi per diſtincta interſtitia, diſtincta capita, ſectiones vel novas lineas vel per notas marginales, diviſas ac diverſas hiſtorias ordinatim interſtingvere aliqvando placuerit, lectori grata adhuc gratior, & præclara præclarior affulgeret lux, tam perſpicuitatem hiſtoriæ, qvam legendi aviditatem paritura alacriorem. Ita benignus ſuſcipe infantile ac cæcum hoc de coloribus judicium). Hinc commodatas annalium tuorum ſchedas pro bellariis retentas aliqvantiſper reſervo, inter otia relegendas ac accuratius penſitandas, donec lectitanti ſitim plenius reſtrinxerint, tum bona fide remittentur, modo Deus vitam benignus indulſerit. Belii, Thorſtenii, Baldurshagii, Framneſi, Gaulis, Fridthiofvii & conſimilia ſuperiorum ſimulacra, ob inimicam fatorum ſortem & tam longum temporum decurſum *ita* interciderunt, ut ne qvidem recordatio aut umbra de eisdem ſuperſit, præſertim poſt, ehev! luctuoſum pientiſſimi M. *Gerhardi Melzowii* obitum, qvi ob Presbyterologiæ ſuæ evulgationem,

ut inſignis vetuſtatum vindex, non ſibi vicinos ſolum, verum & omnes conterraneos obſtrinxit validisſime. Interim hujus territorii Dominos Collegas Tuo nomine enixe obſecravi, ſi qvæ noſſent aut posſiderent antiqvitatum, codicum membraneorum, raritudinum, inſignium aut latibulorum veſtigia, rudera, ſigna vel indicia, illa ſcriptim communicarent, cujus obſecrationis ſucceſſum ſeu effectum dies docebit inſeqvens.

In medio Sundfiordiæ, ab exteriori tamen parte, verſus oceanum, invenitur *Stafve-næs* (ſcopulus ante promontorium); Húc Sogniam propius viſitur *Atlöe* ignaris habitatoribus *Hatl-öe* (corylorum inſula) hodie nuncupata; Qvæ loca ditioni ſubjacent, parentqve Sundfiördiæ; ut & *Gouldal*, vallis intra interioris hujus tractus montes ſita, qvæ an Gauli Comiti ſuos natales debeat incertum eſt. Verum qvod *Ooſt-Gulen* & *Sör-Gulen* (duo ſinus ſeu viciniæ duæ) in oſtio Nordhordiæ ab illo nomina traxerint, nemo eſt qvi dubitat. *Fialarum* nomen, regio, ſitus, conditio, memoria, totaliter exſpirarunt, perierunt. Hominum converſio, transfiguratio in urſos, lupos, vel receptus intra montes, item immutatio vultuum &c. vi lucis Evangelicæ â fide Chriſtiana dudum exularunt; Qvæ commemorantur, olim contigiſſe, eluſionibus ac præſtigiis Sathanæ adſcribuntur, qvi apud filios incredulitatis, iſtius ſeculi gigantes, magos & ex his ortos haud abſimilis indolis homines (trigam tenebrionum) fuit efficax ac mill-artifex. Peculiarem vero atqve ſummam animi delectationem

peperit

peperit rara, antiqva & vere genuina Tua vocum qvarundam obſcuriorum interpretatio (ut *Lærdal* â femoribus &c.) qvæ occaſionem mihi præbet Tuam Claritatem ulterius rogandi, ut ſubciſivas ſeu ſurreptitias otiorum horas porro tribuas pluribus ejusmodi vocabulorum derivationibus eruendis, qvibus in gratiam caliginoſæ hujus regionis, nihil reſcribi poteſt unqvam potius, nil optatius aut jucundius; In qvem finem rudem ac ſuperficiariam remitto Sogniæ topographiam, qvam cum tabula ſeu maſſa Tua geographica (ut lydio Tibi lapide) conferre ac ſubinde examinare poteris, præſertim autem ut incognitas villarum ſeu locorum etymologias in noſtri gratiam ſubinde ſcruteris, exqviſitas revolvas, nec non, ſi fata permiſerint, mihi aut poſteritati manifeſtas reddas.

Tandem ne ſpectatisſimam Tuam humanitatem cum tædio prolixius detineam, votorum meorum ſumma erit, ut modo vitæ dies prolongaverit propitia Numinis benignitas, ſepoſitis gravioribus occupationibus, relaxandi animi ergo, ſub futuro æſtatis ſole & blandisſima aëris clementia, Sogniam noſtram, me vivo, viſitare digneris, comite Tecum aſſumto fratre meo dilectisſimo Domino *Petro*, qvando, qvæ calamus jam exprimere neqvit, coram ventilare, locorum ſituationes cum ſcribentium narrationibus exactius expendere, ac tam intimius qvam diutius confabulari dabitur. Æſtatem alias hoc Sognenſe vicinium habuit torridam, jejunam, frugum, graminis ac hordei minus feracem, qvæ per hyemem

 & dein-

& deinceps annonæ difficultatem atqve rerum emendarum minatur caritatem; Opituletur, ſubveniat & ſuccurrat nobis benignisſima conditoris miſericordia! Me interim, qvem ſegnior ætas, dentium vacillantium delapſus, calculi dolores & mille ſymptomata indies premunt, divexant, affligunt, me, inqvam, precibus Tuis Deo commenda.

Tu vero, cum tota familia nobilisſima, amanter abs me ſalutata, omnibusqve Tuis, lætus, ſalvus conſeneſce, curas ac morbos fortiter depelle; Imo Samſone robuſtior, atqve ipſo Abrahamo vivacior, celebrior ac felicior æternum vale!

E Groſvia Vigenſi 16 Septembr. 1693.

Circa brevisſimam Sogniæ chorographiam (*).

Vocabula qvædam juxta conjecturam Danice qvidem expoſita, ſed qvæ veriorem & genuinam Etymologiam ê priſca vetuſtate adhuc deſiderant.

Norge, rectisſime ſcribi videtur *Norrig*, qvaſi Kong *Nors* Rige, Norrigia, non juxta lingvam Germanicam Nordwegen (verſus ſeptentrionem) Norvegia: Nec Normannia ſev Normandia, qvia ita pars qvædam Galliæ â Norrigis eſt vocata. *Norvagia* in contemptum plebis ab invidis famæ ſubſannatoribus plerumqve appellatur, qvaſi indigenæ vagi, vagabundi, inconſtantes & errantes etiam-

(*) Qvæ in hoc ſchediasmate typis *Italicis* ſive *currentibus* expreſſa ſiſtuntur, ex lingva Danica translata ſunt.

etiamnum eſſent. P. Undal p. 1. aff Norden kalder andre det Norderige & contracte *Norrig* vel *Norge*.

Bergen. Civitas hæc maritima juxta alios deducitur â montibus, qvia inter altos montes, undiqve eam cingintes, exſtructa jacet; juxta alios â verbo bierge, h. e. abſcondere; Bergvin h. e. abſconde te o amice in hoc portu tanqvam in ſecuro gremio.

Prior derivatio videtur propria, poſterior alluſiva, utraqve tamen tolerabilis.

Sognia, *ſex, cum ſemi, milliaribus in ſeptrionem â Bergis jacens, eſt longus ſinus ex mari, qvi in continentem ſedecim milliaribus extenditur. Navigantes zephyri ope eum tarde, qvaſi adverſus clivum, introeunt; Exeunt evro flante facilius citiusqve, partim propter multos fluvios qvi undiqve decurrunt & in mare egrediuntur, partim* qvia ab ortu in occaſum facilior datur navigatio.

Sogn, docente nobiliſſimo Hiſtoriographo Thormudo, *nomen habet â Rege Soknio, qvi hic primus regnaſſe, & amænum intus in tractu locum ex ſui ipſius nomine* Soknadal *appellaſſe fertur.* Qvoad pronunciationem tum aſperiori ſev duriori tono efferebatur olim *Sokn* vel Sygna Fylki; mollius jam ex depravata lingvæ conſvetudine *Sogn* nominatur.

Fiala-fylki *iſtud, de qvo agit* Petrus Undal *pag.* 14. 70. & 81. *hoc tempore omnino ignoratur qvid, vel ſit, vel fuerit. Eſt eqvidem Sognia jam in duas præfecturas diviſa, exteriorem & interiorem Sogniam, qvæ prius uni præfecto ſubjecta, verum nec infra nec proxime inveniuntur ulli vicini ſpecialiter* Fialur *aut* Filer *dicti.* Epiſtola Tua, mi honoratiſſime Domine Thormude, ita habet; Tractus inter Sogniam & Sundfiordiam interjectus Fialarum nomine eſt uſurpatus. Cum Tua ac omnium Chorographorum venia ac pace (non ſtudio contradicendi, ſed diſcendi) modeſte ut replicem; Inter vicinas has præfecturas, Sogniam & Sundfiordiam, nullibi interjectus tractus videtur & invenitur, ubi enim Sognia, vel ſupra montes, vel circa mare, terminatur, ibi immediate ac proxime incipit Sund-

fiordia & vice verſa. Inter Sogniam & *Fialeſield* nullum interſtitium, nullum interjectum hodie agnoſcitur divortium, qvia Sognia ad radices & mediam partem montis *File-field* ſe tendit ac immittit; trans montem ſeu in medio montis qvam proxime incepiſſet *Walders;* Non cognoſcitur ullus interjectus tractus ſev vicinia. Sub Sognorum nomine in intimo freto habitantium comprehendi igitur oportet Fialeros ſev Fileros iſtos homines, donec, interprete qvodam Mercurio, hæc umbra in ſolem, hæc caligo in lucem diſſolvi poſſit.

In Sognia ſeqventes ſunt parœciæ:

Ewindvigo *parœciæ annexa ſunt qvatuor templa in Sognia ſita*, Udvær, Bóe, Ladvig, Riiſnefiord. *Templum primarium, nimirum* Evindvigi, *ubi Paſtor loci reſidet*, *præfecturæ* Nordhordenſi *paret.* Ewindvig dicitur, qvaſi Ewindsvig, viri iſtius Ewindi ſinus, vel en windwig *alluſive. In extremo ſinus Sognenſis oſtio ſitæ ſunt duæ ſtationes in uſum piſcatorum*, Indrevær *&* Udvær. *Apud exterius in parva inſula majores exiguum exſtruxere templum ligneum, ex grato in Deum animo, & ut illum ibi piſcaturæ cauſa invocarent. Iſtud ſemi milliari in mare á continente disſitum conſervatur ex piorum qvorundam in eum uſum ſymbolis, vocaturqve* Udværs-Capell.

Bóes *templum duo circiter milliaria interius ſitum eſt, in continente, in loco viridi, qvaſi in prato ſeu* arvo, *unde posſibile id nomen habere* Bóe *h. e.* pratum, arvum.

Ladvíg *interius ſita, qvæ in parvo ſinu exiguum etiam habet templum:* Ladvíg qvaſi Laug vig, *humilis & depreſſus* ſinus Propinqvior etymologia neſcitur.

Riiſnefiord *parvus eſt ſinus, ad illos transverſus ex auſtrali* Sognefiordi *latere, habet parvum templum ligneum. Videtur ex* Riſis *i. e. athletis nomen ſortitus.*

Extra hos, inter Riiſnefiord *&* *Dingen, id eſt extremum inter continenti adhærentia promontoria (extra enim*

inſulæ

inſulæ tantum jacent) hic eſt portus Rutle, *ubi auſter, qvo flante Bergis navigatur, reqvieſcit, & evrus, qvi ſæpisſime per Sognefiord ad mare flat, extenditur, ita ut hi duo venti ibi alter alteri obvii fiant & contrarii. Hinc in hoc portu myoparones & cymbæ ſæpisſime, inprimis tempore autumnali, diu morari & intolerabiliter impediri coguntur usqve qvo tempeſtas mutetur.* Vera hujus vocis origo ignoratur; Rutle confuſa multitudo *creditur, hic enim innumeri ſcopuli, ſyrtes, & perparvæ inſulæ ſiti ſunt.*

Wigenſis parœcia.

Ut iſthic ſinus Sognefiord *utrinqve habitatus eſt, ita extreme in hac præfectura Kirkeböe annexum templum ſitum eſt, ubi Oſtrenes templum in loco apto ſtat, auditqve Kirkeböenſe,* â loco, arvo ſeu campo ubi templum eſt erectum. *Non longe abhinc in* Wadumsfiord, *exigua lingula, ſeptentrionem verſus, extenditur. Sinus ita dictus eſt â prædio* Wadum, *ubi per brevem aptamqve viam â Sognia in Sundfiordum per parvum promontorium tranſitur in paræciam Holmdalenſem. Vadum* qvid ſignificet, aut unde derivetur, ignotum eſt.

E regione in latere auſtrali ſinus patet ſinus Fulſær, *ex monte* Fugl *ita dictus. Eadem alta rupes* Fugl, *avis, vocatur, qvia fabulantur ex eadem galli cantum auditum. Hinc proxima villa* Fuglsboe *& ſinus* Fugls-Sæde Fiord, avis ſedentis locus ſeu ſinus. *Ad ſeptentrionale latus alter eſt ſinus, dictus* Höyangsfiörd, Heyángur Fiord, olim forte unius herois ſeu ſatrapæ ſedes, jam in qvinqve prædia diviſa: Ubi varii Biörnonis nomine viri, variæ item Biörniæ nomine mulieres habitant. *Eſt ſinus anguſta vallis, ubi amnis, qvi in medio excurrit, gramen qvovis anno aufert perditqve; ita ut locus iſte vocari qveat* fœni inopia, ſeu locus non fœni abundans & fertilis, ut priſco ævo, ſed jejunus macer & ſterilis.

In Arnefiord, *proxime intra ſinum, parvum ſtat templum ligneum; Ubi ſinus nomen à viro illo Arne (Arnoldo,) qvi locum forſan aut arboribus purgavit aut inhabitavit, trahit.*

In Wig, *qvod eſt territorium ſylva carens, ſtat templum primarium è ligno confectum apud prædium Hopperſtad.*

Hopperſtad, *qvaſi* Hof-præſt-ſtad, *primarii ſeu præſtantiſſimi paſtoris villa, ubi ipſe Parochus habitavit; Forſan autem ejus ſubſtitutus Collega Reſidens alibi habitavit. In hoc prædio ſubtus in cella qvadam antiqva ante unum annum inventa eſt petra e ſaxo plano in qva litteræ erant ſcriptæ. Hanc colonus ante fores triclinii ſui collocavit, verum poſt admonitionem in cæmiterium deportata eſt, nam cippus eſt de mortui cujusdam ſacerdotis ſepulchro; literæ legi neqveunt. Paſtor nunc Hopperſtadi non habitat, verum proxime in villa multo minore dicta* Groff, *h. e.* fovea vel ſepulchrum, ob ſitum prædii, qvia in loco humili, depreſſo ac declivi jacet, ubi qvicqvid pluviæ coelitus delabitur ſtagnat & qvieſcit, nec ob planitiem atqve profunditatem exitum invenit; Ideo fovea, ſpecus, antrum, caverna vel ſepulchrum reddi poteſt.

Antiqvitates in hoc territorio nec videntur nec inveniuntur, niſi undiqve tumuli, inprimis duo invicem non disſiti, vocantur Brödrehöye, fratrii colles, vel ob paritatem magnitudinis, qvaſi conſimiles colles; vel ob par fratrum, qvod duo fratres inibi ſint humati. *Omnes hi tumuli, ubi lapides in circuitu ordine diſpoſiti inveniuntur, pro ſepulchris habentur (unus fere ad qvodvis prædium) poſt tempus qvo cremandi & tumulandi mos erat;* ut Stephanius habet in Notis ad Saxonem *p. 90. ſeqv. Plurimi tumuli ab incolis olim effosſi ſunt, cum ibi invenirentur gladii, ſecures, & forte alia; verum talis non neceſſaria foſſio nunc impeditur. In medio hujus* Wigis *territorio in planitie qvadam* (Möen *dicta,* unde hæc vox originem trahit non conſtat) *invenitur locus* Gilderhuus *appellatus, ubi parvus cippus erectus ſtat. Hic plebs ſemel qvovis*

anno

anno congregata fertur, ætate provecti juniorum cauſa, ut eorum genus, majores, conſangvineos, affinitatem, propriorum prædiorum terminos, portiones, lucos, &c. referrent. Convivium poſtea invicem habuerunt. Fuit conſvetudo utilis forſan atqve laudabilis, aſt nunc non in uſu, propter indigenarum paupertatem, qvi jam convivia celebrare dediſcunt. E contra genus, ſæpe conſangvinei, & ſæpisſime proprietates, prata & ſylvæ ad propria eorum prædia pertinentes, nunc ignorantur.

Lekanger *parœcia.*

Longum iſtud totumqve territorium apud villam paſtoralem Lekanger, *nunc* Söeſtrand *vocatur, qvaſi littus ad mare, qvod undiqve ibi inundat;* tractus qvidam circa littus ponti; hæc vulgata eſt loci etymologia, qvia olim *Syrſtrandia* vocabatur.

Lekanger, qvaſi *Leik-anger*, ludorum locus, ubi ob amœnitatem & medietatem ſeu meditullium Syrſtrandiæ ludi & conventus commode inſtitui poterant, vel â tyronibus vel athletis; Qvi autem aut qvales iſti ludi fuerint, nuspiam memoratur. *Nunc ibi ſitum eſt templum primarium ejus tribus, e lapidibus exſtructum, interne & externe bene ornatum.*

Proxime ad prædium jacet Tinghow, *ubi forum forſitan antiqvitus. Exterius promanat rivulus dictus* Baldurs Grooff, Bàlduri rivus. *De Baldurs Brynd in Sialandia Daniæ videantur* Stephani *notæ in Saxonem p.* 92. *Juxta hunc* in acervo ſeu congerie lapidum *erectus ſtat ſuper terram altus lapis formam gladii repræſentans; Eſt fere altisſimus maximusqve* cippus ſaxeus ſeu obeliſcus *qvi in* Sognia *invenitur, attamen ſine literis; Hinc de loco certum qvid ſtatui neqvit.*

De Baldurshagi *item* Belii ſepulchro *& cæteris nunc nihil certi referre ſciunt; utrum fuerit conſeptus plantatusqve hortus, nunc neſcitur; Nam propter ingentes peſtes & multos alios morbos qvibus majores demortui ſunt, & per*

tam

tam longum tempus hoſpites, ignoti, novi (inprimis inter ſacerdotes) illis iterum ſucceſſerunt; hinc priſcæ traditiones emortuæ, & patulus jam campus ubi Troja fuit antiqvitus.

Similiter de Fremnæſs; Qvod Framneſum & Syrſtrandia antiqvitus una tantum villa fuerit; *De hoc jam* per bonam conjecturam *non ſciunt aliud intelligendum, qvam de* Öffre *ſive* Fremmer Niöſs, anteriori promontorio, *qvæ in intimis jacent* Syrſtrandiæ; *Ubi deſertum adhuc ſtat magnum templum lapideum, ferturqve fuiſſe prædium cujusdam magnatis; Hinc totum littus ad ſinus usqve extrema ſe conſpiciendum præbet.*

In Wangsneſia *ad prædium* Tiugum *in Fiærland, in villa* Rinde *&* *in* Fresvig, *qvinqve parva templa lignea qvæ ad hanc præfecturam pertinent, ſita ſunt*; Qvorum locorum originem ſeu derivationem primævam cognoſcere volupe erat. *Fortasſis* Fiærland *qvaſi* Fiordland *qvod in ſinum progreditur.* Fresvig qvaſi Froſtvig, *propter ingens gelu & frigus, qvæ inibi ſunt hyemali tempore majora qvam in aliis locis.*

Sogndali *parœcia.*

Proxime intra Leganger, *ſinus in varios ramos dividitur, ita ut parvus qvidam ſinus aliqvantum ſeptentrionem verſus extendatur; hic jacet* Sogndal, *&, ſupra hunc ad montem,* Fylkis Bygden; *Alter ſinus (ex eodem magno)* ad Lyſter *usqve incurrit; Idem per alium ramum ad* Aardal *&* Lærdal; *Adhuc alius auſtrum verſus ad* Udland.

Ad Sogndal *parœciam* Stedie, Norum *&* Copanger *pertinent.*

Territorium, qvod extremum in hac præfectura jacet, audit (tanqvam locus communis) Norum, *ſinus enim ſeptentrionem verſus continentem ſcindit. In ſinu iſto in medio inter* Noorneſs *&* Fimbred *prælium fuit navale inter Reges Sverrerem & Magnum; de qvo* S. Sturleſon *in ſuis chronicis p.* 115. *ſeqv. Ibi in continente multa ſaxa reperiuntur erecta,*

ſine

ſine dubio ad indicandum congreſſum navalem, nullæ tamen in his litteræ, ex qvibus res certior fieret, conſpiciuntur.

Norum *templum ſitum eſt in prædio* Oemem (tanqvam loco proprio.)

Templum primarium Sogndali *in prædio* Stedie *ſitum eſt. In* Stedie-Bierg *extra prædium* eligebantur olim Reges; *de qvo* Wormius diſtinctius in ſuis Monumentis; *Ita ut in Sokndal Regia fuerit ſedes.*

Sedes paſtoralis è regione Stedie (*nam amnis intermanat*) *vocatur* Aalen. *Aalen* ni fallor ſignificat lineam ſeu lineæ ductum, *uti* longiuſcula linea in dorſo eqvi; profunda linea agri ſeu optima & fœcundisſima pars agri.

Aalen *in* Sogndal; qvaſi media ſeu lætisſima villa iſtius tractus.

De Copanger *jacenti ex adverſo in colle qvodam ad orientem ſpectante, in* Sturleſonii *Chronicis Norvegiæ p.* 514. *&* Undalini *Chorographia p.* 81. *legitur.*

Hawsloe *parœcia.*

Semi-milliari in continentem intra Sogndal *ſitus eſt tractus circa lacum, cui nomen Fylkis-Bygden,* populoſum vicinium. *Sturleſon p.* 515. *lin.* 5.

In medio juxta mare ſita eſt eccleſia mater in paſtorali ſede, qvæ Haffſloe *audit.* Etymologia vocis ſeu ſignificatio incognita eſt.

Huic eccleſiæ in continente intra ſylvam ſubſunt Fitz *&* Jordangers *templa. Ultra ſtagnum prope mare* Solverens *templum; Et e regione hujus trans ſinum Sognenſem* Urneſs *templum.* Qvorum nominum originatio ſeu interpretatio ſimiliter ignorantur.

Hoc Urneſs *appellatur & ſcribitur â nonnullis* Od-næſs; *lingula in extremitate* (Odden) *inter* Almendingsfiorden *&* Lyſterfiorden. Admittitur hæc derivatio donec alia certior producatur.

In hoc prædio Odneſs *Hagboor Regis filius patibulo affixus eſſe perhibetur, qvi glorioſam amabat Cyngillem; Ejus domicilium in ſummitate montis monſtratur, infra ſaxum erectum, ubi Hagbor enecatus traditur; de qvo adhuc inter plebem carmen cantatur, verbum de verbo exprimens Hagburti hiſtoriam apud Jonam Ramum* (Jon Green) *p.* 42. *Qva de cauſa ea qvæ in Dania acciderunt, huc in Norvegiam translata ſint, neſcitur.*

Lyſter.

In intimis ſinus ſita eſt parœcia Lyſter; *ubi primum reperitur* Goupne-fiord *parœcia non magna.* Goupne qvid proprie ſit, aut ſignificet, nos juniores fugit; *multi id derivant a* Gouper, *lyncibus, qvi ibi forſan olim aut apparuere aut capti ſunt; verum cum feræ iſtæ ibi jam non inveniantur,* valde dubia & incerta eſt iſta interpretatio.

Hic protenditur vallis anguſta tria milliaria recta in montem, ubi in medio inter rupes vaſtus exit fluvius Juſte *dictus. Eapropter de vallis vero nomine dubitatur, qvod alii eum appellare velint* Juſte *ſeu* Joſte-Dal, *ob* Juſte *amnem; alii eam vocant* Öſtre-Dal, *cum orientem verſus ſpectet; qvæ origo verior cenſetur.*

Hinc tempore æſtivo per niveam vaſtitatem itur in loca vicina, ex uno latere Nordfiord, ex altero Guldbrandsdal. In hac valle unus eſt ſacerdos qvi Oſterdalenſes inſtituit iisqve miniſtrat. Huic ſacerdoti omnia templa in Sognia aliqvid contribuunt, ut, qvoniam locus alte adeo inter montana ſitus ſit, ibiqve ſæpisſime frumentum ad maturitatem non perveniat, & ruſtici pauci ſint, paſtor ibi ſubſiſtere ſuſtentariqve neqveat.

Lyſter *qvod attinet, eſt; ſive hoc territorium* Lioſter, lucens ſeu lucidum, *ea propter qvod qvando qvis* Odneſum *præterit,* Lyſter *tendens, ſinus* tanqvam lux nova *aperiatur, ſive,*

ut

ut vulgus loqvitur, *à Ly*, loco qvieto ſeu placido, qvi clamoribus vel ventis non turbatur, *appelletur*, de hoc *dubitatur qvam maxime.*

In medio tractu ſita eſt ſedes paſtoralis Dale, tanqvam in valle, *ubi templum primarium ſtat è lapidibus egregie undiqve in parietibus aptatis conſtructum*, Dalenſe, *qvemadmodum etiam ſinus* Dalsfiord *vocatur*, *qvi ſæpe tempore brumali glacie conſtringitur*, *ita ut nemo introire aut exire qveat. In intima hujus ſinus parte ſitum eſt templum* Fortuun, *unde ſurſum in Gulbrandsdal itur*, *ſuntqve inter templa ſeptem milliaria. Æſtivo etiam tempore*, *verum non hyemali*, *hic montes tranſiri poſſunt ad paræciam* Loomenſem. *Templum in prædio ſtat dicto* For-tuun, anterior area; *Posſibile hoc eſſe antiqvisſimum*, *&* *in hac valle primum exſtructum.*

Lærdal.

Ad paræciam Lærdalenſem qvatuor eccleſiæ pertinent, Aardal, Howg, Tömiun, *&* Borgund.

Aardal *ſinus eſt ſeu flexus inter* Lyſter *&* Lærdal, *ubi juxta lingulam ſtagnum ſemi milliare longum*, *ad qvod homines habitant*, *ita ut hinc æſtivo tempore trans montes in Oplandiam proficiſci qveant. Videtur nomen ſortitus ex* Or *&* Dal, ſiniſtra vallis, *ſive vallis qvæ* a ſiniſtra manu *eſt*, *qvondo qvis in Lærdalum proficiſcitur.* Lærdal *derivabat olim ſacerdos* natione Cimber *ex* Leyer-Dal, qvaſi caſtrorum vallis; *ſcripſit ſe igitur*, Paſtorem eccleſiæ Caſtro-vallinæ. *Huic ſuccedens*, *natione Norvegus exiſtimavit ex* Ley, *via*, viæ ductu, *&* Dal *componi*, *via enim inter* Sogniam *&* Walder *per hanc vallem ducit per* Borgun *ſub monte*, *inde per Fileſield ad Walder. Scripſit igitur*, Paſtor Leydalenſis.

Rectius ſentit Clarisſimus Dominus Thormudus vallem dici Læradal à femoribus. Lær, *femur*, *nam vallis*, *qvæ eſt*

perqvam anguſta, & pratum inter duas altas rupes, tanqvam duo femora, extenditur ſurſum in acclives convalles, Borgun, *& ad radices montis* Filefield.

Qvod *File* vel Fiælefield *nomen habet á vicinis incolis qvi* Filur *vel* Fild-Folk olim nominari poſſint, hoc facilis credo, qvoniam nullum prædium, nulla peculiaris villa vel ab hac vel ab altera montis parte invenitur; Fiælur vel Filur dicta, unde ſuum nomen mons mutuari poſſit. Sed qvod jam detur ulla vicinia Sogniæ contradiſtincta, qvæ *Filur* nominetur, hoc plane negatur. Veriſimile eſt qvod vicini ac proxime adjacentes incolæ, qvi olim *Filer* dicebantur, hodie per Lærdalinos & Borgenſes inhabitatores intelligantur.

Qvamvis dictæ viæ longitudo in tranſitu deſcribatur eſſe duodecim milliaria (Undal. *p.* 81.), *mons tamen qvoad locorum diſtantiam tantum eſt inter ipſi adſitas domos tria milliaria. Hic domus & habitantes jugiter adſunt & conſervantur; Qvemadmodum qvoqve in eum uſum qvatuor oboli pro via, per qvam freqventes eunt, & tabellario publico, á qvovis homine in Sognia expenduntur. Cæterum mons* Filefield *longe per continentem extenditur, & qvaſi tergum incolas Norvegiæ in Transalpinos & Cisalpinos dividit. Conf. Compendium Geograph.* Hans Nanſons *p.* 152. *Conſpiciuntur in monte ſpeculæ & perticæ erectæ* (indices viæ.)

In Lærdals-Ör *ad littus, utpote loco apto, nundinæ qvotannis tempore autumnali in feſto Sancti Matthiæ habentur; qvo Oplandi, Valderenſes & vicini transeundo Filefield frumentum devehunt. E contrario piſcatores qvorum extrema ad mare ſita domicilia, & alii, piſcem & alias merces Hic commutant commerciaqve habent in commune bonum plebisqve uſum. Vocantur nundinæ Lærdali in Sognia.*

Udlandi *parœcia.*

Qvæ in Dn. Undali *chorographia p.* 81. *audit* Waangs *parœcia, eſt* mendum typographicum, *& legi debet* Udlands; *ubi* Underdals, Wangens *&* Floms *templa ſita reperiuntur.* In

In tractus extremitate ſinus eſt haud qvaqvam vaſtus, dictus Nær-Öen, *unde via per continentem in Woſs ducit; hac tabellarius publicus proficiſcitur. Vallis* Sogneſtrand *appellatur, cujus incolæ templum* Woſs *freqventant, ſolvunt vero tributa inqve forum deſcendunt in Sognia, medii enim inter* territoria Sogn & Woſs *habitant.*

In Underdal *inter* Nær-Öen & Wangen *in levamen plebis perqvam parvum exſtructum eſt templum ligneum, ut longa illa via inter Næröen ad templum parochiale ire neceſſe non habeat.*

Sedes paſtoris, qvæ in medio tribus ſita eſt, dicitur Wangen, *ibi templum lapideum adeo magnum, altum, longum latumqve, ut ei par in* Sogn *non inveniatur, ſitum eſt.* Wangen *unde nomen ſuum habeat neſcitur, qvamvis plura alibi prædia ejusdem ſint nominis, ex. gr.* Wangen *in* Woſs, *ibi eſt ſedes paſtoralis, templumqve primarium.*

Villa Wangen *proxima* Aurdal *audit, ubi paſtor jam melioris ſortis majorisqve uſus ergo habitat. Credibile hunc tractum olim dictum fuiſſe, non* Udland *vel* Urland, *aſt* Aurland, arenoſam regionem, vel terram ob arenas & lapillos decurrentis fluvii infrugiferam.

Verum qvoniam hinc ſurſum per vallem via ducit in Hallingsdal *ad paræciam* Hól, *conjiciunt hic* Aurlandi *olim æſtivo tempore commercatos eſſe, cum* Oplandi *piſces, ſal, eqvos, & talia emturi deſcenderint; cujus & alius ſimilis commercii cauſa magnum templum à divitibus, cum Angli huc navigantes appellerent, exſtructum perhibetur. Verum nunc Oplandorum mercaturam viæ longitudo, inter templa duodecim millia, ingensqve nix qvæ in montem decidit, impediunt; Navigationem prohibet Bergarum coactio, nulli navi huc navigare permittens, ita ut parva jam ædes vili huic & pauperi plebi ſufficeret. Per alteram iſtam vallem intra ſinum, ubi ſtat templum* Flomenſe, *ducit via trans montem* Hardangur *petituros. Hac tamen non niſi æſtivo tempore itur.*

Plura de Sogn *hac vice non ſunt memoranda.*

Qvod ad cippos aliasqve antiqvitates, qvibus literæ Runicæ hic in Sognia inſculptæ ſunt, pertinet, impreſſæ habentur inter Monumenta Wormii *Hafniæ in folio excuſa. Alia rara hic non inveniuntur; præter ſtationes navales, nempe loca ad littus ubiqve, in qvibus indigenarum naves longæ tempore hyemali aſſervatæ fuerunt, qvibus æſtivo tempore jam in Hetlandiam Orcadesqve, vectigalia & alia jure ſibi debita exacturi, commerciaqve habituri, jam in defenſionem regionis tempore belli, tandemqve in piraticam hic ibi, ubicunqve potuere, navigarunt.*

Conſpicitur alias ad littus in prominentibus pasſim lingulis magnæ ſaxorum congeries lapidumqve acervus; Qvem in finem, neſcitur; ſunt qvi ad defenſionem regionis tempore belli, ſunt & alii, qvi injuncta opera pro delictis tempore Papali, *exiſtimant.*

Terræ fructus qvoad hortos, agros, gramen, ſylvas, omnifarià in mari piſcatura, nunc qvovis anno fallunt jugiterqve minuuntur, ità ut Sogn *neqvaqvam, qvemadmodum priſco tempore fuit, optabilis ſit. Ita etiam lingva interiit, qvoniam nunc non canitur, in templo non prædicatur, non loqvuntur, nec imprimunt lingva Norvegica; Unde omnes* derivationes & ſignificationes vocum *mortuæ ſunt.*

Potentes nunc in regno, ut antiqvitus, non ulterius inveniuntur.

Sic tranſit gloria mundi.

Tabulæ ſynchroniſticæ Regum Daniæ, Norvegiæ & Sveciæ, Imperatorumqve, per P. F. S***.

Tab. I.

Reges Daniæ juxta *Saxonem.*	Qvomodo *Torfæus* ordinem ſingulorum horum Regum immutaverit, ut etiam nonnullos plane rejecerit, & in alios minores ablegaverit.
1. *Dan* filius Humble.	Plane rejectus. vide *Seriem* p. 247.
2. *Humble* Dani filius.	Rex Hunniæ, p. 247.
3. *Lother* Dani filius.	Princeps Cimbriæ, filius Heidreci Regis, p. 247.
4. *Skiold* Lotheri filius.	Primus Daniæ Rex & Othini filius, p. 248.
5. *Gram* Skiöldi F.	Filius Halfdani Antiqvi Hringarikiæ & Valdreſiæ in Norvegia R. p. 249.
6. *Svipdager* Norvegiæ Rex.	Dubitatur de ejus exiſtentia, p. 252.
7. *Guttorm* Grami F.	Dubitatur de ejus exiſtentia, p. 252.
8. *Hadding* Grami F.	R. Haddingiadali & Thelamarchiæ in Norvegia, pag. 252.
9. *Frode* 1. Haddingi F.	Eſt *Frode* 4. p. 254.
10. *Haldan* 1. Frodii 1. F.	Eſt *Haldan* 2. filius Frodii 4. p. 254.
11. *Roe* & 12. Helgo Haldani 1. filii.	Sunt *Hroar* & *Helgo* F. Haldani 2. p. 286.
13. *Rolf Krake* Helgonis F.	Filius Helgonis, p. 288.
14. *Hother* Sveciæ Rex Hotbrodi F. & nepos Svanhvitæ Frodii 1. ſororis. Tunc vixerunt Othin, Balder & Boe.	Unus ex Diis ſeu Aſis, qvi cum Othino vixit & in Edda vocatur *Haudur*, p. 296.
15. *Röric Slyngebaand* Hotheri F.	Eſt *Hrærec Slaungvanbaug* Haldani 3. F. p. 301.
16. *Viglet.*	Islandis plane ignotus p. 302.
17. *Wermund* Vigleti F.	Frodii 2. F. p. 269. 302.
18. *Uffo* vel *Olavus* Vermundi F.	Vermundi F. p. 269.
19. *Dan.* 2. Uffonis F.	*Dan.* 1. Olavi F. p. 224. 269. 270.

Tab. III.

Reges Daniæ juxta *Saxonem*.	Qvomodo *Torfæus* ordinem horum Regum immutaverit &c.
45. *Ruskler* Omundi F.	Rex Saxoniæ ſeculo 8. p. 325.
46. *Jarmericus* Syvardi F.	Gothorum R. *Ermanaricus* ſeculo 4. p. 335.
47. *Broderus* Jarmerici F.	*Randver*, apud Islandos, Ermanarici F. p. 328.
48. *Syvaldus*.	Islandis ignotus p. 329.
49. *Snio* Syvaldi F. Tunc exierunt Longobardi ex Dania.	Forte *Suar* Finlandiæ Rex, p. 329.
50. *Biorn*.	Forte Regulus quidam, p. 331.
51. *Har*[illegible]	
52. *Germ* Haraldi F.	*Germ* hinn Heimſki 2. *Scalter*, Rex Jutiæ, p. 332.
53. *Gotric* vel *Godefredus* Gormonis F. † 810.	*Gotricus* Rex Veſtrogothiæ, p. 332.
54. *Olav.* Gotrici F.	Commentitius, p. 333.
55. *Hemming*.	*Hemming*, p. 333.
56. *Syvard Ring*, F. Syvardi Ring & nepos Gotrici ex filia.	*Sigurd Hring* Randveris F. p. 317.
57. *Regner* F. Syvardi Ring.	*Regner Lodbrock* Sigurdi Hringi F. p. 345.
58. *Sivard* Regneri fil.	*Sigurd* Regneris F. p. 396.
59. *Eric* frater Haraldi inimici Regneri.	Rex Jutiæ, p. 433.
60. *Eric* Sivardi F.	Rex Jutiæ, p. 438.
61. *Canutus* Erici F.	Rex Jutiæ p. 401. 436. 438.
62. *Frode* Canuti F.	R. Jutiæ circa 948. p. 438.
63. *Germ* Anglicus Frodi F.	Factus ex *Gormone* F. Knuti Jutiæ R. & ex Olafo Anglo Jutiæ R. p. 438.
64. *Harald* Gormonis F.	Commentitius, p. 438.
65. *Germ*.	*Gorm Grandævus* Hördaknuti F. pag. 439.
66. *Harald Blaatand* Gormonis F.	*Haraldus Blaatand* Gormonis F. vid. Trifolium.
67. *Sveno furcata barba* Haraldi F.	*Sveno furcatæ barbæ* Haraldi F. v. Trifolium.

Reges Daniæ juxta *Torfæum* in Scania.	in Sialandia.
15. [illegible] Halfdani 2. F. N. a. 444. m. [illegible] pag. 236. Sumtus ex Origg. Norvegg. [illegible] ſcriptis; etiam [illegible] Norege cognominatus.	16. *Hræreckr Hnøggvanbaugus* Ingialdi F. N. a. 444. mort. 512. p. 234. 238.
19. *Fridlev Munificus* Hroarei F. N. a. 470. M. 512. p. 236.	17. *Frodius* 6. Hrærek F. n. a. 492. m. 548. pag. 238.
20. *Haraldus Grandævus* Valdari F. n. a. 493. m. 561. p. 236. Sumtus ex Fundinn Noregr.	18. *Halfdanus* 3. Frodi 6. F. n. a. 530. m. 570. p. 238.
21. [illegible] Haraldi F. N. a. 529. m. 580. p. 237.	19. *Hrærekr Slaungvanbaugus* Halfdani 3. F. n. a. 560. m. 588. p. 238. 239.
22. *Ivar Vidfadmius* Halfdani 3. Diſerti F. N. a. 544. m. 600. p. 237.	
23. *Haraldus Hildetan* Hrærici Slaungvanbaugii F. n. a. 555. m. 735. p. 239.	
24. *Sigurdus Hring* F. Randveri, fratris Haraldi Hildetanni, n. a. 680. m. 750. p. 240.	
25. *Regner Lodbrock* F. Sigurdi Hring n. a. 722. m. 790. p. 240.	
26. *Sigurdus Angviculus* F. Regneris Lodbroch n. a. 772. m. 820. p. 240.	
27. *Hordaknutus* F. Sigurdi Angviculi n. a. 810. m. 848. p. 240.	
28. *Gormus Grandævus* Hordaknuti f. n. a. 830. m. 935. p. 240.	
29. *Haraldus Ceruleidens* F. Gormi Grandævi, n. a. 895. m. 985. p. 240. Torfæi Trifolium hiſtoricum p. 114-123.	
30. *Sveno Furcata Barba* F. Haraldi Ceruleidentis n. a. 940. m. 1009. p. 249. Vide Torfæi Trifolium hiſtoricum p. 136.	

Reges Sveciæ juxta *Torfæum*.
20. *Solvius* de Niardeya, Norvegus m. a. 541. p. 237.
21. *Yngvar* Eyſteini F. n. a. 500. m. a. 545. p. 237.
22. *Braut-Onundus* Yngvari f. n. a. 520. m. a. 565. p. 237.
23. *Ingialldus Aſtutus* Braut-Onundi F. n. a. 540. m. a. 510. p. 237. 238.
24. *Ivar Vidfadmius* Rex Daniæ Halfdani 3. Diſerti F. n. a. 544. m. a. 600. p. 237.
25. *Haraldus Hildetan* Rex Daniæ Hrærici Slaungvanbaugii F. n. a. 585. m. 735. p. 239.
26. *Sigurdus Hring* F. Randveri, fratris Haraldi Hildetanni, Rex Daniæ, n. a. 680. m. 750. p. 240.
27. *Regner Lodbrock* F. Sigurdi Hring R. Daniæ n. a. 720. m. 790. p. 240.
28. *Biornus Ferrei lateris* F. Regnaris Lodbroch n. a. 750. m. 804. p. 366 & 367.
29. *Eiricus* 1. F. Biornonis n. a. 770. m. 808. p. 367.
30. *Eiricus* 2. Keſſili F. Biornonis nepos n. a. 790. m. 820. p. 367.
31. *Emundus* Eirici f. n. a. 810. m. 848. p. 367.
32. *Eiricus* 3. Emundi f. n. a. 830. m. 873. p. 367.
33. *Biornus* Eirici 3. F. n. a. 862. m. 923. p. 368.
34. *Eiricus* 4. *Victoriſus* Biorni f. n. a. 908. m. 993. p. 368.
35. *Olafus Skautkonung* Eirici 4. F. n. a. 982. m. a. 1022. p. 368.

Reges Norvegiæ juxta *Torfæum* in Serie.
Olafus Lignicida [illegible] n. a. 540. m. a. 565. F. Ingialdi Aſtuti R. Sveciæ, M. a. 640. p. 242.
Halfdanus 1. *Albipes* Rex F. Olafi Lignicidæ n. a. 625. m. a. 700. p. 242.
Eyſteinus f. Halfdani n. a. 680. m. 730. p. 242.
Halfdanus 2. *Munificus* f. Eyſteini n. a. 710. m. 784. p. 242.
Gudrodus Magnanimus F. Halfdani Munifici n. a. 763. m. 824. p. 242.
Halfdanus 3. *Niger* F. Gudrodi n. 823. m. 863. p. 243.
Haraldus Pulchricomus F. Halfdani 3. n. a. 853. Primus Monarcha Norvegiæ, cujus dominationem aſſecutus eſt 875. m. 933. Torfæi Hiſt. Norv. Part. 2. p. 76 & 77.
Eiricus Blodöxe, Haraldi F. In exilium ejectus anno 935. ib. p. 78.
Hacon Adelſtani alumnus, Haraldi F. m. 950. ibid. p. 78.
Haraldus Grafeld F. Eirici, M. 962. ibid. p. 79.
30. *Hacon* Comes, ſive *Jarl*, F. Sigurdi Jarl ex ſtemmate Odini; et filium ejus Seningum M. 995. p. 90.
31. *Olafus* Tryggvini f. m. anno 1000. ibid. p. 451.

Imperatores & Reges Germaniæ inde à Carolo Magno.
1. *Carolus Magnus* Rex Franciæ 768. Imp. 800. † 814. *Torfæus* in Serie p. 404. 407. 409. 411.
2. *Ludovicus* I. *Pius* Caroli F. † 840. Torfæus p. 405. 408. 414. 417.
3. *Lotharius* Imperator † 855. *Ludovicus* I. R. Germaniæ † 876. *Carolus Calvus* R. Franciæ, † 877. & Imperator ab anno 875. omnes filii Ludovici Pii. Torfæus p. 418. 422.
4. *Ludovicus* II. Lotharii F. † 875.
5. *Carolus Calvus* Ludovici Pii F. † 877.
6. *Ludovicus Balbus* Caroli Calvi F. † 879. & *Ludovicus* II. Ludovici F. R. Germaniæ † 882. Torfæus p. 422. 423. 425.
7. *Carolus Craſſus* Ludovici F. Imperator & Rex Germaniæ, declaratus 887. † 888. Torfæus p. 423. 425. 427.
8. *Arnulphus* Carolomanni f. Ludovici nepos, † 899. Torfæus p. 423. 427.
9. *Ludovicus Infans* Arnulphi f. † 912.
10. *Conradus* I. Dux Franconiæ & Rex Germaniæ † 919.
11. *Henricus* I. *Auceps* D. Saxoniæ & R. Germaniæ † 936. Torf. p. 429. Trif. p. 9.
12. *Otto* I. *Magnus* Henrici f. † 973. Torfæus p. 420. Trif. p. 15. 20. 27. 34. 48. 58.
13. *Otto* II. Othonis I. f. † 983. Trif. p. 34. 37
14. *Otto* III. Othonis II. f. † 1002. Trif. 37. 47

Tab. II.

Reges juxta *Saxonem*.	Daniæ. Qvomodo *Torfæus* ordinem ſingulorum horum Regum immutaverit &c.
20. *Hugleik.*	Rex Sveciæ, p. 274.
21. *Frode* 2. *Vegetus.*	*Frode* 3. *Tranqvillus*, Dani F. p. 274.
22. *Dan.* 3.	*Haldanus* Frodii 3. F. p. 274.
23. *Fridlev* 1. *Celer.*	*Fridlev* 3. *Celer*, Frodii 3. F. p. 282.
24. *Frode* 3. Fridlevi f. Tunc natus Chriſtus.	*Frode* 1. *Pacificus* Fridlevi 1. fil. p. 255.
25. *Hiarnus.*	Mentio ejus non ſit apud Scriptores Iſlandicos, p. 267.
26. *Fridlev* 2. Frodii 3. F.	*Fridlev* 2. Frodii 1. F. p. 268.
27. *Frode* 4. Fridlevi 2. F.	[illegible] F. p. 268. 283.
28. *Ingel* Frodii 4. F.	*Ingel* Frodii 4. F. p. 284.
29. *Olaus* 2. Ingelli F.	Eſt *Hrærekur Hnauggvanbaug*, p. 284.
30. *Frode* 5. & 31. *Harald* 1. Olavi F.	Sunt *Frode* 5. & *Haldanus* F. Frodii 4. p. 285. Poſterior etiam *Haldanus* 1. Frodii 3. F. p. 303.
32. *Harald* 2. & 33. *Haldan* 2. Haraldi 1. F.	Sunt *Hroar* & *Helgo* Haldani F. p. 286.
34. *Ungvin* Rex Gothorum.	Forte Regulus (provincialis) qvidam; p. 306.
35. *Syvald* Ungvini F.	Forte Regulus qvidam; p. 306.
36. *Sigar* Syvaldi F.	Regulus qvidam, forte in Dania ſub Frodio 3. p. 270.
37. *Syvald* Sigari F.	Forte nunqvam vixerit; p. 306.
38. Interregnum. Tunc regnarunt; *Oſmar* in Scania, *Hunding* in Sielandia, *Hane* in Fionia. *Roricus Hater* in Jutia.	Hos omnes *Torfæus* ſicco pede tranſit.
39. *Haldan* 3. Borcari F.	*Halfdanus Dapifer* R. Scaniæ F. Haraldi Grandævi; p. 308.
40. *Harald* 3. *Hildetand* Haldani 3. F.	*Harald Hildetan* F. Hræreki Slaungvanbaugii R. Sielandiæ, p. 313.
41. *Hetha* Regina.	Hanc *Torfæus* in medio reliqvit, p. 324.
42. *Olo Vegetus* Sivardi F. & nepos Haraldi 3. ex ſorore.	Idem cum *Olave* Fridleifi 3. F. vel *Olofo* Anglo Regulo Jutiæ, pag. 281 & 282.
43. *Omund* Olonis F.	Iſlandis ignotus; p. 325.
44. *Syward* Omundi F.	Iſlandis ignotus.

Reges Daniæ juxta *Torfæum* in *Serie*, qvos fere omnes ex antiqvo Iſlandico monumento ſumſit, cujus Codex antiqviſſimus, qvi nunc exſtat, deſcriptus eſt circa annum 1313. Chronologiam autem ordinavit juxta ſynchronismos inter Daniæ & Sveciæ Reges apud *Snorronem* obvios.	Reges Sveciæ juxta *Torfæum*.
Odinus Deſter coloniam in ſeptentrionem 70. circiter annis ante Chriſtum deduxit p. 105. 226.	Odinus Deſter, mortuus anno 30. ante Chriſtum, pag. 228.
1. *Skiold* Odini F. nat. anno 80. R. Daniæ anno 60. m. a. 50. p. 226. 227.	1. *Niordus* collega & amicus Odini, natus anno 10[illegible] Chriſtum, mortuus anno 20. p. 227. 228.
2. *Fridleifus* 1. Skioldi F. N. ann. 60. Mort. ann. 23. pag. 227.	2. *Freyr* Niordi filius, n. a. 82. ante, m. 10. anno poſt [illegible] ſtum, p. 228.
3. *Frodius* 1. *Pacificus* Fridleifi 1. F. N. ann. 30. mort. ann. 35. poſt Chriſtum, p. 227.	3. *Fiolner* Freyris F. nat. ann. 43. ante Chriſtum; M[illegible] ann. poſt Chriſtum, p. 228.
4. *Fridleifus* 2. Frodii 1. F. N. ann. 1. mort. ann. 47. pag. 228. 229.	4. *Svegder* Fiolneri fil. n. a. 13. ante Chriſtum; m. a[illegible] poſt Chriſtum, [illegible]
5. [illegible] Fridleifi 2. fil. N. ann. 24. M. ann. 59. p. 229.	5. *Vanlandus* Svegdeii F. N. a. 16. poſt Chriſtum. m. [illegible]
6. *Frodius* 2. Havari F. N. ann. 45. M. a. 77. p. 229.	6. *Visbur* Vanlandi filius, n. anno 38. m. a. 88. p. 2[illegible]
7. *Vermundus ſapiens* Frodii 2. F. N. a. 62. m. a. 120. p. 229.	7. *Domaldus* Visburi filius, n. a. 60. m. a. 90. p. 230.
8. *Olofus Manſuetus* Vermundi filius N. A. 77. M. A. 146 p. 229.	8. *Domar* Domaldi f. n. a. 84. m. a. 132. p. 230.
	9. *Dyggvius* Domari F. nat. ann. 106. m. a. 152. p. [illegible]
9. *Danus Magnanimus* Olafi F. n. a. 126. M. ann. 222. p. 230. 231.	10. *Dagus* Dyggvii F. n. a. 128. m. a. 172. p. 232.
	11. *Agnius* Dagi fil. n. a. 150. m. a. 192. p. 232.
10. *Frodius* 3. *Tranqvillus* Dani F. N. 182. M. 272. p. 231.	12. *Alrecus* Agnii F. n. a. 172. m. a. 212. p. 232.
11. *Haldanus* 1. Frodii 3. F. N. ann. 244. M. 298. p. 231. Sumtus ex *Snorrone*.	13. *Yngvius* Alreci F. n. a. 194. m. a. 247. p. 232.
12. *Fridleifus* 3. Frodii 3. F. N. a. 264. m. 348. p. 231.	14. *Jorundus* Yngvii F. n. a. 216 m. a. 258. Inq[illegible] imperium habuit, primo regnum occupante [illegible] Hugleico, deinde Hakio Norvagienſi pugile; p[illegible]
13. *Olaus Vegetus* Fridleifi 3. F. N. a. 297. M. 338. p. 231. Sumtus ex *Snorrone*.	15. *Aunius Grandævus* Jorundi filius, n. a. 238. m[illegible] 448. p. 233.
14. *Frodius* 4. *Vegetus* Fridleifi 3. F. n. a. 340. m. 407. p. 233. 234.	
15. *Ingialdus* Frodii 4. F. N. a. 388. m. 456. p. 234.	16. *Egil Tunnicida* Aunii F. natus a. 388. mort. a[illegible] 235.
16. *Halfdanus* 2. Frodii 4. F. n. ann. 398. M. 447. p. 234.	
17. *Frodius* 5. Frodii 4. F. n. a. 407. M. 460. p. 234. 235. Sumtus ex *Soga* vel hiſtoria Iſlandica *Hrolfi Krakii*.	17. *Otter Vendilkraka* Egilis f. n. a. 410. m. a. [illegible] 235.
18. *Helgius* Halfdani 2. F. n. a. 446. m. 494. p. 235.	18. *Adils* Ottaris f. n. a. 450. m. a. 505. p. 236.
19. *Hrolfus Krakius* Helgii F. n. a. 486. mort. 522. pag. 235 & 236.	19. *Eyſteinus* Adilſi F. n. a. 476. mort. a. 531. p[illegible]

INDEX

In Seriem Dynaſtarum & Regum Daniæ ab Auctore collectus.

(Numeri parentheſi incluſi, nunc adjecti ſunt, & hujus, qvi præ oculis eſt, libri paginas indicant.)

A.

Abſalonis Archiepiſcopi Teſtamentum — — — — (92.)
Accipitrarii, erga S. *Eadmundum*, exitialis dolus — — 380.
Adaldagus Archiepiſcopus — — — — — — — (127.)
Adalbrichtus Adalmundo ſucceſſit, laudatur. Eo ſeneſcente, Danorum exercitus, ducibus Knuto & Haraldo Gormi filiis, in Angliam venit — — — — — — — — 376.
Adalmundus Edgeris filius, Ivari Exoſſi ſucceſſit. Is S. Eadmundi fratris filius fuit, ejus tempore Northumbria ethnica fuit — ibid.
Adamus Bremenſis, in hiſtoria Septentrionis hoſpes. 61. (127. XXII.)
Tradit Gothelſam per medios Gothorum populos in oceanum decurrere — — — — — — — — (11.)
Haraldum Pulchricomum cum Comite Hacone miſere confundit — — — — — — — — — 62.
Isleifo æqvalis, Ario prior, ea, qvæ parum ab ætate ſua remota, â Sveno Eſtridio, Daniæ Rege, ſe audiviſſe profitetur, tueri neqvit — — — — — — — — — 63.

Cum Chronici Norvegici editione Danica, Eirico Pomerano, & Olafi Tryggvini Hiſtoria, in Recenſu Regum Daniæ poſt cladem Nordmannicam fallitur, refellitur — — 432. usqve 437.
Adils Sveciæ Rex, Hothfrodi *Saxoni*, Ottaris Vendilkrakæ *noſtris*, filius eſt, de ejus morte *Saxonis* & *Snorrii* diſſenſus — 296. 184.
Adlingorum & *Audlingorum* familiæ diverſæ — 340. (XXXVII.)
Aelnotus — — — — — — — — (44. 62.)
Agapetus Pontifex, Epiſcopos in Daniam introducendos conſecrandosqve curat — — — — — — — — 429.
Ejus tempora, cum Frodii ſeu Frothonis, qvi Henrici Aucupis tempore vixit, fruſtra conciliare *Lyſchander*, *Vellejus*, & *Stephanius* conantur — — — — — — — 440. 441.
Agnar Ragnaris Lodbrochis filius, in prælio cum Eyſteino Sveciæ Rege occumbit — — — — — — — — (57.) 348.
Ejus in S. Eadmundum crudelitas — — — — 380.
Agnerus Polydori Virgilii, *Bromtoni* Ingvar appellatur, ejus de eo & fratre ejus Hubba expoſitio — — — — — 382.
Agnius Dagi filius — — — — — — — (184.)
Aki nomen viri proprium — — — — — — — (92.)
Alefeld Comes, ad eum epiſtola — — — — — (115.)
Alfgeir Alfi Senis vel Grandævi Alfheimorum Regis filius — (40.)
Alfhildis Sigurdi Hringi uxor, Alfi Priſci proneptis, an vero is Alfus Finnalfus fuerit, Origines Norvegiæ non exprimunt (5. 40.) — — — — — — — — 320. 387. 507.
Alfus, qvem *Hiſtoria Gotrici & Hrolfi* Thori æqvalem facit ſeptem generationibus Odino inferior eſt — — — — — 126.
Iſtius Genealogiæ defectus, qvo referendus — — ibid.
Alfus Senex — — — — — — — (40.) 387.
Alrechus Angliæ Rex, qvis fuerit ambigitur — — — 93.
Alrichus, qvi *Saxoni* Sveonum Rex habetur, Heidrechus. Jutiæ Rex eſt Hiſtoriæ Hervorianæ — — — — — 256. (22. X.)
Alrecus Agnii f. — — — — — — — (184.)
Alſvidi ungula qvid denotet — — — — — — 14.
Alvor Alfi ſoror — — — — — — — (XXIX.)
Amazones ex Gothorum ſeptentrionalium gente non eſſe — 178.
Amlethus Islandis Svecisqve *Amlodius* proqve fatuo uſurpatus — 302.
Ejus vitam nuper confictam ex Islandia ſe conſecutum auctor perhibet nullius pretii — — — — — — 303.
Anacharſis nihil ad Norvegos aut Svecos — — — (141.)
Anaſtatius Imperator — — — — — — — (29.)

Angantyrem & *Ottarem Stultum*, & qvæ de ipſis ex carmine *Hyndluliod* ſeu *Völuſpá* breviore allegata ſunt, exſtant (26. 33. XXXII.) 257.
— — — — — — — — — usqve 267.
Anglis, Scotis, Svecis, ſuſpecta antiqvitas a *Lyſchandro* adſtruitur 77.
Anglorum moderatiores nihil certi ex patriis Annalibus de gentis ſuæ antiqvitate ante Julii Cæſaris tempora produnt — — 78.
Illorum appellationem ab Ynglingis formatam ſtatuit *Langhornius* — — — — — — — — 154.
Angrivariis ſuſpecta antiqvitas a *Lyſchandro* adſtruitur — — 77.
Angvioculus, unde Sigurdus Ragnaris Lodbrochis filius dictus ſit 369.
Angur, qvid denotet — — — — — — — (162.)
Annales anepigraphi — — — — — — — — 11.
Annales Oddenſes a *Sæmundo Polyhiſtore* conſcripti — — 40.
Illorum de migratione Odini in Septentrionem ſuſpecta calculatio — — — — — — — — — 111.
Annalium Islandorum Chronologiæ de initio imperii & cæde Ragnaris Lodbrochis & filiorum ejus — — — — — 373.
Annalium Flateyenſium conditor *Arius Polyhiſtor* habetur — 43. 44.
Anni inter diluvium & diſperſionem gentium qvot interceſſerint 165.
Anonymi teſtimonium de Sæmundi calculatione in vitis Regum Norvegiæ a ſe obſervata improbatur — — — — — 42.
Anonymorum librorum Islandicorum varia exemplaria adhuc ſuperſunt; qvædam ex iis recenſentur — — — — 48.
Ansgarius Haraldum Regem, qvi Moguntiæ baptizatus eſt, in Daniam ſeqvitur — — — — — — — 406. 415.
Harechum luſtrali aqva perfundit — — 407. 417. 421.
Biennium in Dania manſit, ad Imperatorem revertitur, in Sveciam legationem ſuſcepit. Gislemarum ſocium ſuum in Dania relinqvit — — — — — — — — — 415.
Moritur — — — — — — — 408. 421.
Antichronismus *Saxonis* in putandis annis a Frothone, qvi Pontificis Agapeti tempore vixit, ad Haraldum Cærulidentem, qvi ſub Ottone Primo ſacris initiatus eſt — — — (63.) 440.
Antiqvitas incolatus ſeptentrionis ad Sarugi tempora ex aboriginum migrationibus ex Aſia male concluditur — 164. usqve 172.
Nec melius ex Scantianorum migrationibus in Aſiam 179. usqve 198.
Nec ex vetuſtisſimis nominibus propriis Septentrioni cum Oriente communibus — — — — — 173. usqve 177.
Omnium gentium, præ Hibernenſium antiqvitate novitas qvædam & infantia Camdeno videtur — — — — — — 198.

Antiqvitatem incolatus Septentrionis ex Hibernis antiqvitatibus non poſſe demonſtrari — — — — — — — — ibid.
Apollonii vita hiſtoriarum albo eximenda — — — (XXVII.)
Arhus Jutiæ oppidum vetuſtis membranis *Aros* — — — 76.
Ejus templum qvando ædificatum — — — — 429.
Epiſcopatus inſtitutio — — — — — — ibid.
Arildi Hvitfeldii in computandis annis inter Eiricum Puerum & Haraldem Blátannem circumſpectio — — — — — 441.
Arildz Tid unde dicatur — — — — — — — 316.
Arioviſtum ſecundum *Langhornium* Odini filium eſſe non potuiſſe, ſi Odinus Scipionum tempore ex Aſia migravit — — — 155.
Arius Polyhiſtor primus Septentrionalis Hiſtoriæ Scriptor, qvando eam, & qvid præterea conſcripſerit — — — — — 38.
Sæmundi cenſuræ ſuum librum ſubjecit, ejus & *Sæmundi* calculatio in Regum Norvegorum annis ab Anonymo allatis diſſentit 42.
Qvo anno natus ſit, ubi *Snorrii* error occurrit, & qvo anno librum de Islandia compoſuerit, qvoqve anno vita functus ſit 43. 44.
Ejus hiſtoria prolixane an ſuccincta fuerit non conſtat — (142.)
Arnæ Magnæi de libro, qvi Cimbrorum & Gothorum Origines, migrationes, bella atqve colonias enarrat, reſponſio — — 67.
Ejus in *Seriem Regum Daniæ* merita, conf. *Magnæus.* (X. ſq. XVI.)
Arnefiord — — — — — — — — — (174.)
Arnfinnus Holſatiæ Comes filium ex ſorore ſua procreat, ſervis exponendum tradit — — — — — — — — 399.
Arngrimi Jonæ de ſcriptis Isleifi, primi Islandiæ Antiſtitis, teſtimonium — — — — — — — — — — 39.
Arngrimum non Svedicum pugilem, ut *Saxo*, ſed Norvegum, *Hiſtoria Hervoriana* profitetur — — — — — — 256.
Nec ex Frodii Daniæ Regis filia duodecim athletas ſuſcepit 256.
— — — — — — — — — — 262. 298.
Ejus patris nomen ɔ: Dagus corruptum — — — (26.)
Ille Odino minime æqvalis — — — — (26.)
Alfo Noris nepoti coævus — — — — (27.)
Verelii de eo ſententia non probanda — — — (XXXII.)
Ejus mors — — — — — — — — — (139. ſq.)
Arnoldi Thylenſis confuſa forte relatio *Saxonem* decepit — — 220.
Arnulfus Imperator Nordmannos cædit — — — 423. 427.
In cladis ejus anno calculi diverſitas — — — 428.
Arthbaricus Saxonum Rex antiqvisſimus, ſi unqvam exſtitit, Odino poſterior fuit — — — — — — — 111.
Arvakri auris qvid denotet — — — — — — 14.

Aſa Aſtuta, Ingialdi Aſtuti Veciæ Regis filia, maritum ad fratris necem impellit, poſtea ipſum per inſidias tollit — — 308.
Aſæ famam peſſime traduxerunt — — — — — (12.)
Aſlaug Ragnaris Lodbrochis uxor, pavit greges in iſthmo Spangarudenſi; inventa infans in cithara — — — — 35.
Kraka primo dicta, ejus & Ragnaris liberi, repudii decreto territa parentes ſuos profitetur, miraculoqve probat — — 347.
Videtur reponenda pro Thora in genealogiis — — (58.)
Asmundum Halfdani Biergrammi filium imprudenter, & Norvegici ſtemmatis progenitorem, â *Saxone* conſtitui — — 304.
Athletæ cum mortuorum geniis ſæpius congreſſi theſauros eis eripuerunt — — — — — — — — 145.
Atlamál en Grænlenzco — — — — — — (148.)
Atlius Gracilis — — — — — — — — (16.)
Atlöe, ignaris *Hatl-öe* — — — — — — — (168.)
Auctoris de candore ſuo in præſenti opere teſtimonium — — 2.
Apologia pro reprehenſione clariſſimorum ſcriptorum — 442.
Auctoris Anonymi de ſcriptis *Sæmundi Polyhiſtoris* teſtimonium — 41.
Audhiörnus non Sogniæ Rex — — — — — — (161.)
Audlingorum & *Adlingorum* diverſæ familiæ — 340. (XXXVII.)
Audulfus Robuſtus ſev Dives — — — — — 398.
Audun Skökull Islandiæ incola, inter Sti Olafi progenitores locum tenet — — — — — — — — — 359.
Ab eo Regum principumqve familiæ in hodiernum diem profluxerunt — — — — — — — — (57.)
Augvalldi Regis lapides ſepulchrales in Augvalldsneſia — — 50.
Aulæis veterum geſta inſuta & intexta — — — — 51.
Aulrunam Kiaris filiam ante Sigurdum Faſnericidam vixiſſe — 337.
Plures & infra Sigurdi Faſnericidæ ætatem extendi non poſſe 341.
Aun Veciæ Rex ab Halfdano Frodii Tertii filio vincitur, inqve exilium pellitur, reſtitutus deinde â fratris ejus filio Olio Fridleifi Tertii filio, regno exuitur — — — — — 281. (184.)
Auris Arvaki qvid denotet — — — — — — 14.
Aurland — — — — — — — (162. 181.)
Aurvaroddi vita confuſa — — — — — — 34.
Sepulcrum in Soknadalo, ubi eadem ab incolis hodieqve de eo referuntur, qvæ antiqvitates Islandicæ tradunt — — 35.
Ejus tumulus accolis notus — — — — — 50.
Axelii nominis proprii ſignificatus ab *Axl* humerus — (133. 143.)

B.

Baldursbagi — — — — — — — (175.)
Bárdi Snæfellsás vita commentitia multis argumentis refellitur 22. usqve 25.
Circa annum DCCCXL. natus traditur — — (4.)
Baugerdis — — — — — (24. 26. XXXIII.)
Belius Rex — — — — — — (5.)
Benzonius — — — — — — (XII.)
Bergus Abbas Thveraënſis hiſtorica qvædam ſcripſiſſe fertur in Svecia hodieqve reſervata — — — — — 48.
Bericonis tempora expenduntur — 181. 186. 187. 188. 193.
Ejus expeditio — — — — — (145.)
Berig ſev *Bericonis* nomen, forte idem qvod Libro Originum *Bárekr* 179.
Biarkamál, antiqviſſimum carmen *Saxo* ad manus habuit — 63.
Biarmiæ templum antiqviſſimum — — (XXX. 13.) 118.
Biartmar Comes — — — — — — (25.)
Bier ferreæ coſtæ (*Biörnus*,) a patre ad acqvirendas ſedes in peregrinis terris amandatur. Veromandenſem Comitatum totum populatur, triginta annis totam Galliam ingentibus calamitatibus affligit 373. Ad Romanum ſolium ab Haſtingo deſtinatus in Italiam trajicit, Lunam Hetruriæ urbem aſtu capit, qvam Romam eſſe ſibi perſvaſit, cognitoqve errore ſolo æqvat, in reditu in patriam tempeſtate magnam claſsis partem amiſit, inqve portum Angliæ ægre appulſus, cum Friſiam peteret mortuus eſt; ejus adventus in Veromandenſem tractum non ad eundem annum â ſcriptoribus refertur 374.
Biörni de Skardſá de ſcriptis Isleifi primi Islandiæ antiſtitis teſtimonium — — — — — (4. 6.) 39.
Biörnonius, Paulus, Paſtor eccleſiæ Selardalenſis — — (139.)
Biörnus & *Haralldus*, qvos Snioni ſucceſsiſſe *Saxo* tradit, improbantur — — — — — — — 331. (185.)
Biörnus Ferreum latus, Ragnaris Lodbrochis ex Aſlauge filius 347. (185.)
Seciæ Regum communis ſtipes — — 359. usqve 386.
Ejus progenies ad Slettubiörnum & Thordum de Höfdio inter primos Islandiæ cultores nobiles — — — 369. 370.
Qvid in diviſione regnorum ei obtigerit — — 375. 396.
Biörnus Erici 3. filius — — — — — (185.)
Biörnus filius Hrolfi de Ani — — — — (39.)
Birkerodius hiſtoriarum Profeſſor — — — (142.)
Blaatand, Haraldi, epitaphium Roſkildiæ — — — (127.)
Bleſkenius — — — — — — (140.)

Bodo

Bodo aliis *Odinus* vel *Wodenus* Hengeſti & Horſi abavus eſſe non potuit, nec abavis eorum ſynchronus — — (13.) 154. 156.
Boes templum — — — — — — (172.)
Boëtius, Hector, Archiva non excuſſit — — — (87.)
Bolm, inſula, ubi ſita — — — — — (25.)
Boreas (Sperlingii) — — — — (134. 145.)
Borringia nunc *Bornholm* unde dicatur — — (15.) 76.
Brandus Diœceſis Holenſis in Islandia Antiſtes *Saxoni* ſynchronus 44. (6.)
Brandus Prior, Breidvikenſium genealogias contexuit — — 46.
Brávallenſe bellum ab Haraldo Hildetanne cum Sigurdo Hringo geſtum *Saxo* luculenter deſcripſit, in eo a fragmentis, qvæ ſuperſunt, parum diſſentit. Islandos inter pugiles illos annumerans, ante cultam Islandiam, hallucinatus eſt — 217. 219. (55. ſq.)
Breitenau, ad eum literæ — — — — (109. 117.)
Broderus, noſtratibus Randver, ex albo Regum Daniæ radendus 328.
Brunold qvid denotet — — — — — 146.
Bryngerdem Alfi uxorem fuiſſe Raumi Noris filii filiam — 31. (5.)
Brynhildis Budlina facinora Sigurdi Fafnericidæ telæ ſuæ intexuit 52.
Ejus *Oda* ſcriptum abſtruſum varias magicarum Runarum ſpecies profitetur — — — — — 134. 135.
Ei fidem conjugalem dederat Sigurdus Fafnericida, ſed Gudrunam Giukii filiam uxorem duxit, qvare Brynhildis inſtinctu perimitur, illa vero ſibi ipſi manus infert — — — 326.
Ejus in *Sæmundi Edda* Cantilena qva de Svanhildis Sigurdi filiæ fatis vaticinatur — — — — — — (44.)
Ejusdem cum Gudruna colloqvium — — (46. 51. 52.)
Brynjolfi Svenonis de ſcriptis Sæmundi Polyhiſtoris teſtimonium — 41.
In exſcribendis antiqvis patriæ monumentis induſtria & impenſæ — — — — — — — (7. 25.) 48.
Buchananus archiva non excuſſit — — — (87.)
Buthlus ad Daniæ Reges non pertinet. Saxoniæ Rex fuit 325. (185.)

C.

Cæſarem de Odino nihil ſciviſſe non mirum — — (XXX.)
Canutus Eirici f. Rex Jutiæ — — — — (185.)
Carmina, optima veterum hiſtoriarum breviaria, qvorum vetuſtiora Norvegi, qvi Islandiam occuparunt, ſecum eo intulerunt, recentiora autem Islandi, qvi aut Principum geſtis in Norvegia aut alibi interfuerunt, ipſi compoſuerunt — — — 53.

Carminibus res, qvæ prius, qvæ poſterius, geſtæ ſunt, accurate digeſſit *Hornkloſius* — — — — — — 55.
Carminum authentia vel inde monſtratur, qvod in præſentia Principum, res, qvæ ipſi, vel eorum parentes geſſerunt, expoſitæ ſunt ibid.
Illa, qvæ *Johannes Magni* ſe in hiſtoria ſua conſcribenda ſecutum profitetur, cum rupibus inſcripta teſtetur, qværitur, ubi iſtæ rupes jam ſint, & cur poſteritatem lateant. Sapphicum illud, qvod de Eirico primo Gothorum Rege ex vernacula vertit, in patria lingva a *Verelio* communicatum, nullam antiqvitatem præ ſe fert, nec tempora Eirici Pomerani excedit — — — 80.
Caroli Craſſi expeditio contra Nordmannos & pax cum iis 423. 425.
Carolus (Karl) Abbas Thingeyrenſis vitam Regis Sverreris ſcripſit 44.
Catalogus Islandico-Latinus monumentorum Islandicorum 2. *usqve* 10.
Catalogus Regum Daniæ a Godefrido ad Haraldum, qvi Moguntiæ baptizatus eſt, ex libro, qvi Eirico Pomerano tribuitur 377. 378.
Characteres Magici ex multis ſimplicibus compoſiti vel unam vel plures voces, vel etiam exorciſmum complectuntur — — 132.
Reſoluti qvi dicantur — — — — — ibid.
Illorum ſignificativa conſtructio neceſſario tenenda — ibid.
Cherſoneſum Cimbricam a Gomero Japheti filio Anno Mundi 1850 occupatam volunt — — — — — — 179.
Chronicon Gothlandico-Cimbricum a *Verelio* examinatum — 67.
Suſpectæ fidei — — — — — — — 74.
Ex dictionis genio & nomenclationum abſurditate & variarum notionum conficta antiqvitate confutatur — — 75. & ſeqv.
Chronicon Snorrii Danicis typis impreſſum ad Mſſ. normam ſæpius corrigendum — — — — — — 133.
Ad harmoniam *Saxonis* detortum, emendandum videtur 407.
— — — — — — — usqve 409.
Notatur — — — — — — — 437.
Helgium & cæteros usqve ad Siggeirem Jutiæ Reges tempore Gormi Grandævi tributarios in Daniæ Reges fuiſſe perperam tradit & refellitur — — — — — — — ibid.
Chronologia auctoris nova, nullo præeunte concinnata — (VII.)
Ex Genealogiarum ſerie & ſynchroniſmis collecta — 222.
Non omnibus partibus abſoluta & qvare — — 243.
Chronologia a Visbure ad Aunium Grandævum — 230. usqve 233.
A Frodio II. Daniæ Rege ad Frodium IV. incluſive 229. usqve 233.
Chronologiæ ex genealogiis colligendæ, regula generalis 222. & ſq.
Specialis — — — — — — — 223.

Chro-

Chronologica computatio circa vetuſtisſimos Septentrionis Principes — — — — — (183. ſq.) 221 usqve 243.
Cimbrorum expeditio, ſi poſt Odini tempora contigiſſet, a Poëtis celebrata fuiſſet — — — — — — 113.
Illos cum Cimmeriis confundunt Græci — — 177.
Cimmerios antiqvos ab Hebræis Magæos appellatos exiſtimat Sheringhamus — — — — — — 182.
Cimmeriorum Getarum Reges aliqvot *Sheringhamo* memorati — 183.
Clades Danorum & naufragia in Anglia ad annum 794. *Simoni Dunelmenſi* notata, an ad Ragnarem Sigurdi Hringi filium referri posſint — — — — — — — 393.
Claudius Chriſtophorus Lyſchander, unde ea, qvæ de Cimbris ſcripſit, habuerit — — — — — — 67.
Multos Reges effinxiſſe traducitur — — — 81.
Clypeis geſta veterum impreſſa erant — — — 51.
Codicis Flatcyenſis conſarcinatoris ſcopus — — — 37.
Collegium Antiqvitatum in Svecia circa annum 1666 inſtitutum (119.)
Colles ſepulchrales terra integi ſolebant — — — 169.
Commentarii in carmina priſca ex veterum relationibus, in freqventi uſu — — — — — — — 56.
Conſpectus priorum tributariorum Jutiæ Regulorum ætates & Regni tempora exhibens — — — — — 403.
Cordialium Runarum deſcriptio — — — — 137.
Cultus ſolis — — — — — — (13.)

D.

Dagus — — — — (XXXIII. 24. 25. 184.)
Eygrimo non præferendus — — — — (26)
Danannas gentem ab Ibathe, qvi anno mundi 2245 vixit, progenitam, Scandiam borealem, ibiqve varias urbes incoluiſſe perhibetur, donec anno M. 2737 in Hiberniam irruperit — — 200.
Danavirki — — — — — — (XXIII.)
Dani Magnanimi mater an Olufa — — — 214. (15.)
Dania antiqvitus Gothia dicta eſt — — — — 83.
Daniæ Regibus Comites aliqvando tributa extorſerunt — 219.
Daniæ Regnum a Principio fuiſſe hæreditarium — 248. (18. ſq.)
Daniæ Reges, qvi poſt cladem Nordmannicam perperam recenſentur — — — — — — — 430. 437.

 Dane-

Danorum in exteras regiones expeditionum deſcriptio ex *Hiſtoria Olafi Tryggvini* — — — — — — 422. 423.
Illorum Nordmannorumqve clades a Ludovico juniore illata 422.
Eorum nomen qvando primum occurrat — — (29.)
Dampum Drottæ Dani ſororis, non item Dani patrem, provincialem Regem fuiſſe videri — — — (XXXIV.) 271.
Danus, Saxoni primus, noſtris tantum unus, Daniæ Rex (100. 184.) 247.
Tumulandi morem in Daniam invexit — — 272.
Daniæ Regnum de nomine ſuo nominavit, ejus ſororem Domar Sveciæ Rex uxorem duxit — — — — 269.
Dellingum primo Solem denotare, ſecundario Odinum illum vetuſtisſimum Boræ filium, eumqve primum Solis cultum in Aſia inſtituiſſe 117.
Ejus poſteri & Genealogia — — — (XXXVI.)
Dengettenus — — — — — — — (34.)
Differentiæ inter Hiſtoriam Olafi Tryggvini & Membranam *Arnæ Magnæi* in poſteriorum Regum Jutiæ recenſu expenduntur 407. usqve — — — — — — — — 409.
Diviſio orbis male cum diſperſione gentium confunditur — 165.
Domitium L. Neronis avum exercitu flumen Albim tranſcendiſſe, longius penetrata Germania qvam qvemqvam priorum, Annales teſtantur — — — — — — — (15.)
Drotning dominam } denotabat — — — 270.
Drótt aulicorum cœtum }
Drottinn Dominum }
Drótta an Dani Regis ſoror germana — — — (XXXIV.)
Dyggvius in Svecia primus Regio titulo uſus eſt — 270. (184.)

E.

Eadmundi Sancti martyrium — — — — 381.
Edda Sæmundi, altera Snorrii — — — — 14.
Priſcorum Theologiam, mores & conſvetudines priſcas exhibet, teſte *Sheringhamo* — — — — — 16.
Eddicas fabulas coloni Norvegici in Islandiam ſecum importarunt, qvas nec Islandi ipſi commenti ſunt, nec auxerunt — 14.
Eddæ exemplar vetuſtisſimum — — — — (16.)
â Snorrii chronico diſcrepat — — — — (17.)
Eigill Skallagrimius puellam Runarum peritia ſanavit — 132.
Egillis Unimani vita — — — — — (XX.)

Eigil Tunnicida Aunii f. — — — — — (184.)
Eiricus Oddi filius, vitas filiorum Haraldi Gillii, Magni Cæci & Sigurdi Slembidiaconi ſcripſit — — — — 44.
Eiricus Ragnaris Lodbrochis filius ex Thora Borgarhiorte 346. (7.)
Cum fratre Agnare Sveciæ bellum infert, & ab Eyſteino Rege occiditur — — — — — — 348.
Eirici Pomerani Recenſus Regum Daniæ infringitur — — 390.
Ejusdem Chronica in Recenſu Regum poſt cladem Nordmannicam refelluntur — — — — 435. 436. 437.
Eiriks Saga a *Verelio* citatur — — — — (2.)
Eirikur Spaki nomen ſuum ænigmati involvit — — (2.)
Sub qvonam Frodio vixerit non eſt definitu proclive — (3.)
Colloqvium cum Frodio magna antiqvitate ſe tuetur — (4.)
Eirikus Eymunius Danicis Scriptoribus *Eymund* — — (21.)
Eiricus Diſertus — — — — — — (22.)
Eiricus Alrechi frater — — — — — (22.)
Eirikus Blodöxi — — — — — (161. 185.)
Eiricus Barn ex Knuto expoſititio fabricatus videtur — 436.
Elgfrodius ſeu Frodius Alcinus inter vindices cædis Hrolfi Krakii 289. 290.
Ella Rex Angliæ — — — — — 349.
Ragnarem Lodbrochem, prælio ſuperat, capit, in carcerem viperis conſperſum compegit, ubi enecatur, a filiis oppugnatur, bello ſuperior, ab Ivare dolo circumventus capitur, ſupplicio figuratæ in dorſo aqvilæ interimitur — — — 350. 351.
Tres Reges Ellæ nomine in Anglia notantur — — 392.
Ragnaris victor exercitus dux videtur fuiſſe — — ibid.
Emundus Eirici f. — — — — — — (185.)
Engelbrictia, *Dorothea* — — — — — (130.)
Enob, Adami Bremenſis, noſtris Knutus, ante cladem Nordmannicam vixit — — — — — — 433. 434. 436.
Erpus, Jonaci ex Gudruna Giukina filius a fratribus occiditur 328. (44.)
Erythræ Regi navium inventio tribuitur a *Plinio* — — 167.
De eo *Sheringhami* judicium — — — 205.
Externorum teſtimonia de antiqvitatibus Islandorum — 58. & ſeqv.
Eyſura, *Saxoni* perperam *Oſura*, Frodii nobis primi, *Saxoni* tertii uxor non fuit, teſte *Hiſtoria Hervoriana* — — 257. (26.)
Eygothiæ nota inſulæ omnes Odini ditioni ſubjectæ olim intellectæ 84.
Poſtea inſulæ Daniæ tantum — — — 86. 89.
Eygrimus Bolmus — — — (XXXIII. 24. 25. 26.)
Eyſteinn Haraldi Gillii filius — — — — — (7.)

Eyſteinum Illrádum, id eſt Aſtutum, poſt patrem Haraldum in Svecia regnaſſe tradit *Hiſtoria Hervoriana* — — — (37.)
A Lodbrochidis occiſum refert *Ragnaris Lodbrochis* vita — (37.)
Belius cognominatus eſt in *Indice Skaldorum* — (37. ſeqv.)
Progenies ejus ignota & ratio qva ad Speciæ imperium pervenerit. Natus erit DCC. occiſus DCCLXXIII. — — (38.)
Eyſteinus filius Halfdani Primi — — — — (185.)
Eyſteinus partis alicujus Daniæ poſt mortem Hrolfi Krakii Rex 291.
Eyſteinus Hellige inter Ragnarem & Biornum at Haugi ex prava lectione inſeritur — — — — — — 63.(37.)
Eyvindus Auſtmannus — — — — — (39.)
Eumolphus nihil ad Norvegos aut Svecos pertinet — (141.)

F.

Fabula de Henrico Leone — — — — — 21.
De Hothero & Baldo — — — — 296. & ſq.
Item locus ex *Völuſpá* — — — — 299.
Fabula de Wilhialmo Siodo — — — — 19.
Fabulæ Islandicæ — — — — — — 21.
Illarum genus vel artificioſum vel ruſticum — — 22.
Fabulam Eddicam de tranſlata e lacu Speciæ Logo (Melero) Sialandia *Snorrius* in hiſtoriæ ſuæ limine retulit, *Petrus Undalinus* verſione ſua excluſit — — — — — — 37.
Fabularum uſus — — — — — — 17. 18.
Fabuloſa Islandorum monumenta ex veris principiis deſumta duorum generum — — — — — — 30.
Familias omnes ab ipſa turris Babylonicæ ædificatione in ultima terrarum, qvatuor aut qvinqve paribus ſimul proficiſcentibus, diſperſas, inqve Scandinaviam delatas, ſeminarium gentium deinde factas ſtatuit *Rudbeckius* — — — — — 161.
Faxius Aurvar-Oddo fatalis eqvus — — — — 35.
Færeyæ, liber a Torfæo ſcriptus (69. 70. 72. 91. 105. 110. 116. 119. — — — — — — — — 122. 130.)
Fes ætt. Tyrs ætt. Hagals ætt — — — — 140.
Filimiris expeditio in qvæ tempora referatur — 180. (145.)
Illum Tanao antiqviorem, Aborigines Cimmerios ſuis ſedibus ejeciſſe hallucinatur *Sheringhamus* — — — 182.
De expeditione ejus *Philippi Cluverii* error — 195. 196.

Fiærland

Fiærland — — — — — — — (176.)
Fialer ſ. Filir — — — — (160. 161. 171. 180.)
De Fine, Arnoldus Johannis, in eum epigramma — — (153.)
Ejus collatio cum Pontano — — — — (154.)
Finnalfus — — — — — — — (23.)
Floanorum Hiſtoriæ genealogia Sigurdum Fafnericidam exaltat (45.) 336.
Se ipſam evertit — — — — — 341.
Flokevaren (alias Ryevaren) in confinio Bergenſis & Stafangrienſis diſtrictuum a Flokio Islandiam qvæſituro exſtructam *Originum Islandicarum liber* teſtatur — — — — (9.)
Flori teſtimonium *Snorrio* & *Eddæ* relationibus ſuffragatur — 106.
Fomarii, gens Hibernis terribilis, Partholano vel æqvalis vel antiqvior, ex eodem, qvo Sveci, Dani & Norvegi tractu catervatim in Hiberniam infuſi traduntur — — — 200. vid. 204.
Fiölnir Sveciæ Dynaſta, a Frodio convivio exceptus in dolium mellita aqva repletum incidens ſuffocatus eſt — 263. (17. 184.)
Forniotus — — — — — — — (X.)
Frammeſum — — — — — — (176.)
Freyr inter Sveciæ dynaſtas Frodio æqvalis. Ei pax illa miraculoſa, qvæ ejus temporibus viguit, a Svecis adſcripta — 105. (184.)
Tumulandi morem non invexit — — — 273.
Ejus ſepultura — — — — — — ibid.
Non in Aſia natum eſſe indicare *Edda* videtur — (17.)
Fridericus (ſecundus) Imperator Snorrio novem annos ſupervixit (7.)
Fridleifus 1. Skioldi f. — — — — — (184.)
Fridleifus Frodii, qvi *Saxoni* tertius eſt, filius, noſtris eo nomine ſecundus habetur. Ejus filius, non, ut vult *Saxo*, Frotho qvartus, ſed Hávarr Manufortis Islandis eſt — — 268. (184.)
Fridleifus Celer Frodii qvarti & Olii Vegeti pater fuit — 282. (184.)
Fridthiofi Vegeti vita tradit eum Ingibiorgem Belii Regis filiam uxorem duxiſſe — — — — — — (5.)
Frigedinus & *Frigericht* — — — — — 112.
Friſii Nordmannos cædunt, ſpoliisqve exuunt — — 424.
Friſius, Laurentius — — — — — (137.)
Frodius, qvi *Saxoni* tertius eſt, inter Daniæ Reges primas tenet, ei pax, qvæ Chriſti tempora illuſtravit, a Danis adſcripta 105. (184.)
Illi competit, qvod contuſis commolitisqve auri fragminibus cibos reſpergere ſolitus ſit — — — — — 255.
Ei *Saxo* multa ab Islandis mutuata adſcribit, qvæ ejus æræ non conveniunt, ut vitam ejus prolixiorem faciat — ibid.

Qvam an ſciens volensqve plus juſto amplificaverit merito dubitatur — — — — — — 262.
Ejus mortis genus *Edda*, non minus qvam *Saxo*, fabuloſe refert, qvod Fenia & Menia piratarum Rege Myſingo duce eum occiderint — — — — — — (28.)
Ejus cum Fiölnere amicitia Svecis noxia — — (29.)
Eum ſuis temporibus omnibus Regibus palmam præripuiſſe omnes Islandorum memoriæ unanimi conſenſu perhibent — 263.
Frodius ſ. *Frotho* Islandis ſecundus, *Saxoni* qvartus eſt. Fridleifi nobis ſecundi filius, an ei competant, qvæ de ſuo Frothone primo *Saxo* ſcribit, dubitatur — — — — — 268.
Frodius Tranqvillus nobis in ordine nominis tertius, *Saxoni* ſecundus eſt — — — — — — 274. (184.)
Frodius, qvi *Saxoni* primus eſt, ejus filii ab eo recenſiti Frodii, qvi ei Islandisqve pariter qvartus eſt, filii ſunt — 268. (184.)
Frodius qvartus, Frodii & Halfdani pater, avus Roaris & Helgii, male a *Saxone* ſupra Chriſti tempora translatus, inqve duos Reges ſparſus — — — — 283. (183. 184. 31. ſq.)
De eo *Snorrii Sturlæi* notabilis error — — — ibid.
Tres filios reliqvit — — — — — 284.
Frodius qvintus fratrem Halfdanum occidit, filios ejus ad necem perſeqvitur — — — — — — 285.
Per Magos & fatidicam fœminam de iis inqvirit, eluditur, àqve ipſis nocturno incendio perimitur. Eorum hiſtoriam *Saxo* Lib. II. exhibet, Frodiumqve primum ex Frodio qvarto facit 286. (184.)
Ingialdi nepos, ab Odino decimus qvintus, â Frodio, qvem *Saxo* Tertium deſcribit, duodecimus — — — (27.)
Frodius ſextus Lethrenſium poſt mortem Hrolfi Krakii Rex — 291.
Frodius Jutiæ Rex ab Archiepiſcopo Hunone vel Unnone convertitur & baptizatur, legatos Romam miſit, tres in Jutia Epiſcopos conſecrari curat, iis ſedes asſignatæ — — — 429.
Frögerum, qvem *Saxo* Odini filium fuiſſe tradit, 590 annos vixiſſe oportet, ſi id conſiſtat — — — — — — 281.
Frotho, qvi *Saxoni* tertius, noſtris annalibus Frodius primus eſt 255.
Frothonem nullum inter Daniæ Monarchas, Haddingi filium, eundemqve Halfdani Roii & Scati patrem Islandorum memoriæ agnoſcunt 254.
Fryggæ, Thoris, Freyris, Freyæ, Tyris & cætera Deorum Dearumqve nomina non cum Odino Upſalienſi invecta, ſed ab eo & ejus ſociis aſſumta — — — — — — 118. 124.
Fumus ſepulchralis, fortis mortui indicium — — 144.
Fundamenta, qvæ Scriptores Islandi ſecuti ſunt — — 50.

G.

G.

Gabel, Fridericus, Prorex, *Animadverſiones in Seriem* ſcripſit (XVIII.)
Gaddia, fœmina docta — — — — — — (137.)
Gat, Sylla — — — — — — (149.)
Gandalfus Alfheimorum Rex, idem, ut videtur, qvi *Gandal Senex* apud *Saxonem* — — — — — — (40.)
Gaulir, Guldal, Guldöen — — — — — (161.)
Gajothel, Scotorum vernaculum nomen — — — 201.
Gajotlac, Scotorum lingva appellatur — — — ibid.
Gauti & Gothi diſtingvuntur — — — — 92. 93.
Geſiona Skuldi uxor pro Dea culta, fabula ad gloriam ejus & famam conſervandam efficta — — — — — 244.
Geirraudargardar — — — — — (XXXV.)
Genealogia vetuſtisſimorum Sveciæ Regum — — 217.
Genealogiarum Islandicarum auctoritas ſtabilitur a *Stephani* ſuffragio, & numero & nominibus a *Saxone* obſervatis — — 219.
Generationes a Thore Priami nepote ad Odinum Upſalenſem octodecim numerantur, non ſine defectu — — — 120.
Geruthus, & Utgarthilocus ex fabulis Eddicis exſtructi ſunt — 332.
Getharum parentes *Apollonius Rhodius*, ſed illorum antiqvisſimorum poſteros *Jornandes* deſcripſit — — — — 184.
Gerſonius Chriſtianus — — — — — (138.)
Getas priſcos, ante Gothorum migrationem in ſeptentrionem, aut regreſſum e Septentrione ad eos, varia nomina ex ſua lingva, variis Græciæ locis potuiſſe dare, qvæ eorum poſteri, locis qvoqve aliis in Septentrione indiderunt — — — — 174.
Getas Aſiaticos vetuſtisſimos, Gothorum progeniem non eſſe — 178.
Geſtiblindus, qvi *Saxoni* Gothorum, Sveciæ Scriptoribus Sveciæ Rex celebratur, privatus vir, ſed valde opulentus Jutiæ civis noſtris fuiſſe traditur — — — — — 255.
Gilderbuus, locus ubi plebs Sogniæ qvovis anno genus &c. junioribus referre ſolebat — — — — (174. 175.)
Giukungi Germani bellatores — — — — (30. X.)
Gunnar & Högnius Giukii filii Hringo ætate provectiori tributa imperanti ſolutionem abnuerunt, hujus exercitus in fugam converſus victoriam iis reliqvit — — — — (43.)
Godannonia ſeu Codanonia & Codanus ſeu Godanus ſinus, poſt Godani, Odini immigrationem iſtam appellationem obtinuerunt, ut vult *Langhornius* — — — — — — — 153.

Godefridus in Jutia tantum, nec toti imperans, militiæ præfectus a cæteris conſtitutus, potentiam admodum auxiſſe videtur, legatos ad Carolum Magnum miſit — — — — 409.
A *Saxonis* Gothrico longe diverſus — — — 332.
Ejus pater *Saxoni* Gormus, nobis incertus, an & Hvitſerki filius fuerit? a proprio ſatellite interemtus anno 810 — 410.
Godensdag Weſtvalis, nobis *Odinsdag* — — — 112.
Godfridus, ſeu Godefridus, baptizatur — — — 423. 425. 426.
Friſiam in beneficium accipit — — — — ibid.
Occiditur — — — — — — 427.
Godkunnig ætt, divinum genus — — — — 101.
Gorm Logbæ — — — — — — (19.)
Gorm filius Knuti Jutiæ Regis — — — — (185.)
Gormo, qvem *Saxo* a ſcrutandis rerum naturæ abditis, commendat, ab inſeqventium aliqvo Regum nomen mutuatus videtur; Ejus geſta ex Eddicis fabulis conflata ſunt — — — 331. 332.
Gormus Stultus ſeu *Heimſkius*, Hiſtoriæ Olafi Tryggvini Part. 1. p. 70. memoratur, qvem *Saxo* Gotrici patrem conſtituiſſe videtur 398. (185.)
Knutum expoſititium educabat, conſenſuqve cognatorum & amicorum teſtamento hæredem conſtituit — — — ibid.
In *Eirici Pomerani Chronico* indicatur — — 436. 437.
Gormus Potens, aliis (perperam ut videtur) *Stultus*, toti Daniæ a filiis Ragnaris Lodbrochis præfectus Hordaknutum educavit, ex illo & Olafo Anglo coaluiſſe videtur *Saxonis* Gormo Anglicus 402. 437.
Gormus Grandævus Horda-Knuti filius paternæ hæreditati Jutiam adjecit, qvædam ejus geſta, liberi, elogium 437. 444. & ſq. (185.)
Gothefridus â Gothrico prorſus diverſus, in ejus tempore magnopere a *Saxone* erratum — — — — — 332.
Gothiæ nomine qvæ terræ antiqvitus venerint — — 84.
Ejus variæ etymologiæ prolixe exponuntur — 90. & ſq.
Gothiæ Svedicæ Reges ex ſola corporis, ſed inuſitata, mole lecti — 290.
Gothici Regni in Scania initium — 182. 188. 189. 190. usqve 195.
Gothelfam per medios Gothorum populos decurrere in Oceanum tradit *Adamus Bremenſis* — — — — — — (11.)
Gothlandia — — — — — — — (15.)
Gothi primi ſeptentrionis incolæ — — — — (145.)
Gothorum nomen Danis, Svecis, Norvegis, Pruſſis, Pomeranis commune — — — — — — — 88.
Illorum lingva magnam partem Germanica, Danis, Norvegis & Svecis ante Odini adventum communis — — 129.

Sermo

Sermo autem in Aſia, ex aliarum gentium vicinitate, ante Odini adventum aliqvatenus mutatus videtur — — — ibid.
Illorum egreſſum e Septentrione ante Odini ingreſſum contigiſſe 197.
Varias eorum e Scandia migrationes Trithemio memoratas ibid.
Ante Pytheæ Maſſilienſis tempora nomen illorum ignotum 174.
Illorum itinera e patria ad Iſtrianas regiones Thraciam & Pontum — — — — — — — 180.
Gothos Gethasqve unam eandemqve gentem eſſe, ſed illos ab his prognatos — — — — — — 178.
Gotbricus Saxonis ex albo Daniæ Regum exploditur — 332. (185.)
Gotbrecum Saxo Ragnaris Lodbrochis proavum facit — 388.
Refellitur — — — — — — 389.
Gouldal — — — — — — — (168.)
Gramum inter univerſales Daniæ Principes non eſſe cenſendum; Halfdani Hringarikiæ, qvæ Norvegiæ provincia eſt, filium fuiſſe; Ejus nomen celeberrimum omnibus Regibus deinde commune epithetum evaſiſſe — — — — — 249. (183.)
Cur *Saxo* eum inter Daniæ Reges adſciverit — — 250.
Gráni Sigurdi Fafnericidæ eqvus — — — — (55.)
Grimus Canus ſeu *Cineraceus* — — — — 398.
Grönlandia — — — — — — (130. 139.)
Gronlandiæ tabula corrupta — — — — (149.)
Gudlogus Hálogiæ Rex — — — — — (15.)
Gudrodus Magnanimus — — — — — (185.)
Gudruna Giukii filia, heroum ſui temporis geſta textura ſua repræſentavit — — — — — — — — 52.
Ejus Tragoedia allegoriis plena — — 138. 139.
Furiæ — — — — — — 326.
Ejus cum Brynhilde colloqvium — — — (46. 51.)
Gullharaldus — — — — — — — (22.)
Gullvikin, aureus ſinus, in iſthmo Spangareidenſi, ubi Aſlaug Ragnaris Lodbrochis uxor inventa eſt, a cithara, cui incluſa erat, auro divite, nomen contraxit — — — — — 36.
Gungincorum nomen apud *Paulum Diaconum* diverſum â *Giukungo*, diverſis gentibus competere — — — — 340.
Gunnhildis Eirici Blodöxii uxor, magicas artes addidicit — 34.
Gunnlaugus Monachus *Olafi Tryggvini Vitam* latine conſcripſit — (2.)
Multos libros ſcripſit — — — — (6.)
Ejus ſcripta deperdita deplorat *Bryniolfus Svenonius* — (7.)
Gutheates, Achiæ ſinus — — — — — — 173.
Guthion Laconiæ oppidum — — — — — ibid.

Guthium, ſextum Cimbrorum Ducem, Scaniam cum adjacentibus Cimbriæ adjeciſſe, comminiſcuntur — — — 179.
Guthormus ex Serie Regum Daniæ excludendus — 250. (183.)
Guthormus cum Harecho de Jutiæ regno bellat, ubi uterqve concidit cum univerſa regia ſobole, ad unum uſqve puerum 407. 420.
Guthredus, filius Hardeknut, e ſervo repente Rex factus, Sigurdi Angvioculi ex Hörda-Knuto nepos fuit — — 437.
Gyrdir falſo poſt Nordmannorum cladem in Dania regnaſſe dicitur — — — — — — 430. 434. 436. 437.

H.

Hacon Hladarum Comes — — — — (25.)
Hacon Ringus — — — — — — (29.)
Hacon Griotgardi filius — — — — (161.)
Hacon Adalſteni alumnus — — — — (185.)
Hæbudes — — — — — — — (71.)
Haddingi plures, Haddingiadali & Thelemarchiæ in Norvegia Reges — — — — — — — — 252. (183.)
Hadingi ætas Aſiaticæ immigrationi male a *Saxone* applicatur — 252.
Illum Odino Sveciam inſidenti æqvalem numini ſuo tutelari bellum intuliſſe male cohæret — — — — 253.
Ejus uxori *Saxo* imperite adſcribit verſus, qvos *Edda* Skadæ uxori Niordi de Noatunis tribuit — — — — ibid.
Si in Helſingiam, ut *Saxo tradit, confugit, Odino longe inferior* erit, cum Helſingia *id nomen longe poſterius acceperit* ibid.
Mortis ejus genus, qvod *Saxo* memorat, *Snorrius* Fiölneri Sveciæ Dynaſtæ adſcribit — — — — — 254.
Inter Daniæ Reges univerſales locum non invenit — 250.
Hadingum, Hundingo ſupereſſe non ſuſtinentem, ſuſpendio ſe ipſum necaſſe *Saxo* tradit, Islandis nihil de exitu ejus conſtat — 263.
Hagbardi & *Signyæ* monumenta multis in locis conſpicua (34. 178.) 280.
Hakio Norvego novum mortis genus inventum — — 102.
Hakius Scaniæ Rex — — — — — 291.
Hakius Sveciæ Rex & *Hagbardus* fratres — — 277. (29. 46.)
Eorum ſynchroniſmus cum Fafnericida — — (50.)
Halfdanus Frodii nobis Tertii filius, Saxoni Danus Tertius eſt 274.
— — — — — — — — 282. (185.)

Halfdanus

Halfdanus Secundus Ingialdo ſuccedit — — 285. (183.)
Ejus filii Hroar & Helgius — — 285. 303. (183.)
Halfdanus & *Helgius* fratres — — — — (5. 19.)
Halfdanum, qvi *Saxoni Biergramus* eſt, non unius hominis perſonam ſuſtinere, ſed conflatum ex Halfdano Secundo Daniæ Rege & Halfdano primo, Fridleifi Tertii fratre, & Halfdano Hringarikiæ in Norvegia Regulo. — — — (20. 184.) 304.
Halfdanus Priſcus — — — — — (24.)
Halfdanus Branæ Alumnus Roſkildæ regnavit — — (37.)
Cæſus eſt â Sörlio Robuſto — — — — (37.)
Halfdanus Niger — — — — (XVII.) 161. 185.
Halfdanum Ungvino Gothenſium Regi, regnum Daniæ teſtamento legaſſe & filium Aſmundum, qvem ſenex ſuſcepit, ſtemmatis Norvegici progenitorem habuiſſe non conſiſtit — — ibid.
Halfdanum Hringarikiæ Regem carmen *Hyndluliód* celebrat 304. 305.
Halfdanus Diſertus partem Angliæ hæreditario jure conſecutus eſt — — — — — (35. 37. 42. 184. ſq.) 509.
Halfdanus & Sigfrodus Reges ethnici, Hárecho juniori ſucceſſerunt 421.
Legatos de pace cum muneribus ad Ludovicum Germaniæ Regem mittunt — — — — — — ibid.
Halfdanus Nordmannus in Angliam mittitur, ibiqve occiditur 425. 429.
Halfdanus 1. *Albipes* — — — — — (185.)
Halfdanus 2. Munificus — — — — — (ibid.)
Hamder & *Sörlius* in Jormunreci aula lapidibus ad necem obruuntur 328.
Haraldi Grandævi uxor Hildis, Heidrici Ulfhami Jutiæ Regis filia 308.
Haraldos Hilditannes duos fuiſſe — — — — 314.
Conciliatio — — — — — 315. (19. 27.)
Diſſenſus de ejus parentibus tum *Saxonis*, tum antiqvitatum Islandicarum — — — — 313. usqve 316.
Haraldum, qvi *Saxoni* Frothonis qvinti frater eſt, revera eſſe Halfdanum Secundum, filiosqve ejus Haraldum & Halfdanum converti debere in Hroarem & Helgium — — — 303. (184.)
Haraldum Hilditannem Saxo Olafo Vermalandiæ Regi, Lignario dicto, æqvalem fuiſſe perhibens, inſcius noſtris documentis accinit 316. — — — — — — — — (184.) 185.
Haraldus Gullmunnus Aſis non inferior — — — (XXX.)
De eo — — — — — — — (24.)
De ejus ſobole ac nepotibus — — — — (37.)
Haraldus cum Regenfrido in Jutiam ſuccedit — — 411.
Haraldus Pulchricomus, qvot gradibus ab Odino, qvot a Niordo diſtet — — — — — — 222. (12.)

Ejus ſepulcrum — — — — — (75.)

Haraldus Klakius falſo inter univerſales Daniæ Reges collocatur, Comitis dignitate in Jutia, aliis Holſatia, functus eſt — 416.

Eum utraqve membrana *Jöfraſkinna* & *Kringla* Regem Jutiæ appellant — — — — — — (62.)

Haralldus Cærulidens baptizatus eſt CMXLVIII. — (XV. 63.)

Hárecbus, annalibus Fuldenſibus *Röric*, Moguntiæ baptizatus partem Friſiæ ab Imperatore in feudum accepit — — 413.

An idem, qvi Haraldo Moguntiæ baptizato in regnum ſucceſſit 417.

Diverſum ab eo oſtenditur fuiſſe — — — 419.

Poſt necem illius Háreci, qvi Haraldo Moguntiæ baptizato ſucceſſit, a ſucceſſore ejus Hareco juniore in partem exiguam regni admiſſus — — — — — 419. 421.

Ejus auſpiciis Ragnarius pirata Galliam afflixiſſe videtur 419.

Qvi Haraldo Moguntiano ſucceſſit Danicis ſcriptoribus Eiricus 417.

Diverſus ab eo, qvi Moguntiæ baptizatus eſt — — 419.

De eo *Adami Bremenſis* & Danicorum Scriptorum error 417.

Cum Guthormo fratris ſui filio, aliis avunculo, internecino bello conflixit, totius Regiæ ſobolis interitu — — 407. 420.

Haſtingus Biorni ferreæ coſtæ pædagogus ad Romani imperii apicem eum provehere geſtit, poſt triginta annorum vaſtationem Carolo Regi Galliæ reconciliatur — — — — — 374.

Hávamál, Oda Eddica ab Odino concinnata — — — 130.

Hávar (perperam Hávardus) *Manufortis* Fridlafi filius, patri ſucceſſiſſe præſumitur — — — — — 268. (184.)

Hawsloe parœcia — — — — — (177.)

Haudi vel *Hotheri* epitheta — — — — 300.

Hauga Olld qvid ſit — — — — — 146.

Haukus Legifer qvæ ſcripſerit — — — — 47.

Heyangur — — — — — — (161.)

Heyangurs-Biörn ſatrapa Sognenſis — — — (161.)

Heyangursfiord — — — — — — (173.)

Heidabæis templum reparatum — — — — 429.

Epiſcopatus inſtitutio — — — — ibid.

Heidrecus, Jutiæ Rex, multis Seculis poſt Frodium I. vixit — 256.

Multis ſeculis inferior vixit Odino — — — (142.)

Illius hiſtoriæ breviarium — — — — ibid.

Heidricus Ulfhamus, Jutiæ poſt mortem Hrolfi Krakii Rex — 291.

Heimskringla corrupta — — — — — (149.)

Helgius Haddingiaſkatius heros inſignis — — — 252.

Helgius ab occiſo Hundingo *Hundingsbanius* appellatus — 264.

Diverſus

Diverſus ab Helgio Daniæ Rege — — 287. (183.)
Helgaqvida Hundingsbana — — — — — (55.)
Helgius Acutus — — — — — — (58.)
Helgius Halfdani Secundi filius, Oluſæ Saxoniæ Reginæ ſtuprum infert, filiam inde natam poſtea rapit & inſcius generis uxorem ſibi jungit — — — — — — — 287.
Occiditur — — — — — — 288.
Helgius Daniæ Rex poſt cladem Normannicam falſo recenſetur 430. — — — — — — 434. 436. 437. (183.)
Helgius Macer — — — — — — (39.)
Helſingia a Thorere Helſingo coli cœpit — — 253. 254.
Hemmingus non cum Ludovico Caroli Magni filio pacem compoſuit, ſed cum ipſo Carolo — — — — 333.
Hemmingus an Godefridi filius nepos aut patruelis fuerit; de limite regnorum cum Carolo Magno transegit — — — 410.
Memoratur — — — — — (185.)
Henricus Auceps Danos ad Chriſtianismum adducit — 429. (185.)
Heredagus primus Heidabæi ſeu Slesvicenſis Epiſcopus — ibid.
Hergrimur Hálfſtröll — — — — — — (147.)
Herioldus (Haraldus) & Reginfridus legatos ad Carolum Magnum mittunt, Weſtphalos domant, a Godofridi filiis regno pelluntur, reparant vires, unum ex Godofridi filiis cædunt — — 412.
Herioldus (Haraldus) Ludovici Pii Imperatoris auxiliis adverſus Godofridi filios juvatur, reſtituitur, infeſtatur, Moguntiæ cum uxore & filiis & fratre, vel fratris filio, baptizatur; regno reſtituitur, ſacram ædem Slesvici ædificat. Nulla ei cum Ragnare Lodbrochi res, diverſus ab Haraldo Klakio, qvando mortuus fuerit 416.
Herraudi Saga ex ſuo ipſius proœmio auctoritatem ſuam non probat 22.
In generis ſerie longe vetuſtisſima — — — 388.
Herraudus Gothiæ Comes limacem filiæ donat, illius monſtroſæ magnitudinis terrore percuſſorem nuptiis filiæ publice invitat — 346.
Hervör Hiörvardi filia. Heidreci pater fuit Heidrecus Ulfhamus, Hiörvardi ſoror, Hildis Haraldi Grandævi uxor — — (27)
Hervoris hiſtoria, qvæ alios Odinos antiqviores nobis obtrudit, refellitur — — — — 125. (25. 26. XVII.)
Ejus de Regibus Sveciæ diverſa exemplaria — 360. 361.
Hetha Regina — — — — — (324. 184.)
Hetheby oppidum, non ab Hetha, ſed Heide, qvod deſertum denotat, cui primo asſitum fuerit, dictum videtur — (43. ſq.) 324.
Hethinus & Höginus, nobis Högnius, Frodii Sexti Ingialdi nepotis tempore vixerunt — — — — — — (27.)

git, rogum humanis capitibus incenſum, cui vivus imponatur, impetrat — — — — — — 352.
Humblus ex indice genuinorum Daniæ Regum expungendus inqve Hunniam relegandus, vel inter curatores Regni Danici cenſendus — — — — — — 247. 248. (18. 183.)
Hundingus non Sveciæ Rex Haddingorum uni ſynchronus — 253.
Hundingum Sveciæ Regem, eo mortis genere, qvo Islandi Fiolnerem ſublatum perhibent, periiſſe *Saxo* auctor eſt — — 263.
Illum Islandi nec Sveciæ Regem agnoſcunt, nec a qvo occiſus ſit, ſilent, eumqve ad inferiora tempora referunt — 263. 265.
Huno, Archiepiſcopus Bremenſis, qvando ordinatus — 428.
Hyndluliód, carmen — — — 257. & ſq. (23. XXXII.)

I.

Jacobus Tertius Scotiæ Rex — — — — (71.)
Japhetum Sveciam incoluiſſe eundemqve Neptunum & Atinum & Dellingum appellatum *Rudbechius* ſtatuit — — 163.
Non videri neptes ſuas & proneptes conjugio ſibi ſociaſſe ibid.
Eum cum filiis ſuis tamdiu ſuperſtitem non fuiſſe, ut poſt regiones in Aſia occupatas coloniisqve repletas, novas in Europa qværeret — — — — — — 168. & ſq.
Jarmericus ſ. *Jormunrecus* inter Daniæ Reges inferendus non eſt, ejus hiſtoria — — — 325. usqve 328. (XXXII.)
Inæ æra — — — — — — — (41.)
Inæ hujus fratrem Ingildum *Dunelmenſis*, noſtrates Ingialdum vocant — — — — — — — — (ibid.)
Index hiſtoriarum, qvæ perierunt, ſed a fide dignis ſcriptoribus citantur — — — — — — 11.
Indiæ nomen depravatum, pro provincia aliqva Norvegiæ, Sveciæ, aut Gothiæ intelligendum — — — — — 31.
Per Indiam *Reenhielmius* Schytiam usqve ad Thanaim intelligi exiſtimat — — — — — — (4.)
Ingibiörg Regis Belii filia — — — — — (5.)
Ingibiörg Finni Arnini filia, qvæ Thorfinno Orcadum Comiti poſtea uxor obtigit, verſu celebratur — — — (10.)
Ingolfus incolarum Islandiæ anteſignanus — — — (161.)
Ingialdus Frodii IVti filius, qvi *Starkadi Alumnus* uſurpatur, reliqvis fratribus adultior, Lethranam ditionem rexiſſe videtur (31. 184.) 284.

Ingial-

Ingialdus Aſtutus ſe ipſum cum filia incendio delet — — 208.
Inglings & *Ingliſch*, pars Svevorum nobilisſima ab Ingone Odini filio denominata teſte *Langhornio* — — — — 153.
Ingvaris Multivagi vita ab Oddo Monacho conſcripta fabuloſa, vana. 45.
Inſcriptiones in ſaxis & rupibus ad hiſtoriam inſufficientes — 64.
Interregnum in Dania a morte Skuldæ Hrolfi Krakii ſororis cœpit 293.
Interregni qvædam fama ad *Saxonem* pervenit, qvod ille ad inferiora tempora depresſit — — — — — 307.
Interregnum in Dania trium Seciæ Regum tempore duravit — ibid.
Jomsburgum utrum Haraldi an Sveinis tempore conditum — (XXI.)
Johannes Magni, cur *Saxonis* methodum in ſua hiſtoria Svedica ſecutus ſit — — — — — (IX. 11.) 75 82.
Ejus fundamenta, qvæ hiſtoriæ ſuæ ſe ſubſtruxiſſe profitetur, examinantur — — — — — — 80.
. Multos Reges ex proprio cerebro finxit — — 81.
Johannis Martini Slangrupenſis verſio Danica — — (29.)
Jon Halthoris filius, Epiſcopus Schalholtinus, antiqvitatum patriarum promotor — — — — — — 47.
Jonis Loptini Sæmundi nepôtis encomium — — — 43.
Ejus mater fuit filia Regis Norvegiæ Magni Nudipedis — 42.
Jornandis traditiones de Ermanarico cum Islandorum narrationibus conferuntur, traditionesqve de eodem *Eddicis odis* occaſionem plura affingendi præbuiſſe videntur — — — 342. (XI.)
Jornandis Ermanaricus an idem ſit ac *Saxonis* Jarmericus, qvi noſtris *Jormunrecus* eſt, eademqve hiſtoria a noſtris & ipſo exponatur. Argumenta, qvæ id propugnant — 336. usqve 339. (45. ſq.)
Rationes autem, qvæ impugnant — — 339 usqve 343.
Jörundus Yngvii filius Seciæ Rex — — — .(15. 184.)
Jötunbiörn — — — — — — — (XXIX.)
Jötunheimar certe ante Odini adventum id nomen ſortiti — (129.)
Non ſemper iisdem terminis incluſi — — — (ibid.)
Finnmarchiam nunqvam ambitu ſuo comprehenderunt — (ibid.)
De iis ſententia — — — — — (146.)
Joti — — — — — — — (129.)
Ab iis qvos *Ptolomæus* Saſonibus & Syebis ad mare Rhymeorum inter Aſiatas vicinos memorat huc profectis, inſeſſos, nec affirmatur nec refellitur — — — — — (129.)
Islandorum qvidam Angliæ & Hiberniæ Reges generis ſui auctores habent — — — — — — — 57.
Illorum induſtriæ in indaganda Hiſtoriarum veritate rarum exemplum — — — — — — — ibid.

Islandi qvos Thylenſes *Saxo* vocat, non exſtiterunt eo tempore, qvo *Saxo* Gormo ſuo & Thorkillo id applicat — — 332.
Isleifus primus Islandiæ Epiſcopus an, & qvid conſcripſerit — 39.
Ejus conjectaneis *Arium Polyhiſtorem* in Hiſtoria ſua conſcribenda uſum videri — — — — — — 40.
Ivaris Vidfadmii ſucceſſus & potentia — — 308. 309. 310.
Ejus memorabilis aſtus in elocanda filia — — 311.
Acqvirenda Dania, nepotiqve vel filiæ eripienda mira inhumanitas, conſilium de Ruſſia ſubigenda, expeditio, repentina mors ibid.
Northumbriam & Occidentalem in Anglia Saxoniam tenuit 509.
Ex Svecia in Gothiam cum claſſe profecturum, portum Sialandiæ in tranſitu ſubiiſſe tradit *fragmentum* de eo *hiſtoricum* — (11.)
Audurem Prædivitem, ejus filiam, ambivit Helgius — (35.)
Ejus & Ingialdi Aſtuti ſynchroniſmus — — (36.)
Memoratur — — — — — (185.)
Ivar Ragnaris Lodbrochis filius, *Exos* dictus, & unde — 347.
In Anglia ſolus poſt expulſos fratres remanet, cum Ella Rege paciſcitur de ſolo, tergori bovino adæqvato, ibi Londinum exſtruit 350.
Sed falſo, ut videtur — — — — 383.
Gratiam Regis ſibi conciliat, procerum fidem donis expugnat, fidem Regi perfidus jurat, fratres nuntiis arceſſit; Legatus de pace componenda miſſus, ad vindictam patris hortatur, ſupplicii de victo Rege deinde ſumendi auctor Angliæ dominium invadit, & ad finem usqve vitæ tenet — — — — 351.
S. Eadmundum occidit, regnum ejus occupat, illamqve partem Angliæ accipit, cui majores ejus antea præfuerunt — 375.
Sine liberis, ſine appetitu prolis procreandæ, ſupervixit omnibus fratribus ſuis, ſenio mortuus, in Anglia tumulatus — 376.
Judices duodecim ab Odino inſtitutos in Nordmanniam & Angliam inde dimanaſſe colligit *Sheringhamus* — — — 147.
Juliorum feſtum a prima memoria in triceſimum Decembris, ſed in Februario celebratum eſt — — — — 158.
Jutiæ Reguli ſub Sigurdo Hringo & Ragnaro Lodbroche — 396.
Jutos ex Gothis Scanzianis ortos *Grotius* minus recte conjicit — 88.
Juſte fluvius — — — — — — (178.)

K.

Kanutus Valdemari Primi filius — — — (19.)
Kanutus Sanctus — — — — — — (21.)

Kerlin-

Kerlingia ſeu *Kerlingalandia* — — — — 422. 424.
Nordmannis ſuo idiomate *Vetularum terra* — ibid. & ſq.
Ketill Jamtius, qvibus æqvalis — — — — 254.
Kiares plures poterant exiſtere etiam poſt Sigurdi Faſnericidæ tempora — — — — — — 341.
Knitlingorum hiſtoria — — — — — — (19.)
Knutus Expoſititius ſeu *inventus*, ex inceſtu natus, ſervis exponendus traditur, a nodo, qvi linteo, cui involutus erat, tres aureos annulos innectebat, Knutus dictus, ejus hiſtoria — — 399.
â ſervis, Comitum dignitate inſtructis, *Servius* etiam appellatus 401.
Lodni-Knut pro *Fundni-Knut* dictus, item Eiricus Barn 436 438.
Eum *Arildus Hvitfeldius* ex ſummorum Daniæ Regum albo expungit — — — — — — (61.)
Kolus Krappius — — — — — — (XXVII.)
Koklings-hoyder ſeu Koklingi colles ſepulchrales prope Augvaldzneſiam — — — — — — — 50.
Kolſkeggus Polyhiſtor qvæ ſcripſit — — — — 44.
Korpeklinti in Gothlandia inſcriptio improbatur — — 78.
Kraakebechen, rivulus in iſthmo Spangareidenſi hodieqve monſtratur, ubi Aſlaug Ragnaris Lodbrochis uxor greges pavit, ita dictus a nomine, qvod ei tunc impoſitum erat, *Kráka* — 36.
Kroka-Reſi hiſtoria tota fictitia — — — 25. usqve 28.

L.

Laalandia unde dicatur — — — — — — 77.
Ladvig templum — — — — — — (172.)
Laxdæla — — — — — — — (31.)
Langfedgatalis de Sveciæ Regibus aſſerta — — 361. 362.
Qvæ eo continentur, ut frivola rejiciuntur — — (99.)
Langhornii de Jutis & Vitis diſceptatio — — — 96.
Aſtios, Ingrios & Ruſſos per Indiam intelligit — (4.)
Hiſtoriam de Offa Rege e Dania in Angliam traductam exiſtimat (34.)
Laurentius, Johannes — (69. 70. 74. 79. 82. 87. 89. 94. 95. 121. — — — — — — — IX. XVIII. XXIV.)
Ad eum literæ — — — — — — (87.)
Lapides ſepulchrales in Augvaldzneſia, in memoriam Augvaldi, & cultæ ab illo vaccæ — — — — — — 50.
Lectis geſta veterum inſculpta — — — — 51.

Legem de exſeqviis, eqvo & armatura inſignibus, a Frôdio latam *Snorrius* Dano Daniæ Eponymo tribuit — — — 255.
Leirdal, *Lœradal* — — — — (162. 169. 179)
Legangri ad Torfæum literæ — — — — (150. 163.)
Lekanger, parœcia — — — — — (175)
Lethrenſis ditio — — — — — — (35.)
Lettius, Secretarius — — — — — (80.)
Liebius Academiæ Bibliopola *Seriem* excudit — — (104. 130.)
In eam ſumtus tandem ſuppeditat — — (XIII.)
Liber Originum Islandiæ, *Landnama*, variorum nominum & appellationum originem refert — — — — (5.) 50.
Lifdagus primus Ripis Epiſcopus — — — — 429.
Lignis veteres chartarum loco uſi — — — — 53.
Lilienſkiöld — — — — — — — (98.)
Lingva gentibus inter Rhenum & Viſtulam, Oceanum & Danubium pene communis, Caroli Magni ætate, mores & habitus disſimiles 129.
Literæ ante Odini Upſalenſis tempora huc illatæ non reperiuntur — — — — — — — (135. 141.)
Loccenius, Eiricus — — — — — (10.)
Locorum diverſorum de Sveciæ Regibus conciliatio 363. usqve 366.
Lodbroch, Vilhelmo Gemeticenſi *Lothrocus* — — 373.
Lodus, in Lotherum a *Saxone* converſus, Humlii Hunniæ Regis filius, vel etiam Saxoniæ Rex, ex albo Daniæ Regum expungitur — 348.
Loſdius Grami frater, Jutiam ſibi ſubjecit, inqve qvintam generationem transmiſit. Ejus genealogiæ ſchema — — 250. 251.
Londinum ab Ivare Ragnaris Lodbrochis filio exſtructum — 350.
Qvod fabuloſum — — — — — 383.
Vetus oppidum appellavit *Marcellinus* — — — (49.)
Tacitus Neronis tempore cognomento *coloniæ non inſigne*, *ſed negotiatorum & commeatuum* maxime celebre appellat — (49.)
Lother juxta *Saxonem* Dani filius Princeps Cimbriæ, filius Heidreci Regis — — — — — — — (183.)
Longobardorum exitus ex his terris, cum æra, qvam *Saxo* Snioni tribuit, male cohæret — — — — — 329.
Lothebricus navicula aqvatiles aves inſectatus tempeſtate in Angliam abreptus in familiam a S. Edmundo aſcitus a ſervo accipitrum domitore occiditur — — — — — 380.
Lothne-Knut ex *Fundni-Knut*, Knuto expoſititio, fabricatus videtur — — — — — — — — 401. 436.
Ludovicus junior, Ludovici Germanorum Regis filius, Nordmannos magna clade afficit, ejus mors — — — (185.) 422.

Lyngvius

Lyngvius Hundingi filius, ejus geſta & tempora — — 385.
Lyſchander in Thanace, Tanao, Tanuſio & Dano ſibi ipſi non conſtat — — — — — — — 69. 70.
De rerum Gothicarum in priſcis Danorum monumentis defectu qveritur — — — — — — — 74.
Lyſter, parœcia — — — — — — (178.)

M.

Magia ante Odinum Upſalenſem in Septentrione in uſu — 33.
Etiam poſt Odinum multis ſeculis usqve ad Chriſtianiſmum fundatum in Septentrione freqvens — — — 34.
Ejus ſpecies variæ — — — — — 133.
Magnus Olafi Lexicon Runicum compoſuit — — (2.)
Magnæus, Arnas — (93. 94. 95. 96. 103. 104. 107. 121. 125.)
Manniæ Eccleſia; in eam jus Eccleſiæ Nidroſienſis — — (71.)
Super ea inter Regem Norrigiæ Magnum Qvartum & Scotiæ Alexandrum Tertium Transactio — — — — (71.)
Margareta Regina — — — — — — (20.)
Matthæus Pariſienſis — — — — — (34.)
Marcellinus Londinum Valentiniani & Gratiani temporibus *vetus* oppidum appellavit — — — — — — (49.)
Meyer, Conſiliarius Status, ad eum epiſtolæ (65. 68. 73. 75. 76. 82. 83.
— — — 84. 88. 93. 94. 95. 96. 101. 104. 121.)
Mithodinus Deorum iram aut Numinum violentiam confuſis ſacrificiis expiari negabat, ideoqve iis vota communiter nuncupari prohibet. — — — — — — (14.)
Mothius — — — — (69. 70. 77. 78. 82. 157.)
Mare Odini, Poëſis appellatur — — — — 142.
Metempſychoſin priorum Deorum ſibi adſcripſiſſe Odinum, ejusqve ſocios *Gudmundus Andreæ* ſtatuit — — — 124.
Meurſii in congerendis regibus ab Eirico Puero ad Gormum usqve ſuperflua & negligens induſtria — — — 441. 442.
Notatur, monſtratur, refellitur — — — 443.
Ejus notæ ad Ælnothum — — — — (62.)
Mileſiorum colonia ex Schytia Septentrionali in Hiberniam infuſa anno M. 2934 perhibetur — — — — 200. 207.
Monumentorum Islandicorum genus qvadruplex — — 12.

Morkinſkinna, liber Mſ. pergameneus ab auctore ſic appellatus, pars eſt operis *Snorrii* — — — — — — 46.
Mulſum Odini, poëſis epithetum — — — — 143.
Myſingus piratarum Rex — — — — — (28.)

N.

Navigandi artem Phænix & Cadmius Agenoris filii ex Ægypto in Phœniciam advexerunt — — — — — 167.
Navigationis primordia ad *Danaum* referuntur mille annos poſt diluvium — — — — — — — ibid.
Νεκρομαντεία an ab Odino in ſeptentrionem introducta — 145. 146.
Nemethus Anno M. 2029 Scandia egreſſus in Hiberniam delatus traditur — — — — — — — — 200.
Refellitur — — — — — — — 205.
Nicolai Kragii de Islandorum ſcriptis judicium — — 61.
Nicolai Toldorphii teſtimonium — — — (6.) 36. 493.
Ninus, qvo ſeculo vixerit — — — 171. 172. 180.
Qvando imperaverit — — — — 180. 181.
Niördus Odini ſocius — — — — — (12. 162.)
Nomina virorum mulierumqve non ab Odino Upſalenſi & ejus ſociis derivata, ſed a Diis illis, qvi prius culti ſunt, videntur — 148.
Nomina propria terrarum, locorum, gentium, qvæ orienti cum ſeptentrione communia ſunt, antiqvitatem gentium ſeptentrionalium non arguere — — — — 173. usqve 177.
Nomina provincialium Regum, *qvi poſt Hrolfum* Krakium *Daniam* tenuerunt — — — — — (33.) 291.
Nordmannorum in Friſia clades — — — — 424.
Illorum poſt cladem a Ludovico acceptam furor, Pariſiorum urbem exuſſerunt, Aqvisgranenſis urbis templo pro ſtabulo uſi, Coloniam Aggrippinam & urbes ad Rhenum incenderunt — 423.
Ab Arnulfo magnam cladem accipiunt — ibid. & 427.
Diſſenſus de annis — — — — — 428.
Nornageſtus — — — — — — — — (43.)
Nor Norvegiæ eponymus — — — — — (162.)
Norum territorii nomen — — — — — — (176.)
Northumbria Adalmundi tempore ethnica fuit eiqve tributaria (59.) 376.
Ejus & occidentalis *Saxoniæ* Reges Sigurdi Hringi fiduciarii 509.
Northumbria — — — — — — — (35.)

Eam Ivaro Vidfadmio paruiſſe ex *hiſtoria Hervoriana* clarum — (42.)
Norvegiæ Origines — — — — — — — (5.)
Norvegica hiſtoria (IX. XII. XIII. XXII. 97. 105. 108. 110. 115. — — — — — — 119. 120. 131.)
Norrigia — — — — — — — (151.)
Norvegiæ tabulæ Geographicæ — — — — (158.)
Norvegi olim Gothis annumerati — — — (11.) 84.
Notitiam Rerum Danicarum antiqvisſimam, qvi a Daniæ Regibus orti, Iſlandiam primo occuparunt eo ſecum intulerunt — 57.
Numinibus ſingulis ſecundum ſuam profesſionem ſupplicandum (13. ſq.) — — — — — — — 132.

O.

Odæ veteres Eddicæ ſine ordine circumlatæ *Saxoni* impoſuiſſe videntur — — — — — — — 220.
Illarum ingens artificium & abſtruſus ſenſus — — 14.
Oddus Monachus, qvo ſeculo vixerit, & ejus teſtimonium de ſcriptis Sæmundi — — — — — — 41.
Qvæ ſcripſerit — — — — — 45.
Odini migratio in Septentrionem, omnis Hiſtoriæ ſeptentrionalis principium & Epocha habetur — — 99. (12. 22. 26.)
Illum alii incolæ Septentrionis præceſſerunt, ſed de iis nihil conſtat — — — — — — — ibid.
In aſſerenda divinitate aſtus — — — — 100.
Ei & Aſis placuerunt nomina, qvæ fabulis complexi ſunt, nominibus & locis imponi — — — — ibid.
Ad mortem intrepide oppetendam propoſitis Valicæ aulæ illecebris poſt vitam perfruendis cives Septentrionis animavit — 101.
Illius & Aſarum migratio a Romanorum geſtis in Aſia illuſtratur — — — — — — — — 103.
Illius immigrationis æra — — — — (XXIX.)
A Pompeio & Æra nativitatis Chriſti — — 104. & ſq.
A collatione Antiqvitatum Saxonicarum cum Iſlandorum Hiſtoriis — — — — — — — 107. & ſq.
Ejus priſca ſedes ad Boſphorum Cimmericum in Syndica 106. — — — — — — — — 126. 244.
Utrum ille, an vero Forniotus prior vixerit — — (X.)

Migratio

Migratio illius in Septentrionem ſupra Cimbrorum expeditionem non poteſt elevari — — — — — — 113.
Upſalenſis vulgo, ſed minus accurate, dictus, cum ante conditos Upſalos mortuus ſit — — — — 114. (14.)
Illum veteres incolas hinc in Germaniam & alias terras extruſiſſe nihil abſurdi habet — — — — (134.)
Odini ad minimum duo, Boræ alter, alter Frealafi filius — ibid.
Boræ filius ſolis loco cultus — — — — — ibid.
Cur unoculus dicatur, & cur Scaldorum præſes habeatur 115.
Cur ei tot epitheta impoſita ſint — — — 116.
Odinus Upſalenſis ſolus eſt ad qvem Septentrionis & Angliæ Reges genus referunt, ſed diſpari graduum ratione — (14.) 123.
Qvi Starchaterum ad occidendum Vikarem impulit, tunc mortuus in ſpectrum deſivit — — — — — — 151.
Qvi Haraldum Hilditannem occidit, tum qvoqve mortuus 152.
Migrationem ejus ex Aſia in Scipionum tempora a *Langbornio* perperam exaltari — — — — — — 114. 152.
Odinos duos *Olaus Rudbechius* ſtatuit, ſed ejus nomine tanqvam proprio qvatuor aut qvinqve uſos eſſe, nobis nondum liqvet — 124.
Odinus dum in eorum Numinum, qvæ in ſeptentrione prius culta erant, nomina invaſit, effecit, ut tum eorum, tum etiam heroum, qvi ante eum vixerunt, omnis memoria interiret, isqve cum ſuis pro antiqvisſimis a poſteritate cultus ſit, & ab eo tanqvam radice omnis memoria pullulaverit — — — — — 125.
Magnam variamqve mutationem ſecum in Septentrionem intulit — — — — — — — — 128.
I. Circa lingvam, qvam dialecto tantum & vocabulis qvibusdam a priſca illa, qva primi aborigines uſi ſunt diſtinctam invexit 129.
II. Circa literas, qvas ipſe introduxit — — 130.
III. Novam qvandam magiæ ſpeciem — — 133.
IV. Poëſin cultiorem — — — — 141.
V. Funerum ſolennia — — — — 143.
VI. Judiciorum ordinem — — — — 146.
VII. Sacrificiorum ritus — — — — ibid.
VIII. Nominum a ſuis derivatorum impoſitionem — 148.
IX. Denominationem dierum hebdomadalium — — ibid.
Ejus filii qvi & qvos Principes in Anglia progeneraverint teſte *Langbornio* — — — — — — — 153.
Qvo tempore ex Aſia migraverit, decennium in ſubjuganda Dania, Svecia, Norvegia, interjectisqve terris inſumſiſſe videtur — — — — — — — — 226 (184.)

Singulis

Singulis regni Gothici, in univerſum ſic appellati, provinciis nova nomina indidit — — — — — 244.
Ejus præſtigiæ Hrolfo Krakio exhibitæ — — 295.
Offa Merciorum Rex — — — — — (34.)
Olafum Manſvetum Vermundi filium altera Genealogia, qvæ Originibus continetur, in fœminam nomine Olufam convertit, eamqve Dani Magnifici matrem facit; ſed ſola, ideoqve explodenda 269.(15.183.)
Olafus Kinrici filius, Northumbriæ tributarius Rex a Sigurdo Hringo præpoſitus, ab Ubbii filio Eava regno pulſus, Jutiæ ab eodem Hringo præficitur, deinde filii ejus Ragnaris Lodbrochis Vaſallus *Olafus Anglus* dictus — — — — 322. 508.
Is *Saxoni* Olius Vegetus eſt & Gormo Anglicus 281. 282. 324. — — — — — 397. 398. 437 (184.)
Olafus Tryggvinus, ejus genus a Ragnare Lodbroche & Thora Herraudi filia — — — — — — 395.
Ejus vita â Gunnlaugo Monacho latine ſcripta deperdita (2. 7.)
Ejus hiſtoria in recenſu Regum Jutiæ, poſt cladem Nordmannicam refellitur — — — — — 434.
Olafus Sanctus, ejus genus â Ragnare Lodbroche & Thora — 359.
Aulæum poſſidebat, cui Sigurdi Fafnericidæ conflictus cum Fafnere intextus — — — — — (9.)
Olafus Sveo, ſeu Skautkonungus, Sveciæ Rex, non triceſimus, ut Chronici Norvegici editio Danica habet, ſed decimus in gente ſua ſucceſſor — — — — — — 365. (185.)
Ejus decem proavi ad Sigurdo Hringo numerandi ibid. & 366.
Olafus Lignarius Ingialdi Aſtuti f. — — — (185.)
Olafus Manſvetus Dani pater — — — — (15.)
Olafus Albus Dublini Rex — — — — (31.)
Olaforum Sveciæ Regum nullus, poſt cladem Nordmannicam, totam Daniam ſibi ſubjecit — — — 334. 336. 337. 430.
Olaforum hiſtoriarum, earum qvæ prolixiores, ſcriptores diverſi â *Snorrio* — — — — — — — (136.)
Olai Rudbechii argumenta, pro adſtruenda gentium Septentrionalium antiqvitate a confuſione lingvarum expenduntur — 156.
De primarum poſt diluvium familiarum propagatione ſibi ipſe vix conſtat — — — — — — 162.
Olavus Godefridi filius in regnum Daniæ non ſucceſſit, ſed Hemingus — — — — — — — 333. (185)
Olius Vegetus, Fridleifi Tertii filius, *Saxoni* Olo, in balneo a Starcado occiſus, magnam ei confuſionem cauſatus eſt, nam ex eo duos exſtruxit, ex qvibus tertius qvoqve elicitur — 282. 324.

Olinus nihil ad Norvegos aut Svecos pertinet — — (141.)
Olo, Haraldi ex ſorore nepos, Scatum & Hialum fratres occidit (36.)
Ollerus, Eddæ *Ullus* eſt, Odino Upſalenſi æqvalis — (151.)
Olufa an Dani Magnanimi mater — — — (15.) 214.
Olufa Ragnaris Lodbrochis ex Thora filia, nupſit Steinari de Canibus Duci Anglicano — — — — — 358.
Rami ab eo duo, alter ad Olafum Tryggvinum, alter ad S. Olafum Norvegiæ Reges — — — — (57.) 359.
Omundus, qvem Olonis filium *Saxo* tradit, Monarchis non annumerandus eſt — — — — — 325. (184.)
Opdal, Ellen — — — — — — (142.)
Orbem terrarum diviſum fuiſſe ante ſtructuram turris cæptam — 166.
Orcadenſium geſta — — (69. 85. 89. 105. 116. 121. 122.)
In hiſtoria Orcadenſi obſervanda — — (87. 88.)
An Hialtlandia territorio Orcadenſi accenſeri debeat — ibid.
Orcades hypothecæ expoſitæ pro 60 millibus florenorum Renenſium (89.)
Annus qvo ædes in Orcadum Pomona, noſtratibus *Kirkiuvog*, illis *Kirkua*, condita fuit, inſculptus ipſius turri in muro (126. 141.)
Ad hiſtoriam Sigurdi Hieroſolymipetæ pertinet — (132.)
Origo variarum appellationum & nomininum ex *Landnáma* petenda 50.
Orm Hartiſnut ex *Hordaknut* & educatore ejus Gormo profluxit in *Eirici Pomerani Chronico* — — — — 437.
Otlaug vel *Aatloyboyen*, colliculus in iſthmo Spangareidenſi, etiamnum monſtratur, ubi Aſlaug Ragnaris Lodbrochis uxor conſedit, dum greges paſceret — — — — — — 35.
Ottar Stultus — — — — — — (83. 24.)
Ottonem Primum contra Haraldum Cærulidentem pugnaſſe, *Saxo* tradit — — — — — — — 440. (185.)
Ottar Vendilkráka Eigilis filius — — — — (184.)

P.

Parietibus domuum Hiſtoriæ Veterum impreſſæ — — 51.
Partolanus Anno M. 1969 ê Scandia in Hiberniam acceſſiſſe perhibetur — — — — — — — 199.
Refellitur — — — — — — 205.
Petri Huetii de Eddicis fabulis judicium — — — 14.
Refellitur — — — — — — 15.

Ejus de hiſtoriis, magnis in Septentrione lapidibus inciſis, vanum teſtimonium â *Thoma Bartholino* refellitur — — 65.
Petri Claudii Undalini de Islandorum ſcriptis teſtimonium 61. & ſeqv.
Ut & de ſcriptis Isleifi primi Islandiæ Epiſcopi — 39.
Petri Albini Niveomontani opus, qvod novæ *Saxonum* hiſtoriæ progymnasmata inſcripſit, cum Islandorum antiqvitatibus confertur — — — — — — — 107. & ſq.
Peringſkiöld Archivarius Regius — — — (159. 145.)
Philippi Cluverii de *hiſtoria Johannis Magni* judicium — 81. 82.
Pictos ex majoris Germaniæ parte, qvæ Danos Svecos & Norvegos complectitur, in Hiberniam delatos, inter annos M. 2935 & 2948 Herimone primo Scotorum Dynaſta, Rege Salamone Hieroſolymis regnante, perhibent, mille annis ante caput æræ Chriſtianæ Boëthio repugnante, qvi id 322 annis ante Chriſtum factum vult — — — — — — — 202. 204.
Plura de iis — — — — — — 207.
Picturis & Sculpturis rerum geſtarum memoriam Veteres conſervarunt — — — — — — — 51.
Plesſius — — (71. 75. 78. 96. 102. 120. 107. 113.)
Poëſis omnibus hominibus a natura indita ſeu rudis & impolita 141.
Cultiorem in Septentrionem Odinus introduxit, teſte *Snorrio* 142.
Poëtæ veteres, viri probi, veritatis ſtudioſi, in magna apud Principes gratia, magno honore affecti, omnibus aliis Miniſtris prælati, ſæpe & nuptiis filiarum eorum aut propinqvarum fœminarum ornati — — — — — — — 54.
Ipſi qvoqve Reges poëſeos notitiam gloriæ ſibi duxerunt ibid.
Polydori Virgilii, de Lothebrico, Agnare ejus filio & S. Eadmundo narratio — — — — — — — 380. 381.
Iſtum Lothebricum totius Daniæ Regem non fuiſſe — 394.
Pontanus notatur — — — — 426. (89. 164.)
Ejus collatio cum *Arnoldo de Fine* — — — (154.)
Poſteriores Jutiæ Reguli — — — — — 404.
De iis *Hiſtoriæ Olafi Tryggvini* & membranarum narrationes 404. — — — — — — — — usqve 407.
Pytheas Masſilienſis, qvando vixerit — — — 174.

R.

Radbardus — — — — — — (36. ſq.)
Ragnares Lodbroches plures fuiſſe — — — 383. (X. ſq.)

An ullus Ermanarici tempore Daniæ Rex vixerit — 343. 383.
Qvibus argumentis ſtabiliuntur — 387. usqve 392. (60.)
Qvibus refelluntur — — — — — ibid.
An *Æimonii Ragnarius* — — — 379. 394. 419.
Ejus commilitonumqve geſta & interitus — — 379.
An is, qvi Gallicis Anglicisqve ſcriptoribus celebratur 383. 389.
Ragnar Lodbroch, Sigurdi Hringi filius, id nominis antiqviſſimus 380. (185.)
Ejus hiſtoria confuſa — — — — — 35.
Loco, qvem in auctoris chronologia obtinet, moveri neqvit 380.
Unde *Lodbrochis* nomen acceperit — — — 346.
Ejus uxor, liberi — — — — — 347.
Filiorum geſta — — — — — — 348.
Congreſſus cum Carolo Magno haud abſurdus — 391.
Cum Haraldo Pulchricomo congredi non potuiſſe — ibid.
Nec cum Haraldo, qvi Moguntiæ baptizatus eſt — 393.
Confunditur cum iis, qvos Gallici Angliciqve ſcriptores ſub his nominibus celebrant — — — — — 388.
Confunduntur & filiorum illorum geſta — — 394.
Hi autem, qvos Anglici Galliciqve ſcriptores celebrant, in Gallia baptizati ſunt — — — — — 423.
Illi non item — — — — — — 426.
Expeditio in Angliam, captivitas — — — 349.
Interitus, carmen exeqviale — — — — 350.
Ejus progenies ex Thora — — — 359. (57.)
Ex Aſlauge per Biornum Ferreum latus & Sveciæ Reges demiſſa — — — — — — — 361. usqve 368.
Per alios in Islandiam viros celebres — — 369. 370.
Per Sigurdum Angvioculum — — 370. 371. 372.
Ejus Genealogia prolixiſſima cæteras omnes refellit — 380.
Recenſus eorum, qvi diverſis temporibus eadem ſimul nomina & cognomina geſſerunt — — — 343. 344. 345.
Ramus, *Jonas* — — — — (162. 151. 157. 161.)
Ramus, *Melchior*, ſcholæ Nidroſienſis Profeſſor Theologicus (157. 165.)
Randver — — — — — — — (37.)
Raſchius — — — — — — (144. 149.)
Raumus, Bryngerdis pater, non videtur fuiſſe Noris, ſed Jötunbiörni filius — — — — — — — (5.)
Reenhielmius — — — — — — (4.)
Reventlow, Comes, ad eum epiſtola — — (104. 111.)
Reimer, *Anna*, Stafangriæ multos pſalmos fluente vena compoſuerat — — — — — — (133. 137. ſq.)

Rhy-

Rhymeorum mare — — — — — (129.)
Riisneſiord — — — — — — (172.)
Refus, *Saxoni* Thylenſis, non erat Islandus — — 332.
Reges & Principes propter hominum inopiam paſtores olim erant 169.
Reges fiduciarii, an absqve ſuperiorum conſenſu ſucceſſorem ſibi in hæreditariis regnis deligere, ſubditis tantum ſuffragantibus, potuerint — — — — — — — 400.
Reges Daniæ poſt cladem Nordmannicam autor *vitæ Olafi Tryggvini* perperam recenſet — — — — 430. 437.
Regnaldus Ruthenus, Radbardi nepos, *Saxoni* pariter ac noſtris Bravallenſi pugnæ interfuiſſe traditur, indeqve noſtræ traditiones illuſtrantur — — — — — (36.) 319.
Regenarius, qvo tempore Gallias infeſtavit, non niſi pirata fuit — (60.)
Reidgotalandiæ vera notatio — — — — (11.) 87.
Reidgothiæ nomine tota continens, qvam posſidebat Odinus, veniebat 84.
Poſtea ſola Jutia — — — — — 86.
Relationes non ſcriptæ per manus traditæ, hiſtoriam explicarunt 56.
Rigus primus in ſeptentrione Regium Titulum aſſumſit (XXXIV. ſq.) — — — — — — — 270. 271.
Rigsmál ejus oda — — — — — — 272.
Rimbegla (libri nomen eſt) & *Sturlaugi Laborioſi hiſtoriæ* teſtimonia de exordio Hiſtoriæ Septentrionis ab Odino & Aſis deducendo 148.
Ejus locus de primis Daniæ Principibus integer — 264.
Rimberti Archiepiſcopi tempore, qvi Reges Danis præfuerint — 382.
Ansgario ſuccesſit — — — — — — 422.
Rimbrandus primus Aroſienſis Epiſcopus — — — 429.
Ringones Saxonis bini, in unum Sigurdum Hringum, Ragnaris Lodbrochis patrem convertendi ſunt — — — 334.
Roberti Sheringhami de Eddicis fabulis judicium — — 16.
Roderici O-Flaherty de Codicum Hibernorum delectu teſtimonium 2.
Rokil — — — — — — — — (19.)
Rogerius primus Siciliæ Rex — — — — — (129.)
Rognvaldus Ragnaris Lodbrochis filius in Svecia cæſus — 347.
Rognvaldus Heidumbærri — — — — — — (16.)
Romanorum ſucceſſus in Aſia, multos Principes ditionibus ſuis cedere coëgit — — — — — — 103.
Eorum arma Tanaim usqve circumlata, *Floro* teſte — 106.
Iis Odinus ad ſedes patrias relinqvendas territus videtur — ibid.
Romani ſcriptores de iis, qvæ annis ſeptuaginta ante Chriſtum geſta ſunt, parum aut nihil ſciverunt — — — 150.
Cum Romanorum tunc nemo Rhenum tranſiverit 155. (14. ſq.)

Rorechus Slingebond, noſtris *Hrærechus Slaungvaubaugius*, non Hotheri, ut vult *Saxo*, ſed Halfdani nobis Tertii filius, Lethrenſem ditionem, inter Polyarchas jure hæreditario tenuit — 301.
Rörekus — — — — — — — (19.)
Rudbechius, Olaus * — — — — — (128. 135.)
Runæ, Arvakri auri & Alſvidi ungulæ inciſæ, qvid denotent — 14.
Illarum ſimplicium & elementarium inventionem *Verelius* Odino fruſtra abjudicat — — — — — — 133.
Odinus eas introduxit — — — 130., & ſeqv.
Nec ante eum in uſu — — — — 140.
Runböfdi, runarum autor, Odinus appellatur — — ibid.
Atlantica fabula nominis celebritatem obtinuit — (128.)
Runica ſcriptio unius literæ levi mutatione in alium ſenſum mutatur ibid.
Runicæ literæ ſignificative efferuntur — — — 139.
In tres ſectiones diſpeſcuntur — — — 140.
Runicum Lexicon — — — — — — (2.)
Rutle portus — — — — — — (173.)

S.

Sacrificia terna qvotannis celebranda Odinus induxit — 147.
Sæland, veteribus Membranis *Siáland* — — — 76.
Sæmundus Polyhiſtor, qvid ſcripſerit, ejus vita ab auctore ſcripta, ſed nondum edita, qvando natus, ubi ſtuduerit, qvando in patriam redierit — — — — — — 40.
Ejus calculatio in Regum Norvegicorum annis ab anonymo allatis diſſentit — — — — — — 42.
Qvo anno obierit — — — — — 43.
Sandöe — — — — — — — (161.)
Saxonis Grammatici de Islandis teſtimonium — — 58.
Fundamenta ad hiſtoriam conſcribendam haud ſatis ſolida metra metris ſe reddidiſſe teſtatur, qvæ tamen admodum pauca — 63.
Islandorum documenta haud ſatis inſpexiſſe videtur — 65.
Ab eorum ordine in Regum Daniæ Serie contexenda conſulto disceſſit, ut majorem gloriam regibus & antiqvitatem genti circumdaret — — — — — — — 66.
Johanni Magno non impoſuit — — — — 82.
Qvinqve vel plures Odinos ſuggerit, ſed unum tantum præter Ollerum aut Mithodinum profitetur — — — 149.

Ejus

Ejus in aſſignanda uni Odino tam monſtroſa ætate error — 151.
A *Langbornio* ob effictos qvosdam *Saxoniæ* Principes traducitur 154.
Multa ei poſteritas debet, qvod varia conſervaverit, qvæ apud Islandos interierunt — — — — — 220.
Unius temporis hiſtoriam in partes diſſecuit atqve ad diverſa tempora retulit — — — — — — 254.
Plura ei de Ragnaris geſtis conſtitit, qvam poſteri apud Islandos conſervarunt — — — — — 391.
Saſones & *Syebi* — — — — — — (29.)
Saxonibus ſuſpecta antiqvitas a *Lyſchandro* conciliatur — 77.
Illorum antiqvisſimus Rex Odinus ſeu Wodin noſtris ſtatuitur; Nomen eorum in hiſtoria Romana ante Diocletiani & Maximiniani tempora ignotum — — — — — 111.
Ex qvibus Aſiæ partibus profecta ſit gens illorum, Reges aliqvot ipſis Saxonibus ignoti, in antiqvis Islandorum memoriis, occurrunt — — — — — — 112.
Scandia Græciæ urbs — — — — — 173.
Scandiæ nomen antiqvisſimis Græcorum ſcriptoribus in Septentrione ignoratur, ignotum autem eſſe non potuit, ſi Gothi illuc hinc profecti, ante eorum tempora fuiſſent — — — 174.
Sceaf Sceldii pater, miraculoſe, ſeu potius fabuloſe, in Scandiam delatus, poſtea Slesvici regnaſſe traditur — — — 246.
Sceldius filius Sceaf inter Odini progenitores — — ibid.
Scema genealogicum lineæ maternæ Halfdani Diſerti, ex *Hiſtoria Hervoriana* deſumtum — — — — — 261.
Schedæ Arii Multiſcii, qvæ ſuperſunt, non compendium prolixioris ſcripti — — — — — — (142.)
Sheringhamus, vir apprime doctus, *Eddam* Islandorum haud leviter ſuſpexit — — — — — — (141.)
Scoti, Gothorum Scandianorum proles — — 200. & ſq.)
Illorum gentis antiqvitas dubia — — — 78.
Scriptoribus Romanis etiam *Taciti* tempore de Septentrionalibus Germanis pauca, terris, qvas mare Balthicum a Germania ſeparat, minus, de Ruſſia & remotioribus in boream regionibus nihil conſtitit 156.
Seid, dira magiæ ſpecies, Aſis ante Freyæ Niordi filiæ adventum ignota, viris exſecrabilis, ne tamen interiret, fœminis demandata 133.
Sellis Veterum geſta inſculpta — — — — — 51.
Semingus Odini & Skadæ filius, magni nominis in Norvegia Rex 253. (16.)
Sepulchra Ethnicorum hæreditaria — — — 146.
Veterum nomen ſepultorum ſervantia, *Saxonem* decepiſſe videntur — — — — — — — 220.

Seriem Regum *Saxo* confudit, confuſionis cauſæ — 219. & ſq.
Unde illa Regum Daniæ deſumta & collecta ſit — 210.
Ex *Langfedgatale* — — — — — 211.
Series Regum Daniæ (79. 91. 97. 103. 104. 108. 116. 120. 125. 128. VI.)
Qvalis primum conſcripta erat & qvalis poſt elaboratæ & editæ diſcrimen — — — — — (VII. VIII.)
Cur tamdiu inedita delituerit, cauſæ — — (IX. ſq.)
Ejus qvædam exemplaria cur *univerſi Septentrionis Antiqvitatum* titulum præ ſe ferant — — — — (XVIII.)
Qvalem mutationem paſſa ſit reſpectu temporis — (XXI. XXII.)
In ea *Dedicatio*, *Præfatio* — — — (XXIV.)
Ad eam illuſtrandam pertinentia — — (XXVI. ſq.)
Qvando abſoluta — — — — — (XVI.)
Serpentis imago in oculis Sigurdi Ragnaris Lodbrochis filii, recens nati, viſa, maternum ei genus aſſeruit, & repudii ignominia matrem liberavit, Angvioculiqve cognomen ei confert — — 349.
Siculi Diodori hiſtoria mythica — — — — (79.)
Eum primum Græcorum deſiviſſe nugari cenſuit *Plinius* — (79.)
Sialandiam Smalandiæ nullo modo applicari poſſe oſtenditur — (11.)
Sigar inter univerſales Daniæ Reges non habet locum — 379.
In Frodii Tertii tempora referendus — — — 306.
Sigefridus pecuniam accipit, pacem jurat — — — 426.
Rumpit fœdus, Lutetiam Pariſiorum armatus pergit — 427.
Cæditur — — — — — — — 428. 429.
Sigfridus, Gudfridus & Ragnaris Lodbrochis filii baptizantur — 423.
Sigfrodus, aliis *Sigefridus*, Godefridi nepos vel cognatus, cum Hringo Haraldi cujusdam filio (Codici Flat. perperam Hergeir *eſt*) externis ſcriptoribus *Annulone*, de ſucceſſione bello certat, qvo uterqve occidit, cæſorum numerus varie traditur — — 418. 419.
Sigfrodus & Halfdanus, Reges ethnici, Harecho juniori ſucceſſerunt 421.
Siggeir ſeu *Sigericus* poſt Nordmannorum cladem falſo in Dania regnaſſe traditur — — — 430. 433. 436. 437.
Sigurdus Hringus Sveciæ a patruo Haraldo Hilditanne præfectus, poſt illum præfuit Daniæ, tributarios Reges in Dania conſtituit. Ejus uxor Alfhildis — — — — — 320.
Ditio in Anglia, bellum cum Ingialdo victoriaqve — 325.
Confer — — — — (XV. 40. 47. ſq.) 509.
Ex uno homine *Saxoni* duplicatur; *Arngrimi* de eo judicium 323.
Seculo 8vo vixit, ut & Ragnar Lodbroch, Sigurdus Fafnericida, Brynhildis Budlina, Gunnar & Hognius Giukii filii ſororqve eorum Gudruna & Jormunrekus — — — 335.

Ejus

Ejus filius Ragnar Lodbroch — — — 346.
Id nominis primus — — — — — 380.
Caroli Magni temporibus æqvalis ab auctore *Catalogi Regum Daniæ*, qvi membraneus in bibliotheca Hafnienſi reſervatur, falſo ſtatuitur — — — — — — 386.
Sigurdus Fafnericida, an ſupra ſeculum octavum exaltandus, argumenta adſtruentia — — — — 335. usqve 339.
An bini ſtatuendi, & qva ratione — (45. ſq. XXXVII.) 342.
Ejus cum Ermanarico & Giukungis ſynchroniſmus — (X.)
Ejus amitæ mariti Siggeiris ſynchroniſmus ex Genealogiis (45.)
Synchroniſmus inter Faſnericidam eiqve coævos ex colloqvio inter Brynhildem & Gudrunam — — — — (46.)
Sigurdus Angvioculus, poſt cædem Ellæ varias terras cum fratribus armis luſtrat — — — — — — 352.
Ab eo Svenus Admorſæ barbæ Daniæ, Haraldus Pulchricomus Norvegiæ, Reges, & Thorſteinus Rufus deſcendunt — 371.
Ejus filia Aſlaug — — — — — (58.)
Poſterorum ejus ſcema — — — — 372.
Ex uxore Blæa (*Codici Flateyenſi* Helena) Ellæ Regis filia, Hördaknutum progenuit — — — 375. 376. 396.
Qvæ regna in diviſione hæreditatis ei obtigerint — 375. 396.
Geſta ejus poſtqvam Rex factus eſt, latent — — 396.
Sigurdus Svenus, Danis *Snarin Sven* — — — (62.)
Sigurlamius — — — — — — (13. 36.)
Silfraſkallius Regem occidit — — — — (11.)
Simon Scalpus, de eo relationum varietas — — — (7.)
Skade, Niordi uxor — — — — — (17.)
Skirnisfaur, oda Eddæ — — — — — (17.)
Skaldungi idem qvod *Skioldungi* — — — — 245.
Skioldungorum Hiſtoria a *Snorrio Sturlæo* lecta — — 11.
Magno hiſtoriæ detrimento interiit — — — 245.
Skioldungorum familia, primo Regibus Daniæ propria, deinde commune Regum epithetum apud Poëtas, alia etiam Regum Norvegorum — — — — — — — 245. 340.
Skioldus a patre Odino Daniæ præfectus annis ante natum Chriſtum 60. colligitur, in Aſia natus ſtatuitur — — — 226.
Non ſoli Reidgothiæ, ſed toti Daniæ præfuit — 244.
Divinis honoribus cultus, ejus idolum a S. Olafo confractum 246.
Primus Danorum Dynaſta, *Svenone Aggonis* Islandis conſentiente, perhibetur — — — — 247. (183. 184.)

Skulda, Hrolfi Krakii ſoror, cæſo fratri in regnum exiguo tempore ſuccedit — — — — — — — 288.
Illa deleta regnum Daniæ in ſtatum polyarchicum tranſiit 291.
Skur & *Drifa* in ditionem patris ſui Hrolfi Krakii, non tamen totam, repoſitæ — — — — — — ibid.
Snio in Islandorum memoriis inter Daniæ Reges nusqvam invenitur 329.
Forte *Snær* Finlandiæ Rex — — — 329. (185.)
Snorrius Sturlæus magnas res magicis artibus confectas tradit — 33.
Qvæ ſcripſerit — (15. 129. ſq. 135. ſq. 99. 145. 151.) 46.
An *Chronici Norvegici* autor — — — — (8.)
Sol ſub Odini nomine cultus — — — 114. 116.
Ejus imago coronata, cur ad tergum Odini appingatur — 115.
Ejus cultus non ab Odino Boræ filio, ſeu Dellingo, nec ab illo Upſalino vulgo dicto, in Septentrionem inductus, ſed ab alio qvodam intermedio, idqve ſub Odini nomine — — 117.
Sognia — — — — — — (168.)
Ejus chorographia — — — — (170. ſq.)
Soknius Rex Sogniæ — — — — — — (162.)
Sölvius de Niardeya partis alicujus in Dania, deinde Sveciæ Rex factus eſt — — — — — — 291. (185.)
Sörlius & *Hamder* in Jormunreci aula lapidibus ad necem obruuntur 328.
Solgium tertium Hilditannis filium nominat *Biornus de Skardzaa* (39.)
Sörlius Robuſtus — — — — — — (23.)
Erlingi Uplandorum in Norvegia Regis filius — (37.)
Sperlingius, Otto, ad eum epiſtolæ — (91. 126. 127. 134. 144.)
Commentarium de lingva Danica conſcripſit — — (129.)
Ejus Commentarius in Teſtamentum Archiepiſcopi Abſalonis — — — — — — — (86. 91. 133.)
Starkadi, qvi Hakoni militavit, ſtemma — — — (30.)
Qvi Armodum occidit alienus eſt â Starkado Olii interfectore (ibid.)
Stafnesvog — — — — — — (161.)
Stafvenes — — — — — — — (168.)
Stangelandia — — — — — — (67.)
Stedie — — — — — — — — (175.)
Stediebierg — — — — — — (ibid.)
Stemma vetuſtisſimorum Sveciæ Regum (puta Ynglingorum) in Ingialdo Aſtuto in Svecia defecit — — — 365.
Stephanii de Islandorum ſcriptis teſtimonium — 60. (VII. 166.)
Stiörnu Oddus, ſeu *Oddus Aſtronomus*, a *Biorno de Skardzá* inter Hiſtoricos refertur — — — — — — — 48.
Stockseyri — — — — — — — (161.)

Strabonis

Strabonis locus de Cimbris — — — — — 175. 176.
Straumsey — — — — — — (15.)
Sturla Sigvati filius, hiſtoriarum ſtudioſus, qvando mortuus (8 135.) 47.
Sturla Legifer, qvæ ſcripſit, qvando mortuus — ibid. (136. 142.)
Sturlaugi Laborioſi vita — — — — (XVII.)
Ejus vita non rejicienda — — — (XXVII.)
Seculo ſecundo poſt natum Chriſtum eum vixiſſe conjectura (13.)
Sturlungorum hiſtoria authentica — — — — 49.
Qvæ jam ſupereſt ex illa majore deſumta — — (9.)
Eam Sturla Legifer contexuit — — — (8.)
Styrmir Polyhiſtor, officio Prior, idem qvoqve Legifer, *librum Originum Islandiæ* conſcripſit, qvando deceſſit — — 47.
Svafurlamius — — — — — (13. 26. XXXI.)
Svanhildis, Sigurdi Faſnericidæ & Gudrunæ Giukinæ filia, juſſu Jormunreci eqvinis ungulis ad internecionem conteritur — 327.
Svanus Rufus — — — — — — — (23.)
Finnalfi filius non eſt — — — (XXII. 24.)
Sveciæ Regum ſucceſſio, cur difficile tradi poſſit ex *Erici Olai* mente — — — — — — — 80. & ſq.
Ejus incolatus antiqvitas ad annum M. 1600 male elevatur ex hypotheſi dierum 25, qvos ab anno Chriſti milleſimo in ſingulis 132 annorum periodis neglectos *Rudbeckius* exiſtimat — 147. 159.
Nec ex atro humi incremento felicius monſtratur — 159. 160.
Aut ab expeditionibus Sarugi tempore factis 161. 164. 165. 166. 168.
Imperium antiqviſſimis temporibus in Pontificatum redactum — — — — — — — (XXXII.)
Sveciam eſſe *Platonis* Atlanticam *Olaus Rudbechius* ſtatuit — 161.
Nomen ab Odini nomine *Svidrir* accepit — — 244.
Sveciæ Regum ſtemmata a Ragnare Lodbroche & Aſlauge per Biörnum Ferrei lateris propagata — — — 359. usqve 368.
Eorundem ſeries chronologica a Sigurdo Hringo ad Olafum Sveonem — — — — — 366. 367. 368.
Svedicarum rerum antiqviſſimam notitiam in Islandiam intulerunt qvi â Svecis Regibus orti eam primi occuparunt — — 57.
Svedicorum ſcriptorum rationes expenduntur — — 79.
Recentiores hiſtoriam *Johannis Magni* ipſi improbant — 82.
Svegder Fiölneri filius — — — — — (184.)
Sveno Aggonis principium ordinis Regum Daniæ idem cum Islandis ſtatuit — — — — — — — 65.
Svenonius, Bryniolfus — — — — — (VII.)
Doctorum omnium doctiſſimus — — — (139.)

Sveno furcatæ barbæ — — — — — (185.)
Sveno Ulfi fil. — — — — — (20. XXVII.)
Svenus Victorioſus inter Regulos Daniæ — — (37.) 291.
Sverreris hiſtoria authentica — — — — 49.
Ipſe hiſtoriam Norvegicam vel certe aliqvam ejus partem conſcribendam curavit — — — — — (7.)
Svevorum & *Saxonum* Regum a *Langbornio* recenſitus index — 152.
Svipdagerus inter Daniæ Reges non reputatur, inter Hrolfi Krakii athletas nomen celebre — — — (22.) 252. (183.)
Svíþiód Kalda & Mikla — — — — — (17.)
Synchroniſmorum Daniæ Sveciæqve Regum principumqve collatio, eorumqve numerus — — — 224. 225. 226.
Syndica ad Bosphorum Cimmericum ſita, Odini patria — 226. 244.
Syrſtrandia — — — — — — (174.)
Syvalldus Ungvini filius Monarchis Daniæ non annumerandus 306. (184.)
Syvalldus Sigaris filius ſi unqvam extitit, interregni in Dania cauſam non præbuit — — — — — 307. (184.)
Syvalldus qvem Brodero ſucceſſiſſe *Saxo* tradit, eliminandus e numero Regum Daniæ — — — — — 329. (185.)
Syvardus Omundi filius albo Regum Danorum eximendus 325. (184.)

T.

Tabulæ qvas primum *Seriei* Torfæus inſeruerat — (XIX.)
Tabulæ ſynchroniſticæ Regum Daniæ &c. — — (183. *ſq.*)
Tabula *Genealogica vetuſtisſimorum Daniæ Regum* ex variis documentis Islandicis collecta — — — — — 215
Tacitus qvæ Germanis adſcripſit, plurima hic in uſu eſſe — (128.)
Tameſis fluvius — — — — — — (10.)
Tanai & Veſoſis tempora — — — — 180.
Tanai progenitores, ex Scandia & ſeptentrione non eſſe repetendos 185.
Templum Biarmiæ antiqvisſimum — — — 118.
Teſtimonia de *Sæmundo Polyhiſtore*, qvod ſcripſerit Regum Norvegorum hiſtorias & Annales Oddenſes — — — — — 41.
De poëtis veteribus — — — — 55. 56.
Stephanii, *Olai Wormii*, *Olai Magni*, de vetuſtisſimis ſeptentrionis numinibus, qvi nihil nobis contrarium evincunt — 127.
De Ragnare Lodbroche variorum ſcriptorum — 372.
Thanachis, *Tanaus*, *Tanauſius*, & *Danus* non ſunt eadem nomina 69.

van

van Thanchen Matthias — — — — (83.)
Theodorici Monachi de Islandis teſtimonium — — — 58.
Theodrici de Berna hiſtoria exploditur ut fabuloſa — — 340.
Theſauros ſuos, cur veteres ethnici ſecum defodi curarint — 145.
Thiodolfus de Hvinio — — — — — (9.)
Thomæ Bartholini de Islandorum antiqvitatibus judicium — 2.
De Islandis teſtimonium. — — — 58. 61.
Thor qvare dicatur eſſe filius Odini & Terræ — — 115.
Ejus hiſtoria ex *Edda* — — — — 119.
Eo fulminante ne denſam arborem vulgus ſubeat, adhuc remanet ſuperſtitioſa cautio — — — — — 121.
Thora Herraudi Gothiæ Comitis filia â monſtroſo ſerpente obſeſſa, liberatori uxor promittitur, à Ragnare Lodbroche liberatur, eorum liberi — — — — — — 346.
Thora locus eſt corruptus & reponenda Aſlaug — — (57.)
Thora Sigurdi Angvioculi filia, Olafi Hvitii avia — 371. 372.
Thorer Canipes inter vindices cædis Hrolfi Krakii — 289. 290.
Thorfinnum Poëtam Rex verſum facere juſſit de aulæo Sancti Olafi cui Fafnericidæ conflictus cum Faſnere intextus — — (9.)
Carmen ejus conſervatur — — — — (10.)
Thorſteinus Surtus faſtos haud imperite correxit — — (135.)
Thorolfus Voganeſus Vemundi Ordlokaris pater — — (38.)
Thorarinus Eiricius Halfdani Nigri vitam tranſtulit — — (51.)
Thrymheimur — — — — — — (17.)
Thorlaci Skulonii in exſcribendis vetuſtis patriæ monumentis induſtria & impenſæ — — — — — — 48.
Thoroddus Runarum magiſter â *Biorno de Skarzá* inter hiſtoricos refertur ibid.
Thorſteini Vikingi hiſtoria & judicium de ea 30. usqve 34. (XXVII.)
Ejus exiſtentia multis probatur — — — (5.) 32.
Tituli Odini circiter centum qvadraginta — — — 244.
Torfæus qva occaſione a Rege Friderico Tertio in mandatis acceperit, ut *Seriem* conſcriberet, in Præfatione ad eandem declarat (VI.)
Probabile id factum eſſe 1660. 1661 — — (ibid.)
Ejus uxor mortua — — — — — (76.)
Ejus ad Legangrum epiſtola — — — (155.)
Toſtii hiſtoriam allegat *Biörnus de Skardzaa* — — (4.)
Trifolium — — — — (VIII. XV. XXI. XXIV.)
Trojanorum hiſtoria explodenda — — — (XXVII.)
Tönderus, diſtrictus Ryeſylchenſis Præfectus — — (75.)

 Tumu-

Tumulus ille ingens in Samo Balthica ab Aurvar-Oddo excitatus eſt — — — — — — — 35. 220.
Turris Babylonica poſt exceſſum Noachi ædificata videtur — 165.

U.

Ubbonis Emmii in concilianda genti ſuæ antiqvitatis gloria, moderatio 78.
Udlands paræcia — — — — — — (180.)
Uffo — — — — — — (34. 183.)
Ulfhamio ſucceſſiſſe Hiörvardum colligitur — — (37.)
Ulyſſem Odini nomen aſſumſiſſe *Jonas Ramus* conjectat — 122. 123.
Undalinus — — — — — — — (VII.)
Undalus — — — — — — — (153.)
Ungvinus ex albo monarcharum Daniæ expungendus — 306. (184.)
Gothorum Rex — — — — — (20.)
Ungvinum primum fuiſſe qvi cadavera cremandi ritum introduxerit, colligit *Stephanius*, verum attentius inſpectus emergit, aut ipſe Yngifreyr aut Odinus — — — — — (64.)
Utgardalokius & Geirraudus ex fabulis Eddicis a *Saxone* deſumti ſunt 332.
Urneſs templum, ſcribitur â non nullis *Odneſs* — — (177.)

V.

Vadum prædium — — — — — — (173.)
Valdemar Rex — — — — — — (20.)
Filiam Ulfhami in matrimonio habuit — — (33.)
Ditio ejus in Scania fuiſſe colligitur — — (ibid.)
Valdar Munificus qvi Danis imperavit — — (32. 185.)
Valgardus filius Vemundi Ordlokaris — — — (38.)
Vangsneſia — — — — — — — (176.)
Wangen — — — — — — — (181.)
Vanlandius Svegderi filius — — — — (184.)
Varda, *Vördur*, qvid denotet — — — — 95.
Verelii error de conſcriptæ *hiſtoriæ Hervorianæ* tempore — 38.
Ejus de *chronico Gothlandico-Cimbrico* ſincerum judicium 67. & ſq.
Ejusdem error corrigitur — — — — 285.
Sententia de Arngrimo Eyfuræ marito non probanda — (XXXII.)

Vermundus

Vermundus non Viglethi, ſed Frodii, Islandis Secundi, filius eſt — 268.
— — — — — — (34. 183. 184.)
Veſoſis & *Tanai* tempora — — — — 180.
Weſtvali, *Saxonum* pars, eorum forum Judiciarium *Frigeding*, dies Mercurii *Godensdag* — — — — — — 112.
Vetalabeth inſulas Scandiæ vicinas communi nomine appellatas volunt 179.
Wibe, *Ditlew*, Secretarius ſupremus — — — (XVI.)
Ad eum epiſtola — — — — — (123.)
Viclavum.Vodeni f. *Johannes Bromton* genuiſſe ſcribit Vermundum patrem Offæ — — — — — — (34.)
Vigenſis paræcia — — — — — — (173.)
Vigletbus Islandis inter genuinos Daniæ Reges ignoratur, nec Vermundi filius agnoſcitur — — — — 302. (183.)
Wilhelmi Gemeticenſis narratio de Biere Ferreæ coſtæ & Haſtingo ejus pædagogo — — — — — — 373.
Vilbialmi Siodi vita & ejus explicatio — — — 19. & ſq.
Windingius — — — — — (IX. 85. 94.)
Vinlandia — — — — — — (XXIV.)
Visbur Vanlandii f. — — — — — — (230.)
Vitæ unde dicti — — — — — (12.) 94.
Qvid proprie ſignificent — — — — 95.
Wodenus boreales plagas adiit, haud procul ab *Homeri* ætate, ut ratiocinatur *Sheringhamus* — — — — — 17.
Vöggus inter vindices Hrolfi Krakii, de eo fabula *Eddæ* — 289.
Volſungorum Hiſtoriam alii Ragnaris Lodbrochis inſcribunt — 346.
Volumina antiqva qvæ *Johannes Magnus* ſe ſecutum perhibet, cum *Ericum Olai* ſcriptorem antiqviorem fugerint, vanitatem auctoris arguunt — — — — — — 80.
Völundi Oda fabuloſa — — — — 340. (56)
Ejus auctor incertus Sigurdo Faſneridæ longe junior de ſuo multa addidiſſe ſuſpectatur — — — — — 341.
Wormius, Olaus — — — — — — (VII)
In eum epigramma — — — — (153.)
Woſs templum — — — — — — (181.)

Y.

Yggium loco *Siggii* Edda Sæmundi habet — — (XXX.)
Ymislandia qvæ fuerit — — — — — (147.)

Ynglingi

Ynglingi & Skioldungi recentiores a Skioldo & Yngvio Halſdani Hringarichiæ Reguli filiis denominati ſunt — — 306.
Yngvi & *Ynguni* ſinguli cognatorum Regis dicti ſunt collectim *Ynglingar* — — — — — — 270.
Yngvius — — — — — — — (16.)
Ynglingatal — — — — — (ibid.)
Yngvifreyr Niördi filius — — — (ibid.)
Yngvius Sveciæ Rex Alreci filius — — (24. 26. 184.)
Yngvar Eyſteini filius Sveciæ Rex — — (185.)
Yrſa Regis Daniæ Helgii, ex Oluſa *Saxoniæ* Regina filia, ſtupro concepta, deinde a patre rapta inqve uxorem ducta, cognito inceſtu divortium cum eo facit — — — — 287.
Mater erat Eyſteini Sveciæ Regis & Hrolfi Krakii, Vöggum militiæ præfectum in hujus ultionem miſiſſe videtur — 291.

Corrigenda.

Pag. IV. Lin. penult. cum, *lege:* eum.
— X. Lin. 20. ita, *lege:* iſta.
— XII. Lin. 28. dixit, *lege:* duxit.
— XVII. Lin. penult. 6ti, *lege:* 5ti.
— XXVII. Lin. 1. illa, *lege:* cum illa.
— 87. Lin. 22. ac, *lege:* ab.
— 92. Lin. 23. Dani, *lege:* Danis.
— 136. Lin. 12. diverſas, *lege:* diverſos.

00036708

VV~~k 18~~ 36708
948.901 Tor/Ser
Torfaeus, Thormodus
Series dynastarum
et regum Daniae (1702)
B835 3075
[illegible]
20 JUN 2017

Digitized with financial assistance from
Observer Research Foundation
on 17 May, 2019